BIBLIOTHECA GRAECA

VIRORUM DOCTORUM OPERA RECOGNITA

ET

COMMENTARIIS INSTRUCTA

CURANTIBUS

FRIDERICO IACOBS

ET

VAL. CHR. FR. ROST.

A

POETARUM

VOL. VI.

CONTINENS

PINDARI CARMINA

EX

LUDOLPHO DISSENIO,

PROFESSORE GOTTINGENSI.

EDITIO ALTERA AUCTIOR ET EMENDATIOR.

CURAVIT

F. G. SCHNEIDEWIN,

PROF. GOTTING.

GOTHAE ET ERFORDIAE, MDCCCXLVII.

SUMPTIBUS HENNINGS.

(Londini apud D. Nutt 158, Fleet street.)

BIBLIOTHECA GRAECA

VIRORUM DOCTORUM OPERA RECOGNITA

ET

COMMENTARIIS INSTRUCTA

CURANTIBUS

FRIDERICO IACOBS

ET

VAL. CHR. FR. ROST.

A.

POETARUM

VOL. VI.

CONTINENS

PINDARI CARMINA

ED.

LUDOLPHO DISSENIO,

PROFESSORE GOTTINGENSI.

EDITIO ALTERA AUCTIOR ET EMENDATIOR.

CURAVIT

F. G. SCHNEIDEWIN,

PROF. GOTTING.

GOTHAE ET ERFORDIAE, MDCCCXLVII.

SUMPTIBUS HENNINGS.

(LONDINI APUD D. NUTT 158. FLEET STREET.)

PINDARI CARMINA

QUAE SUPERSUNT

CUM

DEPERDITORUM FRAGMENTIS SELECTIS

EX RECENSIONE BOECKHII

COMMENTARIO PERPETUO ILLUSTRAVIT

LUDOLPHUS DISSENIUS,

PROFESSOR GOTTINGENSIS.

EDITIO ALTERA AUCTIOR ET EMENDATIOR.

CURAVIT

F. G. SCHNEIDEWIN,

PROF. GOTTING.

SECT. II.

COMMENTARIUS.

GOTHAE ET ERFORDIAE, MDCCCXLVII.

SUMPTIBUS HENNINGS.

(LONDINI APUD D. NUTT 158. FLEET STREET.)

GOTHAE LITTERIS OFFICINAE DVCALIS ENGELHARDO-REYHERIANAE.

COMMENTARIUS

IN

PINDARI CARMINA.

CARMINA OLYMPICA.

CARMEN OLYMPICUM PRIMUM.

INTRODUCTIO.

Hiero, Syracusarum rex inde ab Ol. 75, 3., mortuus Ol. 78, 2., tres Olympicas victorias reportavit, unam ante regnum celete Ol. 73, 1., alteram hanc Ol. 77, 1., tertiam quadrigis Ol. 78, 1. Atque eo quidem tempore, quo hoc carmen scriptum, in potentiae suae summo fastigio erat post devictum initio anni Thrasydaeum. Erat rex et bellicosus maxime et ludicrorum certaminum studiosissimus; amabat etiam musicas artes et adibant aulam eius celeberrimi Graeciae poetae: Simonides, Pindarus, Bacchylides, Xenophanes, Epicharmus, Aeschylus; idem tamen morum fama minime integra, quum aliis vitiis tum superbiae obnoxius. Vide de his omnibus Boeckhium in Introductione et ad v. 13 seqq. —

Carminis argumentum hoc est: Post prooemium, in quo de praestantia victoriae Olympicae dicitur et de Hieronis regia laude, transit poeta ad Pelopis et Tantali fabulas canens, ut Pelops amatus sit a Neptuno et, quum dii aliquando apud Tantalum Sipyli convivio exciperentur, ab eo puer raptus in Olympum; quum autem ita subito evanuisset Pelops, ab invidis vicinis inventum esse mendacium de nefaria coctione eius humeroque consumpto, tum restituto ex ebore. Tantalum eo tempore diis dilectissimum fuisse, eundem tamen postea, quum ferre felicitatem non posset, furatum diis nectar et ambrosiam aequalibus convivis apposuisse; quo crimine factum esse, ut in poenas incideret gravissimas, filius autem remitteretur ad mortales. Is mox adulta

aetate Hippodamiae coniugium cupit. Implorat igitur auxilium Neptuni, a quo accepto curru celerrimo vincit Oenomaum et potitur Hippodamia, gignit stirpem praeclaram et adhuc pro heroe colitur Olympiae. His narratis Pindarus ad Hieronem redit, auguratur victoriam curulem et hortatur ad modestiam.

Videamus nunc de consilio et vera ratione harum rerum. Monet Boeckhius optime, antiquitates Olympicas quum ter tractaret Pindarus Ol. I, III, XI, factum hoc esse in iis carminibus, quae in Italia et Sicilia canenda essent, ubi talia minus nota quam in Graecia magnopere placere debuisse. Monet idem hoc in carmine Hieroni regi regias res Pelopis, Tantali, Oenomai proponi, quod et ipse verum habeo, nisi quod huius rei rationem distinctius explicari posse crediderim. Ac primum quidem in narratione de Pelope maxime conspicuus est amor Neptuni; hic amavit infantem et rapuit in Olympum, postea vero iuveni velocissimum currum dedit et victoriam curulem nobilissimam. Ac tam celeber erat in fabulis hic currus, ut etiam in proverbium abiret *Λύδιον ἅρμα*, cf. Fragm. Pind. 119. et Welckerum ad Philostrat. Imagg. p. 389., nec maior laus contingere posset curribus ludicris, quam si illi velocitate similes essent. Iam vide Hieronem: Vicit celete et meditatur curulem victoriam, quam poeta manifesto respicit de Pelopis celerrimo curru et certamine canens. Porro, quid est quod de Neptuni amore eximio in Pelopem narrat, nisi hoc quoque propter Hieronem facit? Nimirum in familia Hieronis cultus deorum Triopiorum domesticus erat, cf. Boeckh. ad Schol. Pind. p. 314. et Müller. Dor. I. p. 262. (264.) 400. (404.), inter quos quum Neptunus esset, etiam Hiero, opinor, a tenero carus fuit Neptuno familiari, qui eum equestri studio imbuit. Nam magnopere deditum fuisse Hieronem rei equestri, *ἱπποχάρμαν βασιλῆα*, satis constat, qui multas victorias e Graecia reportavit. Vide nunc, quam apte omnia conveniant. Canit Pindarus hoc carmine illustrem fortunam Hieronis: laudatur regia potentia in Sicilia cum virtutibus pulchris; Pelopem Neptunus olim amavit, nunc idem Hieroni a tenero favit eximie, atque ut Pelopis currus clarissimus, sic Hiero, quo nemo hodie per Graeciam harum rerum studio clarior, nunc celete vicit in Pelopio curriculo et mox, ut speratur, curru celeri vincet, quo absolvetur dei benignitas. Verum enim vero idem ad superbiam inclinabat.

Quod igitur saepe alias, sed paucis monere solet Pindarus, abstinendum esse a superbia nec ultra humanam sortem quidquam quaerendum, hoc nunc vel inprimis ei faciendum videbatur, quum Hiero prosperrimo rerum successu uteretur et nova speraret a deo. Hinc intexuit fabulam de Tantalo, qui maxime amatus a diis, quum ferre fortunam non posset, miserrimam poenam pendit, suaviter tegens consilium, quasi quae de Tantalo narrantur nonnisi propter Pelopis historiam allata sint. Ac de Tantalo idem sentit Boeckhius. Meminerit igitur Hiero modestiam servare in summa prosperitate sua; caveat, ne Tantalo similis fiat, cui Pelopis fortunam fata dederunt; ne poenas luat, ut iste, sed laudem habeat post mortem, quemadmodum Pelops, illustris Pelopidarum gentis auctor, Olympiae hodieque colitur heroicis honoribus. — Ceterum monente Boeckhio carmen cantatum Syracusis in domo regia inter convivium, praesente tum Pindaro, quod apparet ex v. 16. [Qui Dissenii de summa sententia huius carminis disputationem acerrime impugnavit G. Hermannus Opuscc. VI, 41 sqq. ipse primarium argumentum hoc esse statuit, ut Olympicorum ludorum prae ceteris omnibus splendor celebretur. Id et poetam profiteri ipsum v. 7. et sensisse Aristophanem grammaticum, quum primum ei locum concessit. Illis autem verbis continuo subiicere poetam quod tum menti eius proximum fuerit, Olympiam praebere praestantissimorum materiem carminum, quae sententia revocetur ad id, quod tunc ipsum ad carmen faciendum commoverat poetam, victoriam Hieronis. Cuius victorem equum rursus ad primariam sententiam reflectere animum poetae addentis splendere eius gloriam in colonia Lydii Pelopis. Pelopem autem necessariam carmini fabulam suggessisse: qui quum summis honoribus coleretur Olympiae, celebratis laudibus eius una celebrari Olympiam. Poetam autem narrare incipientem impium miraculum reformidare; novo igitur modo et diis digniore expositurum ita instituere, ut omnia ad Olympiam revocentur. Hinc esse illud, quod de Pelope Hippodamiae proco deque curuli victoria, quod genus certaminis Olympiae erat honoratissimum, verba faciat, Oenomaum a Pelope victum verbo tangat, taceat fraudem Myrtili eiusque caedem, ut quae a laudibus Pelopis et Olympiae abhorreat. Sententiam autem primariam splendidissime efferri in iis, quae de inferiis Pelopi oblatis, de sepulcro ad Alpheum sacrato, de celeberrima ara, de gloria Olympicae victoriae addantur; ea enim parta totam vitam victoris suaviter exhilarari.

Is autem honor quum Hieroni tunc obtigisset, poetam proclive in illam sententiam delabi, quam v. 99. eloquitur: τὸ δ' αἰεὶ παρἀμερον ἐσλὸν ὕπατον ἔρχεται παντὶ βροτῷ. Desinentem igitur in laudibus Hieronis Pindarum spem facere curulis victoriae, quam videri regem tum quidem frustra ambiisse, idque confisum auxilio dei Hieronis res luculenter tuentis, eamque se victoriam cantibus suis ornaturum polliceri. — Haec fere Hermannus. Quae quibusdam ad explicationem totius carminis sufficere videbuntur, mihi non videntur. Et placuit Hermanniana disputatio R. Rauchensteinio commentatt. Pindaric. II. p. 12., nisi quod viro docto aliquid etiam in illis verbis v. 89: τέκε τε λαγέτας ἐξ ἀρεταῖσι μεμαλότας υἱούς inesse videtur quod ad Hieronem pertineat. Qui filii quum in Peloponneso regnaverint, esse patrem eorum etiam iis Graecis pie venerandum, qui e Peloponneso originem duxerunt. „Nam", inquit, „etsi Doricae stirpis erant Syracusani, constat tamen vel ex ipso Pindaro a Doriensibus assumptos in religionem esse etiam illos heroes, qui ante Doriensium adventum in Peloponeso fuerunt." Praeterea aliquam quaesitam esse a poeta similitudinem inter Hieronis res et Pelopis. Hunc enim vitae inertis contemptorem immortales honores adeptum, quippe diis carum et ab iis in victoria adipiscenda adiutum. Unde esse illa v. 106 sq. Denique Tantali poena noluisse poetam unum Hieronem absterrere a superbia, sed omnes mortales ut humana concupiscerent et in humanis se rebus modeste continerent admonuisse. Pertinere igitur eam admonitionem non magis ad Hieronem quam ad quemvis alium. Quae quidem opinio verbis ipsis ad Hieronem directis refutatur. Postremo verba μηκέτι πάπταινε πόρσιον ne ipsa quidem Dissenio favere ait, quippe quae nihil significent aliud, quam: frustra erit, si quis quaesierit maius quidquam quam regale fastigium, coll. Isthm. III, 31. Hoc quoque improbo. Illud subtiliter animadvertit Rauchensteinius p. 4 sq., quum poetae propositum fuerit Olympici certaminis praestantiam singularibus laudibus exornare, commemorationem superiorum victoriarum, quae fere solennis est in aliis carminibus, a consilio huius carminis alienam fuisse. Fuerant enim victoriae illae et Pythicae complures et una Olympica, sed quam Hiero civis Gelous, non tyrannus Syracusanus reportaverat. —

Contra a Dissenii partibus stat A. Boeckhius, sed ut nonnulla subtilius a Dissenio quam verius disputata intelligenter corrigat, vide annall. litterar. Berolin. 1830. II. nr. 77. p. 609 sqq.

Primum negat in carmine inesse quo Hieronis potentia cum Pelopis diserte comparetur: inferri hoc ab interprete. Deinde ne illud quidem significari, ut Pelopem, Neptuno a puero carum, ita Hieronem eidem deo debere victoriam: nusquam enim Neptuni favorem in Hieronem comparere. Verum, ut Pelops ope divina victor evasit, ita Hieroni et ipsi favere θεὸν ἐπίτροπον ἐόντα μερίμναισι tyranni, quem tamen deum non esse Neptunum intelligendum. Praeterea quum Pyth. II, 12. Hiero equos iungens ὀρσοτρίαιναν εὐρυβίαν παλέων θεόν vocetur, amicis Hieroni illius dicti memoribus facile in comparationem venire potuisse quae Ol. I, 72. de Pelope dicuntur: ἄπνεν βαρύκτυπον Εὐρίαιναν. Quibus reputatis de Dissenii opinione haec fere relinqui: „Pelops et Tantalus diis carissimi fuerunt: Pelopem Neptunus amore incensus in Olympum aufert; Tantalus autem quum ferre fortunam non posset, ab diis iratis punitus est, Pelops autem ad cito pereuntes mortales remissus et immortalitate privatus. Tamen Neptunus, quem ille, ut tu facere soles, invocavit, victoriam ei in Olympico curriculo concessit. Tuas res deus fovet, ut fovit Pelopeas: qui nisi celeriter desinat, ut in Tantalo, etiam maiora tibi sperare licet et curulem victoriam. Rex quum sis, summum emensus es fastigium; quare nolito Tantali instar appetere maiora." Pindarum igitur haec omnia ita tractasse, ut celebrandae Olympicae victoriae Hieronis attemperaret. Sed praestat iam ipsa Boeckhii verba apponere: „*Der dichter scheint nicht glück in verbindung mit ermahnung zur mäfsigung sich zum thema gesetzt zu haben, wiewohl diese sittlichen gedanken allerdings im gedichte liegen; sondern der subjective zweck ist die lobpreisung des olympischen sieges des Hieron. Hieron hat mit einem rosse, fern von seinem vaterlande, in der ruhmreichen Olympia gesiegt, ein mächtiger herrscher, wie sein glück zeigt, von den göttern begünstigt, die er, namentlich den Poseidon, anzurufen pflegt, doch auf dem gipfel des glückes immer noch höher strebend, aber auch nach edlem ruhm in den spielen, zu welchen er wagen gesandt hat oder wenigstens das nächste mal senden will. Auf diese einheit der in ihm verbundnen verhältnisse festgeheftet verkündet der dichter den sieg durch den preis des in Syrakus nicht nach allen seinen mythischen grundlagen bekannten spieles, damit es fern nach Sikelia strahle, wie er selbst sagt, dafs dessen ruhm fernher glänze; doch auch dies nicht allgemein, sondern den sieg des herrschers durch den*

ersten sieg eines herrschers, und zwar einen sieg mit rossen, wie der Hieronische mit einem rosse gewonnen war, beide durch göttergunst gegeben; in beider verglichnen personen verhältnissen, beim Pelops in seinem vater, zeigt sich aber auch zugleich, wie die göttergunst leicht zum übermuthe führe, wobei die warnung, nur durch mäfsigung könne man hoffen auch weitre wünsche befriedigt zu finden, von selbst sich einstellt als wurzelnd in der angeschauten eigenthümlichkeit des besungnen, und ganz aufgeht in der dichterischen anschauung des gegenstandes." Tum postquam admonuit, ne quis nimium intelligere velit cavendum esse, ita pergit: „*Das verständnifs mufs sich in dem mafse halten, wie der dichter die gegenstände desselben herausgestellt hat. Nun aber tritt offenbar und schon nach der ankündigung der preis des olympischen spieles und sieges, und zwar in der person eines königlichen siegers, des Pelops, mit plastischer klarheit hervor, und die erzählung, wie dieser dazu gekommen, den sieg über Oenomaos sich zu erwerben, schliefst alles andere in sich ein; auch des Tantalos glück und fall ist der äufsern form nach darin verflochten, und alles so gehalten, als ob nur gezeigt werden sollte, wie Pelops sich den sieg und die braut erwarb. Die in der bestimmten ausführung liegenden beziehungen des mythos auf Hierons charakter sind dagegen den umständen und verhältnissen gemäfs in dem helldunkel gehalten, welches die lyrik sehr liebt, weil sie nicht wie das epos dem eignen denken des hörers nichts überlassen will. Ein gewisser grad des verständnisses ist auch schon ohne die erkenntnifs solcher verborgenen partieen erreicht; der dichter konnte jedem nach dem mafse seiner einsicht überlassen, wie viel er verstehen werde oder nicht.*"]

EXPLICATIO.

V. 1—17. Prooemium carminis. Paratur hymnus Hieroni regi potentissimo ob victoriam celeberrimo Olympico certamine reportatam. — Principio nobili, formam quod attinet, nihil similius exordio carminis Olymp. X. *Ἔστιν ἀνθρώποις ἀνέμων ὅτε πλείστα χρῆσις, ἔστιν δ' οὐρανίων ὑδάτων ὀμβρίων, παίδων νεφέλας· εἰ δὲ σὺν πόνῳ τις εὖ πράσσοι, μελιγάρυες ὕμνοι ὑστέρων ἀρχαὶ λόγων τέλλεται καὶ πιστὸν ὅρκιον μεγάλαις ἀρεταῖς.* **Nempe Olympicum certa-**

men per se una tantum illustratur comparatione solis; praecedentia praeparandae Olympiae laudi inserviunt, quum nimis nudum fuisset tale principium: *εἰ μὲν ἄεθλα γαρύειν ἔλδεαι* **sqq. Ac similiter Pindarus et alii omnes scriptores saepe sententiam, de qua agitur, praeparant et illustrant, quum alibi tum in principiis, ubi maxime opus nunc interrogatione, ut initio carminis sequentis, nunc generali praemissa sententia sequentem ut speciem complectente, quemadmodum Sophocles fecit initio Aiacis iterumque v. 134., nunc oppositione aliarum rerum aut personarum, ut hoc loco et Ol. X. Add. Ol. IX init. et v. 48. Nem. III init. VIII, 37. al. Sensus igitur: Alia in aliis generibus praeclara, ut aqua et aurum; sed inter certamina nihil Olympico ludo nobilius, ut in coelo nihil insignius sole. — V. 1. vim dicti** *ἄριστον μὲν ὕδωρ*, **cfr. Ol. III, 44., sic illustrat Aristoteles rhet. 1, 7:** *καὶ τὸ σπανιώτερον τοῦ ἀφθόνου (μεῖζον), οἷον χρυσὸς σιδήρου, ἀχρηστότερος ὤν· μείζων γὰρ ἡ κτῆσις διὰ τὸ χαλεπωτέραν εἶναι. ἄλλον δὲ τρόπον τὸ ἄφθονον τοῦ σπανίου, ὅτι ἡ χρῆσις ὑπερέχει. ὅθεν λέγεται, ἄριστον μὲν ὕδωρ.* **Sed ut equidem censeo, dicitur** *ἄριστον ὕδωρ*, **quia saluberrimum habetur. Vide enim quam pulcre haec aquae et auri commemoratio accommodata sit convivio praesenti, poculis aureis mensas ornantibus et aqua vinum temperante; unde quovis pignore contendam neminem convivarum de Thaletis placito cogitasse, quod multi inferunt incommode. Pindarus e praesentibus rebus talia petit de more. Qui cur aquae et auri comparationes nunc coniunxerit, hoc solo modo perspicitur. Ac quum Aristotelica ratio ieiuna videatur, nunc contra nobile dictum est, ex ipsa veterum vita ductum, ubi vel vino admiscebatur aqua. — Sequentia construe sic:** *ὁ δὲ χρυσός, αἰθόμενον πῦρ ἅτε διαπρέπει νυκτί, μεγάνορος πλούτου ἔξοχα (διαπρέπει)*, **in qua collocatione verborum ne claudicaret et infirmior evaderet primaria sententia, Pindarus bene addidit** *ἔξοχα*. **[Hermannus p. 46. „***Ἄριστον ὕδωρ war ein philosophem des Pindar; und wenn sich aus der allgemeinheit des ausdrucks etwas schliefsen läfst, so war wohl die uralte meinung, dafs alles aus dem wasser entstanden sei, zugleich mit dem vielfachen nutzen desselben, der inhalt dieses philosophems.***" Rauchensteinius Introd. p. 119. „***Bei ἄρ. ὕδωρ ist daran zu denken, dafs ohne wasser kein leben wäre, weder in thieren, noch in pflanzen.***" Confert Artabani dictum Herod. VII, 16.] — V. 2.**

μεγάνορος πλούτου· ἰσχυροῦ, δυνατοῦ, ἀνδρείαν ἐμποιοῦντος, ἐπεὶ μεγάλα δύναται ὁ χρυσός Photius et Suidas. Cfr. Pyth. X, 18. — V. 5. [*Μηκέτι* Hermannus p. 46. observat vividius dictum quam *μή* hanc vim habere, ut poeta dicat: Desiste aliud astrum circumspicere; *ἐρήμαν* autem *αἰθέρα* dici, quia, ut sol sereno caelo solus in aethere luceat, sic Olympici ludi obscurent longe lateque reliquos omnes. Comparo Simonideum dictum fr. 77. Bergk. *Μόνος ἅλιος ἐν οὐρανῷ. Ἐν ἀμέρᾳ* addidit poeta propter v. 3. *νυκτί*. Tafelius attulit Max. Tyr. or. XL. p. 264. Rsk. *Ἐν νυκτὶ φῶς ἐκ πυρὸς τοῦ δι' ἡμέρας φανέντος ἀκμαιότερον ὑπὸ πολλοῦ τοῦ περικεχυμένου σκότους ἐλεγχόμενον, ἐν δὲ ἡλίῳ τὸ αὐτὸ ἀμυδρὸν καὶ ἀσθενὲς πρὸς ἀνταγωνιστὴν ἰσχυρότερον.* Et p. 265. *Ἐν ἡμέρᾳ ἥλιος κρατεῖ, τὸ ἄριστον καὶ ἀκμαιότατον τῶν ἐν οὐρανῷ σωμάτων.* Ceterum quum Pindarus in carmine Pyth. III, 72 sq. eidem Hieroni prius scripto *ἀστέρος οὐρανίου τηλαυγέστερον φάος* se venturum regi *ὑγίειαν ἄγοντα χρυσέαν κῶμόν τ' ἀέθλων Πυθίων αἴγλαν στεφάνοις* dixerit, eo respexisse mihi aliquando visus est h. l., quasi nunc iam non quaeri oporteat lucidius astrum sole, parta Olympica victoria. Nunc tamen intelligo poetam voluisse hoc: *μὴ σκόπει ἄλλο ἄστρον ἔτι θαλπνότερον*, coll. v. 114. et Isthm. III, 31.] — V. 6. *θαλπνότερον*. Tertium comparationis, quod dicunt, non esse in splendore solis et ludorum, ut ante in lumine ignis et ausi, ex ipso hoc comparativo patet; nec poterat bis eadem comparatio poni. Sensus: Ut nihil per caelum praeclarius fovente solis sidere, sic Olympico ludo nihil nobilius, h. e. ut sol calore nihil habet simile in caelo, sic Olympia nobilitate nihil inter ludos. Consulto vero poeta *θαλπνότερον* dixit, non *θερμότερον*, alterum enim iucundum, alterum iniucundum. *Ὀλυμπίας*, sc. *ἀγῶνος*, contractius dicendi genus, usitatum in constructione comparativorum aliisque comparationis formulis; cf. Matth. Gr. §. 453 sqq. ibique laudatos. — *μηδ' αὐδάσομεν*, futuro tempore, non pro *αὐδάσωμεν* accipio. Corripuisse Pindarum vocales, ut Homerus fecit, est quod dubitem, nec locum video qui opponi possit, nisi forte Ol. VII, 3., ubi tamen futurum recte dici potuit. [Futuro non obstat *μηδέ*, ut putavit Boeckhius. Sophocles Aiac. 572: *καὶ τἀμὰ τεύχη μήτ' ἀγωνάρχαι τινὲς Θήσουσ' Ἀχαιοῖς μήθ' ὁ λυμεὼν ἐμός*. Etenim ita non solum vetamus, sed simul confidimus neminem facturum quod vetamus. Cfr. Homer. Il. *K*, 330.

Pindarus autem propter praegressum *μηκέτι σκόπει* debebat *μηδέ* ponere. — De eximia prooemii conformatione Hermannus p. 44. „*Der dichter wollte sagen: Wie das wasser das beste ist; wie das gold, dem feuer in der nacht gleich, vor anderer stolzer pracht hervorstrahlt: so sind unter den kampfspielen die olympischen die ersten. Aber als er zu dem nachsatze gekommen ist, fällt ihm noch ein gleichnifs, und ein weit grofsartigeres bei. Dieses setzt er, wo es nicht erwartet wurde, in den nachsatz, und so schwingt sich auf einmal die rede von neuem noch höher auf: wenn du aber kampfspiele singen willst, mein geist, so schaue nicht weiter nach einem wärmenderen gestirne des tages in der leere des aethers, noch wirst du herrlichere kampfspiele als die von Olympia nennen.* Confer Rauchenstein. comm. II, 4.] — V. 8. *ἀμφιβάλλεται*. Thierschius: instruit se et ornatus procedit per artem poetarum, quemadmodum etiam Welckerus metaphoram a vestitu petitam putaverat. Heynius ad Iliad. T. VI. p. 628. et Huschkius ad Tibull. I, 6, 62. et Boeckhius: adlabitur, obiicitur mentibus et infunditur, ut sonus circumfusus auribus. Wakefieldius videtur cepisse pro agitatur mentibus, quum comparat Aristoph. Lysistr. v. 28. Denique nuper Tafelius: Disseminatur hymnus per omne spatium mentibus, ut arcubus. Mea sententia haec est: Ut Latine dicitur amplecti animo et complecti, quorum hoc est multa s. magna comprehendere, illud cupide suscipere animo et versare, similiter Graece *ἀμφιβάλλεσθαι* et *περιβάλλεσθαι διανοίᾳ, μητίεσσι* dici potuit, veluti ap. Isocratem Philipp. p. 118. Bekk. est *περιβάλλεσθαι τῇ διανοίᾳ τὰς πράξεις*. Quem locum comparo usum loquendi illustrans. Ceterum per se est clarum locutionem prosaicam esse, ut *ἀμφιβάλλεσθαι μητ.* est poeticum. Quare verto: Unde nunc praeclarus hymnus prehenditur doctorum mentibus, quo canant Iovem in domo Hieronis. Neque *ὅθεν* habet quod durum sit. Est genus constructionis illud, quo verbum motum a loco significans brevitate dicendi suppletur sensu; cf. ad Pyth. IX, 29. [Hermanno nunc *ἀμφιβάλλεται* fere i. q. *ἀναβάλλεται* vel potius *ἐμβάλλεται* esse videtur. V. F. L. Petri in Obss. in Pind. Ol. I. Brunsvigae 1831. editis p. 9. ita explicat: „Unde (ortus, natus, advectus) hymnus magno rerum concentu

vocalis (?) sollertium cantorum molimine ultro citroque fluitat." Rostio in Thes. L. Gr. p. 255. placet ita intelligere: „*Den geist der dichter umfliegt (wie geschosse, von denen das bild entlehnt ist) stoff zu vielbesprochnem (?) hymnus*", coll. Eurip. Herc. Fur. 422. ἀμφιβαλεῖν τινα βέλεσιν. Mihi Homericum ἀμφὶ κτύπος οὔατα βάλλει comparanti cum Rauchensteinio II, 6. una Heynii explicatio satisfacit: unde animis intelligentium carmen offunditur, ut ad canendum Iovis filium instigentur. Confert Rauchensteinius Pyth. VI, 7. Ol. III, 9: (Πίσα) τᾶς ἄπο θεύμοροι νίσσονθ' ἑπ' ἀνθρώπους ἀοιδαί. Adde Nem. I, 5. Ceterum σοφούς cum Dissenio choreutas carmen canentes intelligo, uti fr. inc. 135. choreutis ἀκρόσοφα στόματα tribuuntur. Sic intelligitur unum ἱκομένους verum esse, h. e. ὁ ὕμνος ἀμφιβάλλεται σοφῶν μητίεσσιν, ἱκέσθαι καὶ κελαδεῖν. Aliter Hermannus p. 48. et Rauchensteinius p. 6. Et Hermannus quidem: „*Der dichter spricht allgemein: aus Olympia kommt den weisen stoff, den sohn des Kronos zu singen. Dieses gehört mit zu dem hauptgedanken des gedichts, der berühmtheit der olympischen spiele: aber weil dieses gedicht dem Hiero gesungen wird, so wendet Pindar gleich den gedanken so, dafs er in Beziehung mit dem Hiero tritt: indem sie zu dem reichen beglückten heerde des Hiero kommen, und zeigt auf diese weise die veranlassung des gedichts an.*"] — V. 9. σοφῶν. Sunt choreutae, ut Simonid. Epigr. 72. (76.): σοφοὶ ἀοιδοί. — V. 10. Κρόνου παῖδα, Olympicorum ludorum praesidem et victoriae auctorem, quare dictum pr. victoriam canere a Iove concessam. Habetur autem convivium in oeco virorum, opinor, qui ex Homero notus. Ac pulcre verba: ἀφνεὰν μάκαιραν ἑστίαν magnificum apparatum hospitalis convivii respiciunt, quo nunc excipiuntur. — V. 12. θεμιστεῖον, h. e. sceptrum regis ius dicentis et leges iubentis. — ἀμφέπει, tractat, Ol. VI, 93. — V. 13 sqq. δρέπων s. ἀποδρέπων pro δρεπόμενος, cf. Pyth. I, 49. IV, 130. VI, 48. — κορυφὰς ἀρετᾶν πασᾶν, cf. N. I, 34. Ol. II, 13. VII, 4. al. Non igitur dicit omnes virtutes habere Hieronem, sed principes omnium virtutum s. decora summa carpere. Intelliges nominatim fortitudinem bellicam, certaminum nobile studium, hospitalitatem erga poetas et artium musicarum amorem. — De v. ἄωτος cf. Buttm. Lexil. T. II. p. 15. Musices flore, h. e. carminibus lyraeque cantibus pulcherrimis. — Ἀγλαΐζεται, ornatur. Sensus: ut est insignis, celebratur etiam talis et ornatur a nobis. Denique quod post δρέπων verbum finitum positum, de eo conf. Pyth. III, 53. Isthm. III, 12. aliaque hic laudantem Boeckhium. Indicativus ubique fortior est et nervosior, quare vigorem affert haec ratio placetque quum alibi tum in fine periodorum, ut fortius insistat oratio. [Ἀγλαΐζεται, delectat animum, ut observat Hermannus p. 48., coll. Il. K, 330: μὴ μὲν τοῖς ἵπποισιν ἀνὴρ ἐποχήσεται ἄλλος Τρώων, ἀλλά σέ φημι διαμπερὲς ἀγλαϊεῖσθαι. Adde Simonid. Amorg. de mulier. 70: ὅστις τοιούτοις θυμὸν ἀγλαΐζεται. Ἀγλαΐζεσθαι ἔν τινι, ut Nem. III, 32: ἐν ἀρεταῖς γέγαθε, ut dicitur τέρπεσθαι, χαίρειν, in aliqua re oblectari, v. Bernhardy Synt. p. 210. Ait igitur Pindarus Hieronem, quum reliquarum virtutum praestantissimis ornatus sit, delectari etiam suavibus cantibus poetarum in epulis, h. e. scoliis, encomiis, paroeniis.] — V. 16. οἷα, quemadmodum, cf. Fragm. 103. Pyth. I, 73. II, 75. III, 18. VI, 21. — Vides poetas, qui saepe in conviviis et comissationibus familiariter coniuncti celebrarent regem illustrem. Cf. Boeckh. Quidni igitur etiam nunc affuerint? Immo hic ipse locus more Pindarico propter praesentis temporis similitudinem positus est.

V. 17—100. Media pars carminis, tota fere mythica. Progressus a laude victoriae mox Pelopis fabulam proponit, interposito loco de Tantali superbia poenaque. — V. 17. Δωρία φόρμιγξ est, cuius tensio Dorium modum habebat, cf. Boeckh. d. Metr. Pind. p. 256., ac significat poeta simul illustrissimam se eligere harmoniam, quum Doricum nomen ceteris illustrius sit, cf. ad Ol. VIII, 30. Patet autem nunc demum citharae cantum audiri coeptum, quum antecedentia ad solam tibiam cantata essent. Hermannus Δωρίαν φόρμιγγα interpretatur poesin Doriam; sic sensus esset: Age sume nunc Doriam poesin; quod non intelligo, quum talis iam in prooemio sit. [Hermannus p. 50. refutatis Boeckhii et Dissenii opinionibus ipse ita mentem poetae explicat: „*Wenn der dichter sagt: Nimm die dorische cither, so meint er nichts anderes als so will ich nun ein erhabnes lied singen. Denn eben hier hebt er nun an zu thun was er angekündigt hatte, das lob der olympischen spiele zur feier der siege des Hiero zu besingen.*" Aeolicam harmoniam huic carmini aptatam fuisse quum ex numeris patet tum v. 102. diserte dicitur. Vel sic cithara poterat Dorica esse, cfr. Boeckh. l. c. Fortasse tamen poeta simpli-

citer Doricam dixit, ut qua rex Doriensis in oeco suo celebraretur.] — V. 18. Φερένικος nomen nobilis equi, nominatum etiam Bacchylidi in Schol. et infr. Pyth. III, 74., si idem ibi equus est. — χάρις, gloria. — V. 19. φροντίσιν de curis poeticis, canendi studio, cf. Nem. X, 22. [φροντίδας carmina ipsa, curas interpretor, coll. Xenophanis fr. 7, 1: ἐνιαυτοὶ βλητοτρίζοντες ἐμὴν φροντίδ' ἀν' Ἑλλάδα γῆν.] — ὑπὸ-ἔθηκε, subiecit, quum memoria Pelopis et admiratio Pherenici currentis animum Pindari abriperet ad cantum. Videtur tum praesens fuisse Olympiae. — V. 21. παρέχων, exhibens, conspiciendum praebens; cf. Aesch. Pers. 22. Aristoph. Ran. 613. — ἀκέντητον, Hom. Il. XXIII, 387. Plat. Phaedr. 253, D. Asclepiades Samius ep. 29, 5. Mein.: ἦν γὰρ ἀκέντητος τελεοδρόμος. — V. 22. κράτει προσέμιξε, genus dicendi Pindaro usitatissimum, cf. Nem. I, 18. II, 22. Isthm. III, 3. Adde πέλασον infr. v. 78. κράτος, victoria. [„Substantivo δεσπόταν duplex additur appositio, altera quod Syracusanus fuerit, altera quod rei equestris studiosus rex. Itaque nomen Συρακόσιον, in quod duplex incidit ictus, sicut numeris ita grammatica structura extollitur." Rauchenstein. II, 7.] — V. 23. sq. λάμπει δέ οἱ κλέος cett. Sensus: Splendet autem regi gloria in egregia Pelopis nobilissimi colonia, qui a Neptuno amatus est seqq., atque ita transit ad fabulam. Πέλοπος ἀποικία urbs Pisa consulto nunc dicitur magnificentius, quum laus victoriae petatur e nobilitate loci, et potuit etiam recte dici, quoniam, non multis licet comitibus stipatus, regnum tamen consequutus est Pelops. Nam si non esset rex factus, sed in aequa iura cum suis receptus civis inter cives vixisset, vix poterat apte Pisa colonia Pelopis dici. Potius ἐποίκους tales homines nominasset. — V. 25. τοῦ μεγασθενὴς cett. Accedimus hinc ad fabulam de Pelope, quem ferebant quondam dissectum et coctum a patre Tantalo convivantibus apud se diis appositum, sed re cognita restitutum Iovis iussu a Mercurio aut Rhea, pro quibus Pindarus Parcam nominare creditur. Quum autem deesset humerus sinister a Cerere consumptus, eburneum additum. cf. Scholia ad h. l., Nonni Dion. XVIII, 27 sqq. et Lycophr. 152 seqq. Aristid. Orat. Smyrn. T. I. p. 272. Hanc fabulam Pindarus impiam dicit et aliter explicat. Fuisse convivium deorum apud Tantalum, ibi Neptunum amore incensum secum duxisse in Olympum puerum pulcrum, qui quum frustra quaesitus non reperiretur, a vicinis invidis inventam istam fabulam. Inspiciamus nunc propius poetae verba. Ex Pindari mente quum non consumptus sit humerus nec novus a Parca suppletus eburneus, quomodo tamen dicit: τοῦ ἐράσσατο Ποσειδᾶν, ἐπεί νιν — κεκαδμένον? Statuunt interpretes poetam hic primum vulgarem fabulam ponere, quam deinde neget. Sed vide quid dicat Pindarus ex hac ratione: „Hiero vicit in nobilissima Pelopis colonia, qui amatus est a Neptuno, propter humerum eburneum, quem tamen non habebat." Inest huic loco laus Olympiae et Pelopis, in qua re certa et vera exspectamus, nec potest una pars laudis vera esse (τοῦ — γαιάοχος), altera falsa (ἐπεὶ — κεκαδμένον), ubi serio laudes, nec licet vera et falsa continua oratione iungere. Quare ego aliam explicationem proponam. Etenim eburneum humerum Pelopi fuisse tam vulgata traditio fuit, ut non probabile sit hoc a Pindaro mythis tantum auctoritatis tribuente negari potuisse. Narrat Scholiastes: τούτου φασὶ καὶ ὑπόμνημα τοὺς Πελοπίδας φέρειν λευκότητά τινα κατὰ τὸν ὦμον, cui adde locos laudatos a Fr. Iacobsio ad Philostr. pag. 388. testantes idem. Ac vide de notis corporis generi alicui propriis Musgrav. ad Soph. Electr. v. 1233. Cautius igitur statuemus minime negari a Pindaro rem hoc modo firmatam, sed aliter explicari. Quodsi coctionem negat, eburneum humerum autem non negat, quid est quod censeat et censere potuerit? Censet natum esse puerum cum eburneo humero. Ac quum ex ipso Pindaro constet Parcas, quas λοχίας θεάς vocat Euripides Iph. Taur. 206., in partu adesse inprimis egregiorum, illustrium puerorum, cf. Ol. VI, 42. Nem. VII, 1., coll. Ol. XI, 51., ego ita intelligo locum: Vicit Hiero in nobilissima Pelopis colonia, qui a Neptuno amatus est inde a prima infantia, quum Clotho recens natum sustulisset e lebete eburneo humero splendentem. Est igitur λέβης usu Homerico pelvis, in qua lotus erat infans post partum. Epitheton καθαροῦ non simpliciter ornat, sed cogitare nos cogit de lebete, quem vulgaris fabulae inventores fingebant, ob caedem pueri μιαρῷ. — Nunc veritate breviter indicata v. 28. sic pergit: , Sunt mirae res multae, atque in his interdum etiam ultra veritatem quaedam exornata fallunt, ut nunc in Pelopis fabula verum miraculum humeri eburnei falsis commentis auctum et super veritatem ornatum est. Ego vero dico ab invidis excogitatam coctionem seqq." De hac ratione narrandi, ex qua verum primum breviter ponitur, deinde confirmatur et explicatur, vere Pindarica vid. Tom. I. p. XLIII sq.

[Contra Hermannum p. 52 sq., qui Dissenianam explicationem explodit, verissime disputat Rauchensteinius l. c. evicitque Dissenium cetera recte administrasse, in eo uno tamen falsum esse, quod Pelopem Neptuno amatum a prima infantia intellexit. „Immo," ait, „ἐπεί est quia, et omnino hoc dicitur: Neptunus eum amavit, quia pulcher erat et inde a prima infantia humero eburneo, i. e. eboris splendorem referente, Parcae dono insignis. — Sic autem fabulam narrare instituit poeta, cui vulgatam narrationem cognitam fuisse non negamus, ut statim ab initio appareret deseri ab eo vulgarem narrationem novamque viam iniri." Haec et reliqua mihi verissime dicta videntur, ut iam locus certissime explanatus credendus sit. Idem iudicaverat Petri l. c. itaque quidam veteres intellexisse videntur. Nam Scholl.: ἐπεί· οἷον ἀφ' οὗ, οἱ δὲ ἐπειδή.] — V. 28. καί πού τι καί, ut Thuc. II, 87: καί πού τι καὶ ἡ ἀπειρία πρῶτον ναυμαχοῦντας ἔσφηλεν. — βροτῶν φάτιν, narrationem, famam fallunt, h. e. fallunt homines, ut corrumpatur fama. ὑπὲρ τὸν ἀληθῆ λόγ. iunge cum δεδαιδαλμένοι. [Non immerito Rauchensteinius p. 8. scripturam φάτις commendat, quam et mihi probari indicavi in nota critica. Profecto, ait poeta, mirabilia sunt multa, ac fere etiam hominum sermo, dum verum excedit, exornatae inquam versicoloribus mendaciis fabulae fallunt. Ἐξαπατῶντι tum absolute dictum, ut Nem. VII, 23: σοφία δὲ κλέπτει παράγοισα μύθοις, coll. Pyth. II, 17.] — V. 30 sq. χάρις, cf. Ol. XIV, 5. — ἐπιφέροισα τιμάν, auctoritatem afferens rebus, ut credantur, cf. Pyth. IV, 278. — V. 33. ἀμέραι seqq. cf. Ol. XI, 53. et Xenoph. Hist. Gr. III, 3, 2. et de plurali ἀμέραι cf. Blomfld. Aesch. Agam. v. 1636. [Si rei indignitas post longa tempora aliquem impulerit, ut convenientius rem refingat, potest tempus dici veritatem aperuisse et testimonium attulisse." Rauchenstein. p. 9., quem vide.] — V. 35. μείων, ne dicat οὐδεμία, minore saltem culpa errabimus bona fingendo. Est hic usus comparativi non infrequens. cf. Pyth. I, 82. Soph. Ai. 264. Hom. Od. III, 69., ubi vid. Nitzsch. Notabis inprimis etiam modeste, caute, religiose loquentes eo uti. [Comparativi vim ita declarat Hermannus p. 55. „*Von den göttern etwas zu behaupten ist stets anmafslich und gefahrvoll: geringer ist daher die schuld, wenn man wenigstens gutes von ihnen sagt.*" Saepissime ita οὐκ ἄμεινον, οὐ λώϊον simm. dicuntur, veluti Heracliti sententia extat apud Stobaeum Floril. III, 83. Ἀνθρώ-

ποις γίγνεσθαι ὁκόσα θέλουσιν οὐκ ἄμεινον.] — V. 37 sq. Σίπυλος, urbs sita ad montem eiusdem nominis in Lydia, postea terrae motu vastata. — φίλα epico more. — ἔρανον appellat etiam Euripid. Helen. v. 395. — εὐνομώτατον, h. e. non cruentum caede filii. — V. 40. τότ' — ἁρπάσαι. Ex Pindari sententia Neptunus puerum inde a partu sibi carum nunc cupiditate domitus rapit et in Olympum abducit, quum aptus iam esset amoribus. — V. 41. χρύσεαι ἵπποι, currus aureus. — V. 43 sqq. τῶν τ' ἐπὶ χρέος, de usu Venereo dictum esse patet. De usu v. χρέος v. Oppian. Hal. I, 583. Anthol. Palat. XII, CCXI, 5. Commemorat vero Ganymedem ea de causa, ut alio exemplo illustret et confirmet quem ipse ad fabulam Pelopiam melius explicandam ponit raptum Pelopis in coelum ad amoris usum. — δευτέρῳ χρόνῳ. Placet nunc Boeckhio filium Laomedontis a Pindaro Ganymedem habitum, de qua genealogia cf. Cic. Tuscul. I, 26, 65. et Eurip. Troad. 822. Sic post Pelopem venire potuit, quum Pelops Laomedontis esset aequalis, cf. Schol. [Illam genealogiam ceteris praeivit auctor Iliadis parvae in scholl. Vatic. Eur. Troadd. 822. Adde scholl. Orest. 1392. et O. Muelleri epist. ante Ibycum meum p. XV.] — V. 46 sqq. ματρί, suaviter, cf. Nem. I, 74. Pyth. IV, 330. Pyth. VIII, 122. — ὕδατος — ἀκμάν, ad aquae vim ferventem, ὕδωρ ἀκμαίως ξέον. — V. 50. τραπέζαισί τ' ἀμφί, in mensis circum dividebant. — δεύματα κρεῶν, carnes embammate sive iusculo imbutae, ut fallerentur dii, quos tentare volebat Tantalus. Ego cur non probem δεύτατα cum aliis viris doctis, hinc accipe. Plane evanuerat Pelops sublatus in Olympum. Hinc vicini dixerunt eum in illo convivio coctum et comesum. Iam pone alteram lectionem δεύτατα, quae si de extrema corporis parte, humero, intelligitur, vicini humerum tantum consumptum dixerunt, et puer statim restitutus est. Cur autem nihilominus evanuit? En tibi ineptos homines, qui cur evanuisset puer explicaturi invenerunt fabulam de humero absumpto, tum restituto! An voluerunt humerum absumptum, tum restitutum, denique puerum a Neptuno in coelum raptum? Vides, quam multa hic suppleant interpretes, quae non leguntur nec poterant omnino vicinis a poeta tribui. Nam in coctionem quidem inciderunt facile, quum convivium scirent fuisse; quare hoc verisimiliter ponit Pindarus; sed cetera omnia de humero absumpto, restituto, de ebore apposito, de raptu

Neptuni, unde quaeso suspicari poterant? Contra ex nostra ratione omnia clara. Alii ἀμφὶ δεύτατα iungunt et circa finem convivii explicant, ut sunt δεύτεροι τράπεζαι. Sed hi primum non docuerunt δεύτατα sic dictum, deinde additamentum inferunt alienum. Vicini dicere debebant Pelopem comesum, nihil amplius. Sive enim medio sive ultimo convivio comesus est, hoc nihil ad rem. Verum, ais, gravius accusant, insuper significantes tanquam delicias quasdam eximias ad secundas mensas reservatum puerum. Verum hoc quoque alienum esse dico. Pindarus nihil ponit nec ponere debet, nisi quod ad fabulam vulgarem explicandam pertineat. Sed quomodo orta est vulgaris fabula? Nempe, quod fraudem fecit plerisque, Pindarus tantum fundamenta rei indicavit, unde tamen cetera facillime colligi poterant. Nam quum aliquo tempore post Pelops a superis remissus esset, intellectum sane eum non devoratum esse; quare posteriores fabulas duas oblatas de humero eburneo et de coctione ita coniunxerunt, ut dissectum quidem et coctum traderent Pelopem, sed consumptum tamen humerum tantum et statim suppletum ebore. Ac consulto Pindarus supra Pelopem inde a prima infantia a Neptuno amatum significaturus ita dixit: ἐπεί νιν καθαροῦ λέβητος ἕξελε Κλωθώ, ut monstraret, quomodo posteriores, vera traditione male intellecta, de coquinario lebete cogitare et ad coctionem humerum eburneum revocare potuerint. Atque ita nunc declarata videtur vera mens Pindari, ac negari nequit facilem esse et claram eius explicationem, quod unum postulari poterat pro ratione illius temporis. Ex nostratibus nuper Völckerus de Pelopis coctione egit *Mytholog. d. Iapetischen Geschlechts* p. 352. Denique post omnia si quaeritur etiam illud, cur omnino intexuerit Pindarus hanc refutationem fabulae vulgaris: foeda erat coctio, foeda γαστριμαργία deorum, maxime Cereris, cuius religio Hieroni erat domestica, contra suavis cogitatio nati pueri cum eburnei humeri splendore. Quare sublatis quae abominabilia, omnem rem ad meliorem speciem revocavit, ut et Pelops amatus a Neptuno similior esset Hieroni et Tantalus commodius exemplum superbiae regiae punitae, quae ferre fortunam non posset. Ceterum cfr. Tom. I. p. XXXIX. [δεύτατα, quam diximus in not. crit. unam scripturam videri veteres habuisse, ingeniose Rauchensteinius p. 9. defendit. Hoc dicere poetam: Quum te, Pelops, Neptunus in Olympum abduxisset nec tui vestigium ullum reperiretur, vicini invidi narraverunt deos te circa lebetem bullientem membratim (κατὰ μέλη mavult Rauchensteinius, idque nunc et ipse praefero, ut dicitur μελεϊστὶ ταμεῖν, quo fortius dissectionis et distributionis notio extollatur) dissecuisse atque ultima carnium tuarum frusta divisisse ac devorasse. Ultima carnium dixit, quia hoc voluit: devorasse deos vicini dixerunt te prorsus nec tui quidquam reliqui fecisse. Sic enim interpretabantur, quod Pelops e conspectu hominum sublatus erat.] — V. 52. ἀφίσταμαι, desisto, abhorreo, cf. Plat. Euthyd. p. 303. A. ibique Winckelmann. Demosthen. π. παραπρεσβ. p. 355, 20. Pind. Nem. V, 16. — V. 53. ἀκέρδεια, damnum, ut ἀνωφελής, ἄχρηστος, inutilis pr. noxius. Heindorf. ad Plat. Protag. p. 549. Nos: *Sie haben es keinen gewinn.* — κακαγόρος, κακηγόρους [de scriptura cfr. Add. et Corr. Tom. I. p. 351.]. — V. 54. Sequitur hinc usque ad v. 65. locus de Tantali superbia et poena, quo Hieronem tecte monet. — εἴ τινα, si quem unquam, cf. de hoc genere dicendi Valckenar. ad Eur. Phoeniss. 1589. Blomfield. ad Aesch. Agamemn. 907. — Ὀλύμπου σκοποί, custodes, domini, cfr. Ol. VI, 59. XIV, 4. De Tantalo diis dilectissimo confer Ovid. Metam. VI, 172. — V. 55. καταπέψαι, metaphorice: bene administrare, habere, frui, ut non noceat. Hesychius: καταπέψαι· καταπραΰναι ἢ ἐν αὑτῷ κατασχεῖν, μεταφορικῶς ἀπὸ τῶν πεσσομένων σίτων. Dicitur sic de re, quae nocere possit, nisi eam subigas et modereris, quemadmodum qui editur cibus concoquitur, subigitur. Similiter fere Homer. Il. I, 81: χόλον καταπέψῃ. De alia significat. verb. cf. ad v. 83. Cum v. ἕλεν cfr. Pyth. II, 30. — V. 57. ὑπέροπλον, ingentem, Buttm. Lexil. T. II. p. 215. — ἄν οἱ πατὴρ — λίθον. Ad v. ὑπερκρέμασε alludit Polyb. apud Suid. v. ἐπικρεμ. sic: Οἷς δ' ἅμα ἀναταθεὶς καὶ τὸν ἐξ αὐτοῦ φόβον ἐπικρεμάσας. Porro ne duplex pronomen iungatur cum verbo ὑπερκρέμασε, interpretes πατὴρ οἱ accipiunt pr. pater eius. Sed primum ita οἱ ponitur pro eius aut suus, ut ubique etiam cum verbo iungatur et vere dativus sit, ut ex ipsis allatis exemplis patet, Ol. II, 14. VIII, 83. IX, 15. Pyth. I, 7. Nem. VII, 22. Sed dabo hoc; vel sic quis quaeso ferat hoc: τόν οἱ πατὴρ ὑπερκρέμασεν αὐτῷ, quem pater eius suspendit ei, in quo plane intolerabile est sic bis positum pronomen. Vides quid sequatur: αὐτῷ non potuisset inferri, nisi verba καρτερὸν λίθον adessent. Nempe ἄν οἱ πατὴρ

ὑπερκρέμασε dum lego, pronomen iungo necessario cum verbo, tum sequentia καρτερὸν αὐτῷ λίθον legens novum vigorem orationi accedere sentio, quum interpositum αὐτῷ acuat appositionem. Constat autem inprimis apud Atticos saepissime hoc pronomen inferri cum virtute quadam orationis, Heind. ad Plat. Gorg. p. 482. D., et saepe quidem infertur ad praecedentem vocem acuendam, non solum post interiecta membra, ut Plat. Gorg. p. 482. D. αὐτὸν post αἰσχυνθῆναι redit, sed etiam in continua oratione, quemadmodum Plat. Theaet. p. 155. D. χάριν οὖν μοι εἴσῃ, ἐάν σοι ἀνδρός, μᾶλλον δὲ ἀνδρῶν ὀνομαστῶν τῆς διανοίας τὴν ἀλήθειαν ἀποκεκρυμμένην συνεξερευνήσωμαι, αὐτῶν, ubi verbum συνεξερευνήσωμαι suaviter acuitur subiecto pronomine, ut aculeum habeat. Similiter pronomen is acuit praecedentem vocem (Cic. d. Off. I, 38. §. 137.). Nunc igitur similem quodammodo esse dico huius pronominis vim, quod hic solius appositionis causa post οἵ repetitum est, constructione vero cum verbo cohaeret. [καρτερὸν αὐτῷ λίθον, sc. ὑπερκρεμάσας]. — V. 58 sqq. κεφαλᾶς βαλεῖν, cf. Matth. Gr. §. 354. ξ. Ceterum cfr. Isthm. VII, 9. — ἁλᾶται, Eurip. Troad. 635. Blomfld. ad Aesch. Spt. 783. Hermann. ad Eurip. Suppl. 69. — βίος, de vita apud inferos, veluti Ol. II, 63. — Verba μετὰ τριῶν obscuriora sunt. Constructione facillimum est, si intelligas μετὰ τριῶν πόνων; ac sitim certe et famem habemus Odyss. XI, 582 sqq., sed quam his Scholia addunt standi molestam necessitatem, petitam e verbis Homeri ἑσταότ' ἐν λίμνῃ, eam tamen alibi non memorari monitum est, quanquam probari nequit eam non cogitatam a Pindaro. Boeckhius aliique ἀνδρῶν supplent, ut intelligantur Sisyphus, Tityus, Ixion. [Boeckhio assentitur Rauchensteinius p. 11., qui Heimsoethii miram explicationem refellit.] Mihi mens ad simplicissimum inclinat; quae vero tertia ab Heynio proponitur ratio: continuum, quartum post tertium, eam exemplis firmatam non vidi, licet nota sint τρισάθλιος, τρίσμακαρ, alia multa similia proverbialiter dicta. Sequentia construe: ἀθανάτων ὅτι κλέψαις νέκταρ κ. τ. λ. Admissus ad Iovis mensam furatus est nectar et ambrosiam, eaque vulgavit compotatoribus suis impertita. Ceterum de furto Tantali Tafel. confert Nonn. Dionys. I, 145. XVIII, 31. Denique de Tantali poena vid. Boeckh. h. l., Welcker. ad Alcman. p. 60 sqq., Nitzsch. ad Odysseae l. c., Tafel. ad hunc Pindari locum et viros ab his laudatos. Fuit rex dives et felix, unde a diis

dicitur mirifice dilectus; postea vero, urbe regia deleta, excogitatae fabulae de superbia et poenis eius. — [V. 64. θῆκαν probat Rauchensteinius, vide Add. et Corr. Tom. I. p. 351., et v. 65. pronomine οἵ significari dicit, quid illud, quod filius remitteretur ad homines, Tantali interfuerit. Aliter Hermannus p. 60.] — V. 65. τοὔνεκα sqq., ut quam amicis suis temere tribuere volebat immortalitatem, ea se doleret filium suum privasse. — V. 67 sqq. Redit ad Pelopem. — πρὸς εὐάνθ. φυάν, Pyth. IX, 25. — μέλαν γένειον ἔρεφον, h. e. ut nigresceret, genus dicendi rarum apud Pindarum, frequens apud Tragicos, cf. Herm. ad Soph. Oed. Col. 1202. ad Antig. v. 524. 872., alibi. Vid. inprimis Heller. ad Oed. Col. 1194. uberrime hanc prolepsin explicantem. — ἑτοῖμον γάμον, paratum et oblatum iis, qui ambire vellent, coniugium s. coniugem. — Πισάτα π. πατρ. σχεθέμεν, a patre certamine obtinere. Iam patronum suum Neptunum invocat ut equorum deum. — V. 71. ἄγχι πολιᾶς ἁλός, ut magis audiatur a Neptuno; conf. Ol. VI, 58. cum Scholiis. Tafelius bene comparat Nonn. Dionys. XXXV, 190. — ἐν ὄρφνᾳ, cf. Ol. VI, 61. — V. 75 sqq. φίλια δῶρα Κυπρίας, gaudia Veneris, ut Nem. VIII, 7. Sensus: Si tibi dona Veneris gaudio sunt, τέλλεται ἐς χάριν, „fuit aut tibi quidquam dulce meum" Virg. Aen. IV, 307., me adiuva. Ceterum cf. Eurip. Heraclid. 351: εἰς εὐπραξίαν ὑπάρχειν. — πέδασον, inhibe, quum a tergo instans transfigeret certantes, cf. Pausan. VIII, 14. — ταχυτάτων ἁρμάτων, vides Λύδιον ἅρμα, de quo dictum in Introd. — κράτει πέλασον, cf. ad v. 22. — τρεῖς τε καὶ δέκα, cf. Herm. ad Soph. Electr. 873. et quae ibi laudata. Add. Lobeck. ad Phrynich. p. 410. Ponuntur τε καί amplificationis causa; cf. ad Ol. XIV, 5. et ad Demosth. de Cor. p. 165. — V. 81 sqq. Sensus: Scio fortitudine et audacia opus esse in hac re, magnum periculum imbellem virum non recipit, admittit (λαμβάνει), sed quum mortalis natus sim, quid prodest vita nisi nobili facto illustrata? — καθήμενος, otiose sedens. Nota vero cumulationem, ἀνώνυμον, ἐν σκότῳ, μάταν, ἁπάντων καλῶν ἄμμορος, ubi καλὰ sunt laudes, Ol. X, 18. Isthm. VII. fin. Tum γῆρας ἔψοι, ut Pyth. IV, 186. τὰν ἀκίνδυνον αἰῶνα πέσσοντ', h. e. fovere, colere, studiose servare, Hom. Il. II, 237. γέρα πεσσέμεν. Metaphora inde ducta, quod qui ederunt diligenter servant stomacho cibos, caventque ne turbetur concoctio. Denique βέλος πέσσῃ Il. VIII, 513.,

κήδεα πέσσει Il. XXIV, 617. similia, pro laborare, ducta videntur a labore concoctionis. [A coquendo potius ductum simile censet Hermannus, ut nos utimur v. *brüten*. Idem v. 86, suppleto αὐτοῦ etiam sic ait intelligi posse: neque eum irritis verbis aggressus est.] — V. 84. ἀλλ' ἐμοὶ μὲν sqq., sed ego non ero talis. ὑποκείσεται, mihi certum est subire hoc certamen. Proprie materia artis subiecta dicitur artificibus, in qua versantur, quam tractant, cf. Cic. d. Off. I, 5, 17. Inde ducta alia. Plutarch. in Pericle cap. VI: ὑπέκειτο γὰρ τῷ μὲν (τῷ φυσικῷ) ἐκ τίνων γέγονε καὶ πῶς πέφυκε θεωρῆσαι, τῷ δὲ (μάντιν dicit) πρὸς τί γέγονε καὶ τί σημαίνει προειπεῖν. [Conf. Weberum ad Demosth. in Aristocr. p. 271.] — V. 85. πρᾶξιν, eventum, Pyth. IX, 68. Aesch. Cho. 801. πρᾶξις αὐγία. Intpp. Soph. Ai. 783. — V. 86. οὐδ' — ἐφάψατ', neque irritas preces fecit. Verbum cum dativ. Pyth. VIII, 60. Nem. VIII, 36., cum genit. Ol. IX, 13: οὔτοι χαμαιπετέων λόγων ἐφάψεαι; Pyth. III, 29. — ἀγάλλων, h. e. κοσμῶν, τιμῶν, Nem. V, 43. Equi alati Pelopis expressi erant in arca Cypseli, Pausan. V, 17, 4. et vid. Palaephat. c. 30. Adde Pherecyd. in Schol. ad Soph. Electr. 498. Eurip. Orest. 979. — V. 87. χρύσεον δίφρον, ut Soph. Electr. 503. Ceterum conf. Philostrati Imaginum I, 30., ubi Pelops in litore maris cum quadrigis a Neptuno concessis ipsoque Neptuno, et quae ibi notant editores. — V. 88. ἕλεν, duplici significatione, ut ἐκράτησε Nem. X, 25., vicit Oenomaum, obtinuit virginem. [Vide similia apud Lobeck. Aiac. p. 431. Soph. Trach. 364: ὡς τῆς κόρης ταύτης ἕκατι κεῖνος Εὔρυτόν θ' ἕλοι τὴν θ' ὑψίπυργον Οἰχαλίαν. Similis brachylogia est Pyth. I, 40., ubi vide not. crit.] — ἐξ υἱούς, cf. Boeckh. ad h. l. et Schol. — μεμαλότας, gratos, caros; usitatissima dictio μεμηλώς, μέλων, μέλημά τινι, cf. Pind. Ind. et vid. plura apud Boeckh. et Tafel. Illud dubito, deas hic esse virtutes. Potest aliquis suavi translatione gratus virtuti, pulcritudini, hilaritati, lyrae, aliis rebus dici, quae tamen deae non sint. Cf. etiam ad Ol. II, 19. et fr. inc. 24. Ceterum vides tacere Pindarum Atrei et Thyestae nefaria discidia. [μεμαότας mecum praefert Rauchensteinius. At παντοίαις ἀρετῇσι μεμηλότες εἰσὶ μαχηταί Nonni Dionys. XXXVII, 135. stabilire vulgatum videtur. Ceterum non sequi ex his verbis Pindarum aut ignorasse aut non credidisse quae de Atrei et Thyestae facinoribus tragici poetae narrant, sed fortes

eos atque bellicosos dici observavit Hermannus. Idem v. 92. de Pelopis dici gloria, non Hieronis, pro certo ponit, quo ipsa collocatio verbi Πέλοπος et sententiarum progressus ducat. Non persuadet. Redit enim poeta iam eo, unde profectus erat, ad Pelopem, v. 23. λάμπει δέ οἱ κλέος ἐν εὐάνορι Λυδοῦ Πέλοπος ἀποικίᾳ.] — V. 90 sq. Nunc pro heroe colitur. ἐν — μέμικται, cf. ad v. 22. Ceterum cf. similem locum Isthm. III, 76. — αἱμακουρίαις, quae Pelopi quotannis fiebant ariete caeso, Pausan. V, 13, 2. Vox Dorica et Boeotica. Satiari sanguine dicebantur manes precibus evocati sacrisque quodammodo interesse visi. Apte confertur locus Plut. Aristid. c. 21. — κλιθεὶς πόρῳ, iacens ad, Hom. Il. V, 709. — V. 92 sqq. In Alti erat Pelopium, τέμενος, ἀρχαῖον σᾶμα Πέλοπος, Ol. XI, 25., de quo Pausan. V, 13., coll. 26. In eo hunc tumulum puta fuisse, ἀμφίπολον, h. e. celebratum frequentia hominum adeuntium. Vicina erat magna ara Iovis, Pausan. V, 13, 5. πολυξενώτατος, quum in ea ara peregrinorum plurimi sacrificia offerrent Olympiorum tempore. — τὸ δὲ κλέος sqq. Nihili est: Gloria Pelopis longe splendet aut e longinquo splendet in curriculis. Iunge potius κλέος ἐν δρόμοις, h. e. gloria parta in curriculis, ut saepe Pindarus, cf. Ol. VIII, 56. 83. Pyth. VI, 18. VII, 13. Porro cum δρόμοις iunge utrumque genitivum; ac Πέλοπος δρόμοι sunt in quibus Pelops olim certavit, et Ὀλυμπιάδων δρόμοι dicti, ut Pyth. I, 32. Πυθιάδος ἐν δρόμῳ. Iam verte: Gloria autem longe splendet parta Olympicorum ludorum in curriculis Pelopiis. Est enim hic nexus loci: Laudans poeta Pelopem etiam tunc cultum et celebratum, et sic ad praesentia tempora paulatim rediens, dicit: Nunc autem pro heroe colitur, tumulum habens celeberrimum, gloria autem, quae paratur in curriculis eius, maxima est. Alii vertent: Gloria Pelopis parta in curriculis Olympicorum ludorum, h. e. ubi instituti ludi Olympici. Sed minime placet repetita certaminis olim a Pelope facti laus: aptior et nervosior praesentium cursuum memoratio cum Pelopis laude iuncta. Ceterum certatum esse a Pelope cum Oenomao Olympiae, quo loco hippodromus Olympicus, vetustior traditio; alia est, quae cursum usque ad Isthmum Neptunium extendit. — ταχυτὰς ποδῶν, etiam equorum, ut nunc Pherenici. — ἀκμαὶ ἰσχύος, certamina cetera praeter cursum. — θρασύπονοι, Nem. V, 39. — ἀμφί, v. Ol. II, 30. — εὐ-

δίαν, serenitatem, felicitatem. Plat. Rep. V, 465. D.: ζήσουσι τοῦ μακαριστοῦ βίου, ὃν οἱ Ὀλυμπιονῖκαι ζῶσι, μακαριώτερον. — ἀέθλων γ' ἔνεκεν, quantum quidem certamina praestare possunt. Cf. Blomfld. ad Aesch. Pers. 343. Religiose dictum. Recte Scholia: πολλάκις μέντοι εἴωθε δι' ἑτέρας συμφορὰς λυπεῖσθαι. — τὸ δ' αἰεὶ παράμερον sqq., quod semper praesens est et manet. ἔρχεται, contingit, Latinis venire. Sic haec cum antecedentibus bene cohaerent. Alii αἰεὶ pro ἑκάστοτε accipiunt, quod non placet propter verba λοιπὸν ἀμφὶ βίοτον.

V. 100 — ad fin. Exitus carminis, redeunte poeta ad Hieronem. — ἱππίῳ νόμῳ. Quum haberentur ex antiquiore musica nomi equestres et curules, qualis Olympi νόμος ἁρμάτιος auloedicus et nobile Castoreum, Pyth. II, 69. Isthm. I, 26., vid. Boeckh. d. Metr. Pindar. p. 276., Pindarus νόμον ἵππιον dicit hoc carmen Pelopia fabula ornatum, quo celebrat Hieronis equestria studia, suaviter comparans nobile in musicis genus, licet non essent νόμοι carmina sua. Canebatur autem hoc carmen Αἰολῇδι μολπᾷ, h. e. Aeolio modo, ut etiam rhythmi ostendunt Aeolii, cf. Boeckh. d. Metr. Pind. III. p. 256. et 276.; quod cur memoret poeta et hoc loco memoret, causa haec videtur, quia haud dubie celebres erant νόμοι ἵππιοι Aeolii, quum Aeoles atque etiam Thebani rei equestris studiosissimi essent. Sensus igitur loci hic: Ego vero ornare illum debeo exquisite, equestri nomo Aeolio. — V. 104. καλῶν ἴδριν Boeckhius musices peritum intelligit; intellige potius qui καλὰ peragere novit, ut certaminum studium significetur, quod propter sequentia vix hic praeteriri poterat. Porro attende positivum, deinde comparativum positum: nam καλῶν ἴδριες erant etiam alii nobiles reges, potentior vero Graecorum nemo. Verte: Neminem, qui ambas has laudes coniunctas habeat, ut sit καλῶν ἴδρις simulque potentior. — ὕμνων πτυχαὶ quae sint, maxime dubitatur. Quidam sinus vestium cogitant et cum veste hymnum comparari statuunt, quanquam nullum est huius comparationis exemplum apud Pindarum; coronae comparatio Pindarica est. Boeckhio meo sunt „artificiosi flexus numerorum, harmoniae, saltationis, non tamen proprie et unice ob strophas antistrophasque et epodos." Sed πτυχὰς ὕμνων hos dici posse dubito; certe saltationis flexus non sunt poeseos flexus, nec rhythmi credo et harmoniae.

Neque alibi hi flexus a poeta memorantur, aut hoc carmen eiusmodi est, ut hic prae aliis videantur memorari debuisse. Mihi potius ad fabulae supra lectae propositam interiorem rationem respicere et hoc dicere videtur Pindarus, insigniorem se neminem reconditis poesios recessibus ornaturum. πτυχαὶ enim sunt valles et recessus, veluti aetheris, cf. Elmsl. ad Eurip. Med. p. 1264., inprimis vero montium, ut Olympi, Pindi, Pelii, Parnassi, Idae, quod notissimum. Tribuebat haud dubie multum propositae a se emendationi fabulae, atque est ea decus carminis pulcherrimum; commode igitur exquisitiora haec propter viri excellentiam dicta significat. Rariores verborum significationes classicus scriptor curare debet ut e ceteris, quae dixit, intelligi possint; quare haec quoque metaphora per se obscurior ad huius carminis rationem recte mihi revocata videtur. Ac non semel Pindarus hoc modo explicandus. [ὕμνων πτυχάς cum scholl. et Boeckhio interpretatur Hermannus p. 65. Compares in eam sententiam Simonidis καμπύλον μέλος de flexibus hyporchematis dictum. Scholia: τῷ ὕμνῳ κατὰ περίφρασιν. οἰκείως δὲ πρὸς τὸ δαιδαλωσέμεν καὶ τὸ ποικίλλειν ὥςπερ ἐπὶ κατασκευάσματος τὸ πτυχαῖς ἐπήγαγεν.] De coniunctione verborum δαιδαλῶσαι πτυχαῖς ὕμνων vide ad Pyth. IV, 158. — V. 106 sqq. Construe: θεὸς ἐπίτροπος ἐὼν — τεαῖσι μερίμναισι, et μερίμνας usu Pindarico de studio rerum laudabilium dictas (Ol. II, 54.) nunc intellige conatus ad victorias ludicras reportandas, ut Nem. III, 69. Pyth. VIII, 92. Tum μήδεται absolute positum, ut Nem. VI, 56: ἕπομαι δὲ καὶ αὐτὸς ἴχων μελέταν. Verte: Deus patronus conatibus tuis prospicit, habens hanc curam, h. e. studiose prospicit, εἰς τοῦτο σπουδάζων, ut bene explicat Schol. — εἰ δὲ μὴ ταχὺ λίποι (cfr. Ol. XIII, 101.), leniter monet poeta deorum mentem facile posse averti. In sqq. v. 110. interpunxi iterum post κλεΐξειν, et γλυκυτέραν intelligo μέριμναν, h. e. iucundiorem curam et spem, curulem puta quadrigarum victoriam, quam etiam adeptam Hieroni sequente Olymp. docuit Boeckhius. Quare σὺν ἅρματι referes ad γλυκυτέραν, ut νίκα ἅρματι, ἵπποις saepissime et Nem. X, 48. σὺν ποδῶν σθένει νικᾶσαι. — Tum ὁδὸς λόγων est via, ratio laudis, genus laudum, ut Nem. VII, 51.; cf. Küst. ad Aristoph. Equitt. 1012. et Brunck. ad Soph. Oed. R. 310. — ἐπίκουρος, adiuvans victoriae splendorem (cf. Ol. XIII, 93.), aptus, conveniens. Sperat igitur mox gratiorem se victoriam celebraturum, apto invento

genere laudis, quemadmodum nunc hanc equestrem victoriam aptissimo mytho ornavit. — V. 111. *εὐδείελον*, apricum, ut vult Buttm. Lexil. T. II. p. 190.; aliis est *εὔθηλος*, *εὐόρατος*. *Κρόνιον* mons situs ad septentrionale latus Altis. — *βέλος*, quum quasi tela ab arcu sententiae e mente poetae mittantur ad scopum propositum, cf. Ol. II, 90. IX, 5. XIII, 95. — *καρτερώτατον ἀλκᾷ*, ut *πυκνότατον πελάμαις* Ol. XIII, 52. Anaxagorae dictum, *ὁμοῦ πάντα χρήματα ἦν, ἄπειρα καὶ πλῆθος καὶ σμικρότητα*, laudatur etiam sic: *ἄπειρα καὶ πλήθει καὶ σμικρότητι*; cf. Schaubach. Fragm. Anaxag. p. 70. Dativus est exquisitior. [Cf. Lobeck. Paralipp. II. p. 528. Hermanno dubitari posse videtur, an non *ἀλκᾷ* vere dativus sit, h. e. *ἐπὶ κουρίᾳ, βοηθείᾳ*. — V. 113. Alii aliis in rebus magni sunt eoque gloriantur. *Ἐπ' ἄλλοισιν* a poeta scriptum monet Hermannus, quia in *μεγάλοι* latent significatio *καυχῶνται*.] — V. 114. *πάπταινε*, cf. Pyth. III, 22. Isthm. VI, 44. — V. 115. *ὑψοῦ πατεῖν* ad regiam potentiam pertinet, victoriarum gloria ornatam. — *εἴη*, Pyth. I, 29. Similiter Latini, cf. ad Tibull. I, 6, 24. — *τοῦτον χρόνον*, per vitae tuae tempus. Pronomen *οὗτος* legitime dicitur de iis, quae habemus, quibus utimur. — *τοσσάδε*, quoties victores prodierint e ludis. Cogitat de Hierone. [Scholia: *ἀντὶ τοῦ τοσούτοις* (vel *τοσοῦτο*) *νικηφόροις ὁμιλεῖν, οἷος εἶ σύ*. Aliud scholium: *εἴη ἐμὲ τοσαῦτα τοῖς νικηφόροις προσδιαλέγεσθαι τοῖς ἐγκωμίοις*. — *Ἄλλως. ἐμὲ δὲ ἐπινικίους γράφειν*. — *χαίρω δὲ γράφων τοιάδε καὶ ἔσται τοιαῦτα, οἷα ἐπὶ σοῦ*. Petri p. 22: „Utinam quod vitae tuae reliquum est, in summo rerum certaminumque inprimis fastigio collocatus transigas, et quoties in arenam descenderis victoria reportata celebreris." Similiter Hermannus p. 66: „*Τοσσάδε bezieht sich, wie νικαφόροις zeigt, auf die siege. Und möge ich jedesmal den siegern (so oft sie siegen: er denkt an den Hiero) mit meinem gesange zur seite stehen.*" Illud dubito, annon poeta *τοσσάκις* scripserit.] Conferes cum hoc exitu eum, qui est Ol. VI.

CARMEN OLYMPICUM SECUNDUM.

INTRODUCTIO.

Victoria haec curulis reportata Ol. 76, 1. Thero, ex Emmenidarum nobilissima gente, originem ducebat a Cadmo, Oedipode, Polynicis filio Thersandro, Tisameno, Autesione, Thera, aliis, etiam Emmenide s. Emmene, de quorum serie cf. Boeckh. in Introd. ad h. c. et Müller. in Histor. Doricus. T. II. p. 508. (487.) Ac Theras quidem e Laconica coloniam in insulam Theram deduxerat; eius nepos Telemachus Rhodum petierat, ut videtur; huius posteri ab Emmene sive Emmenide Emmenidae dicti migraverant Gelam in Siciliam, inde Agrigentum, ubi constantior fortuna iis contigit, et Thero tyrannidem adeo occupaverat, inde ab Ol. 73, 1. usque ad mortem Ol. 76, 4. per sedecim annos retentam: vir eximius, et dum vivebat bona fama et post mortem pro heroe cultus. Sed ab initio huius ipsius anni Capys et Hippocrates propinqui, beneficiis antea onerati, defecerant proditionem moliti cum Himerensibus subditis regi. Quae res exitiosa fieri potuisset Theroni propter Hieronis tum imminens bellum. Etenim Thero olim Damaretam filiam in matrimonium dederat Geloni, Syracusarum tyranno, qui moriens exercitum reliquerat Polyzelo fratri cum uxore et filio, ut is huic adulto tyrannidem vindicaret, interim ab Hierone occupatam. Hinc Hieronis animus a Polyzelo abalienatus, et quum hic postremo ad Theronem cum Damareta transfugisset, Hiero de bello Theroni et Polyzelo inferendo cogitabat. Qua tum opportunitate uti volebant Capys et Hippocrates ad consilia sua perfida exsequenda. Sed periculum feliciter aversum, pax inter Theronem et Hieronem reconciliata, et propinqui ad Himeram victi, urbs capta.

Videamus nunc carminis rationem. Post prooemium poeta orsus a precatione pro futura salute gentis, praeterita mala infecta reddi monet non posse, at obliterari succedente meliore fortuna: quod primum Cadmi filiarum sorte probat, quae post magna mala divinos honores habeant. Tamen per vicissitudinem rerum post haec tempora iterum orta sunt mala genti, ex quo Laii caedes et fratrum deplorabile bellum fuit; sed relictus est Thersander, qui praeclare restituit domum. Ab eo nunc Thero originem trahens victoriam Olympicam tulit, ac divitias qui habet

cum virtute, ei multae rerum opportunitates contingunt; maxima autem est felicitas post mortem. Transit hinc poeta ad vitam mortuorum, memoratisque malorum poenis, piorum felicitatem persequitur, ut post migrationem animarum praescriptam in Elysium veniant qui ter vixerint integri hic et in Orco. Denique finitis mythicis ad praesentes res redit, laudat Theronis liberalitatem, et reprehendit pessimum ingratorum hominum animum. — Sic expositis singulis restat, ut nexum interiorem horum omnium indicem. Scilicet fundamentum est Cadmidarum et Emmenidarum divinitus constitutum mirabile fatum, aeterna vicissitudine adversarum et secundarum rerum insigne, malis pristinis iterum iterumque recrudescentibus iisdemque semper etiam compensatis laetiore succedente fortuna. Sic Cadmi filiae post graves aerumnas deae factae; sic Oedipi domus quum diras caedes vidisset, per Thersandrum laetius effloruit. Hoc igitur aeternum fatum, per Emmenidas Agrigentum translatum, versatur nunc etiam in Theronis rebus, quibus ad altiorem legem suam revocatis Pindarus pulcherrimum carmen fecit, cuius unitas poetica in hac ipsa fatali ratione et nexu rerum inest. Nam ut primum de malis dicam, quemadmodum olim domesticae dissensiones, caedes, bella in Cadmidarum gente fuerunt, sic nunc Thero fugam filiae ex Hieronis regno vidit et proditionem propinquorum, cum quibus etiam bellum intestinum gessit, ut revera recruduisse videas pristinam Thebanae gentis calamitatem. Tractantur haec in priore carminis parte, fabulis cum gentis fato pulcre simul ipsius Theronis aerumnas significantibus, quae tamen in fine carminis etiam apertius indicantur. Sequitur altera pars carminis opposita de laetis rebus. Ac primum quidem huc pertinet victoria Olympica nunc ipsum reportata, ut olim iam Thersander certaminum laudem habuit; deinde quae post mortem ostenditur Theroni felicissima sors in Orco et Elysio, ni fallor tum seni aut senectuti propinquo. Etenim non sufficiebat hoc loco victoria Olympica, licet per se felicissima; ut mala Cadmidarum redierunt, sic etiam felicitas redire debet eadem singularis. Atqui vivit Cadmus auctor gentis in Elysio, quae summa est dignitas heroica, proxima diis, ne dicam de filiabus Cadmi inter deos adeo receptis; Thero autem regiam dignitatem recuperavit et ex illustrissimis est hominum nunc viventium, compositus in prooemio cum Iove et Hercule: nonne igitur postremo etiam in Elysium

venire debebit? Sic ortus est necessario praeclarus locus de vita post mortem, quo absolvitur orbis fatalis harum rerum. Revixit in Emmenidis prisca Cadmidarum gens, Emmenidarum maximus Thero est, in quo etiam summa Cadmi auctoris dignitas et felicitas redibit. Nihil vidi hoc carmine in suo genere praestantius, ex quo disces vim Pindaricae poesios. Ceterum quum duo carmina in eandem victoriam fecerit Pindarus, hoc domi in convivio cantatum videtur, quod vero sequitur tertium Olympium publice in Dioscurio urbis.

[Ex iis quae Rauchensteinius II, 17 sqq. de arte, qua poeta in praestantissimo carmine componendo versatus sit, ingeniose disputat, pauca delibabo. Dispescitur, ait, totum in partes duas, quarum prima est de fatis praeteritis bona malaque fortuna mixtis, in altera monstrantur beata et laeta bonis viris destinata. Porro tribus locis laudatur Thero, in prooemio, inter mediam utramque partem, in epilogo. Sic autem dispositae sunt illae laudationes, ut partium quas statuimus utraque iis quasi comprehendatur et contineatur. Et prima quidem in summa brevitate gravissima est laudatio; in medio loco celebratur splendor victoriarum, quae Theroni et fratri contigerint; in epilogo poeta obtrectatoribus laudum Theronis subiratus laudat regis benignitatem et infinitam liberalitatem in amicos et privatos.

Si de interiore carminis ratione quaeres, haec est simplicissima sententia, quae omnia complectitur: Magnae sunt fatorum vi humanarum rerum vicissitudines, at bonos suum praemium manet. Prius experta erat gens Theronis ab antiquissimis temporibus inter fausta et infausta mirifice iactata: quod tribus ex historia petitis imaginibus aptissime delectis confirmat poeta. Singulae autem imagines sententiis quibusdam rem illustrantibus, quae interponuntur, distinentur. Ordinavit autem poeta sapienter imagines illas sic, ut a novissimo exemplo Emmenidarum (v. 8 sqq.) ad antiquissima surgat Cadmi tempora (v. 22 sqq.), unde sponte oratio decurrit ad Labdacidas, quorum a Thersandro facillimus erat et aptissimus reditus ad res praesentes. In altera autem parte carminis oratio plane et tranquille progreditur et in excitando Therone ad spem futurorum praemiorum eximie acquiescit.]

EXPLICATIO.

V. 1—11. Prooemium, laudem continens Theronis eiusque gentis ornatissimam. — *ἀναξιφόρμιγγες ὕμνοι*, quid praecipiemus, hymni, citharae sonandum? Principem enim locum carmen habet et poesis, cui instrumenta musica accommodantur. Quare initium fiebat cantu coryphaei, v. Pratinas Ath. XIV. p. 617. D: *τὰν ἀοιδὰν κατέστασε Πιερὶς βασίλειαν, ὁ δ' αὐλὸς ὕστερον χορευέτω· καὶ γὰρ ἔσθ' ὑπηρέτας.* Cfr. Boeckh. de Metr. Pind. p. 258. Ceterum aliter poeta loquitur Pyth. I. init. Porro totam interrogationem praemisit, non quod etiamtum nesciret quid caneret, sed ut praepararet sententiam sequentem, cf. ad Ol. I. init. Nam nuda fuissent verba: *Πίσα μὲν Διὸς κ. τ. λ.* in fronte posita, nec lucem debitam habuissent, de quo mox iterum dicam. Denique ut nunc Pindarus *θεὸν — ἥρωα — ἄνδρα* dicit, ita Horatius I, 12. inverso ordine, pro suo uterque consilio. — V. 3 sq. *Πίσα*, h. e. Iuppiter canendus, quum patronus sit loci. — *ἀκρόθινα πολέμου*, quum primitias belli contra Augiam gesti diis Olympiae duodecim offerret Hercules atque ita sacrificium Olympicum solemne institueret, *Ὀλυμπιάδα* proprie dictum. Vid. Ol. XI, 57 sqq., qui locus non differt. Ceterum ad loquutionem *Ὀλυμπιάδα — ἀκρόθινα* cf. epigramma apud Pausan. V, 27. fin.: *Ζηνὶ θεῶν βασιλεῖ μ' ἀκροθίνιον ἐνθάδ' ἔθηκαν Μενδαῖοι.* [„*Ἀκρόθις* sive *ἀκρόθιν* non reperitur, et Pindarus *τὰ ἀκρόθινα* dixit pro consueto *ἀκροθίνια*, cui simile est *ἀσαλαμίνιος* et *ἀσπλήνιος*, quod *ἄσπληνος* dici solet." Lobeckius Parall. I, 197. Nem. VII, 41. utitur forma vulgari *ἀκροθίνια*.] — V. 6. *ὅπις* etiam hominum reverentiam erga deos significare notum vel ex Herodoto VIII, 143. IX, 76. Unde vere Hermannus nunc ad hospitum reverentiam id translatum dicit propter deos ultores violati hospitii. Verte: iustum reverentia hospitum, h. e. qui sancta iura hospitii, amicitiae colit. Non erant tales Capys et Hippocrates et quos alios amicitiae et beneficiorum immemores expertus erat rex iustus et insigniter liberalis, cf. infr. v. 94. — *ἔρεισμ' Ἀκράγαντος*, propugnaculum, ut *κίων*, *ἔρκος*, *πύργος*, *ἔρυμα*. Liban. IV, 636: *καὶ ἔρεισμα καὶ ὀφθαλμὸν καὶ κρηπῖδα*, v. Boissonad. ad Nicet. Eugen. p. 286. Catullo 64, 26. Peleus est columen Thessaliae. Significat autem poeta alteram Theronis virtutem, fortitudinem bellicam. Interfuerat enim Thero nobilissimo ad Himeram proelio,

ubi Ol. 75, 1. die Salaminiae pugnae Carthaginienses aliique populi caesi, cf. Herod. VII, 165. Diod. XI, 25. Ac nuperrime, ut supra vidimus, vicerat Capyn et Hippocratem ad Himeram. — V. 7. *ἄωτον ὀρθόπολιν*, maiorum nobilium, Emmenidarum priorum puta, decus, qui rex factus potentia auxit urbem et magnificis operibus ex praeda Punica, cf. Diod. XI, 25. *ὀρθόπολις* enim, qui urbem claram, conspicuam, florentem facit, cf. Nem. I, 15. *ὀρθῶσαι*. — Denique considera universum hunc magnificum locum. Bene monet Thierschius meus maximopere laudari Theronem cum Iove et Hercule compositum. Licet enim ipsa nunc Olympica victoria tria haec nomina commode offerat, tamen post maximum deum et maximum heroem poeta Theronem nominans haud dubie innuit simul hunc hominum esse maxime insignem. Est vero tectior comparatio; quum enim in vulgari comparatione aperte alterutrum ponatur propter alterum, hoc genus compositionis minus invidiosum est, ubi priora membra videntur aliis de causis posita, licet revera nunc Theronis laudi inserviant. Quum igitur deorum et heroum et hominum componere vellet principem, interrogatio praemissa, triplex hoc genus annuntians, optime praeparat interiorem intellectum loci, quem ab altera parte conficit subiecta tot laudum magnifica copia. — V. 8 sqq. Qui post multas aerumnas laetiorem fortunam Agrigenti invenerunt. Nolim te fugiat consilium loci. Praemonstratur fatalis ista rerum adversarum et secundarum vicissitudo Cadmidis olim inhaerens, quae inde ad Emmenidas propagata ab his traducitur Agrigentum, infra conspicua futura in Theronis rebus. Sic pulcherrime apud Pindarum omnia praeparantur et nectuntur. — [*Καμόντες θυμῷ* ad epicam rationem dictum, ut apud Homerum *πάθεν ἄλγεα ὃν κατὰ θυμόν*, notavit Boeckhius, exemplis plurimis illustravit Tafelius.] *οἴκημα ποταμοῦ*, recte vertit Geelius: vicina fluvii loca ad habitandum occuparunt, ut est *οἰκεῖν Ἀλφεόν* Ol. VI, 34. Hic enim iis finis errorum. [Cum genitivo compara Eurip. Med. 851: *ἱερῶν ποταμῶν πόλις*, et Seidler. ad Iph. Taur. 132. Theognidi 785. Sparta vocatur *Εὐρώτα δονακοτρόφου ἀγλαὸν ἄστυ*, infra Ol. XIII, 61. Corinthus *ἄστυ Πειράνας*.] — Porro *ἱερόν* Boeckhius, ut in *Τροίη ἱερή*, de templis deorum intelligit, docte agens de diis Agrigenti; quod verum, si *οἴκημα* esset Agrigentinorum domicilium, ad quos venerunt Emmenidae. Sin *οἴκημα* Emmenidarum est, quibus sacra habitatio contigerit ad fluvium, *ἱερόν* ad fluvii vicinitatem per-

tinere videbitur, ut voluit etiam Geelius. Ac permagni sunt dii locorum fluvii. — ὀφθαλμός, lumen, Ol. VI, 16. Cic. d. N. D. III, 38. De voc. cf. Hermann. ad Pyth. V, 17. Boeckh. h. l. et Doering. ad Catull. 31, 2. ibique laudatos. Sensus: Et Siciliae facti sunt lumen, quum ad virtutes nunc etiam fortuna secunda accederet. Igitur ἔφεπέ τε explicativum est pr. quum veniret, ut Ol. V, 8. — αἰὼν μόρσιμος, vita fausta, virtutibus innatis tanquam comites addens (ἄγων — ἐπί) divitias et gloriam rerum gestarum, quae χάρις hic est haud dubie, veluti Ol. I, 18. et VIII, 57. 80., Pindaro, ut par est, potiora decora omnia complectente. Ad πλοῦτον cf. Fragm. Encom. 2. Sic proposita Theronis laude et gentis absolvitur prooemium. Sequitur maior rerum ordo.

V. 12 — 46. De fatali vicissitudine adversarum et secundarum rerum in Cadmidarum gente, et Theronis aerumnis tecte simul significatis. — V. 12. Ἀλλ' ὦ Κρόνιε παῖ Ῥέας cett. Orditur splendide a precatione pro futura incolumitate nuper in discrimen adducta, ne regno excidant Emmenidae; tum per sententias generales paulatim ad Cadmidas transit. — Eximie Boeckhius meus ad Fragment. p. 615. monet Pindarum bis hoc carmine Rheam cum Saturno nominantem respicere ad cultum deae Olympicum. Religio olim e Creta translata; erat ara Saturni in Cronio, Pausan. VI, 20, 1., erat Idaeum antrum, in quo Iovem recens natum Idaei Dactyli custodiverant a Rhea iis creditum, cf. Boeckh. ad Ol. V, 44. Hoeck. Creta I. p. 339. In quo cultu quum principem locum non Saturnus, sed Rhea teneret sive antiqua Idaea mater, Pindarus hic eximie non Κρόνου παῖ καὶ Ῥέας dixit, sed Κρόνιε παῖ Ῥέας. Eiusdem generis est Fragm. incert. 5. ἐλασίβροντα παῖ Ῥέας. — ἀέθλων κορυφάν, Ol. VI, 69, XI, 32. — V. 14. σφίσιν-ἀοι-πῷ γένει, Serva iis (in eorum gratiam) paternam regionem futuro generi s. serva regionem futuro generi eorum. Cfr. Ol. VIII, 83: κόσμον, ὅν σφι Ζεὺς γένει ὤπασεν. Eur. Bacch. 317: Ἡμῖν τε τιμὴ παντὶ τῷ γένει προσῇ. Cave enim vertas: „iis, scilicet futuro generi," quo nihil ieiunius, nihil omnino perversius cogitari potest. — V. 15. τῶν δὲ πεπραγμένων — τέλος, eventus eorum, quae facta sunt, s. quae facta sunt, ubi semel eventum habuerunt, non possunt infecta reddi. [Similiter Simonides fr. inc. 55. in solatium convertit illa: τὸ γὰρ γεγενημένον οὐκέτ' ἄρεκτον ἔσται. Deinde ad τὰ πραὰ

δίκαν πεπραγμένα potissimum respici docet v. 18. λάθα δὲ πότμῳ σὺν εὐδαίμονι γένοιτ' ἄν. Exempla formulae plurima vide apud Lobeckium Phryn. p. 754. Soph. Ai. p. 429. Nitzsch. Hom. Od. X, 94. Dissen. Demosth. p. 293.] — τέλος ἔργων Nem. X, 29. Omnino τέλος, τελευτή, πεῖρας, τέρμα cum virtute orationis ponuntur, ut in rebus iucundis aut tristibus, πολέμου, ὀλέθρου, θανάτου, ἀμηχανίης, νίκης, σωτηρίας, γάμου aliisque in formulis, ubi eventus aut metae notio magnam vim habet. — ἐν δίκᾳ τε καὶ παρὰ δίκαν, sive iure, sive iniuria illata, h. e. quocunque modo facta. Quum enim multifariam per duo opposita exprimatur totum, veteres simul rei praesenti orationem accommodant, ut hoc loco, quum Thero παρὰ δίκαν passus esset mala, additum est δίκᾳ ad absolvendam totius notionem. Sic Ol. III. fin. τὸ πόρσω δ' ἔστι σοφοῖς ἄβατον κἀσόφοις, pr. nemini omnino patens: quum Thero σοφός esset, ita additum oppositum ἀσόφοις. Multae sunt similes formulae, ut καὶ δικαίως κἀδίκως, Solon. fr. 30. Del. et Aristoph. Plut. 233., ubi vid. Bergl., et e Latinis: iusta, iniusta, prorsus omnia, Terent. Adelph. V, 9, 33. — χρόνος non est deus hic, licet πατὴρ πάντων dicatur, cf. v. 32. Exspectaverit autem quispiam praedicatum quale ὁ πανδαμάτωρ, sed frustra. Tempus, ait, gignit omnia, sed non potest delere omnia. Cet. vid. Schaefer. ad Long. p. 356., qui p. 38. hunc locum ob oculos habuit: τοῦ Κρόνου πρεσβύτερος καὶ αὐτοῦ τοῦ πάντων πατρὸς χρόνου. Similes autem sententias habes ap. Mitscherl. ad Horat. Carm. III, 29, 46. De vi temporis in sanandis malis adi Wyttenb. ad Plutarch. Consolat. ad Apollon. p. 102. B. — V. 19. ἐσλῶν additum ad augendam vim vocis χαρμάτων. Sunt prospera, praeclara. — παλίγκοτον, malum infestum, grave, vide ad Nem. V. fin. — V. 21 sqq. πέμπῃ ἀνεκάς. Meo iudicio bona et apta erit haec loquutio, si a lancibus librae eam ductam statuerimus. [At in tali comparatione de trutina ducta ὄλβος ἀνεκὰς πεμφθείς fuerit levior, infortunium autem gravius et praeponderans. Fortasse igitur rotae imago obversabatur lyrico. F. I. — Recte de rotae imagine admonuit Fr. Iacobsius. Compara Tibull. I, 5, 70: Versatur celeri fors levis orbe rotae, ibique intpp. Ammian. Marc. XIV, 11: Assumptus in amplissimum fortunae fastigium versabiles eius motus expertus est, qui ludunt mortalitatem, nunc evehentes quosdam in sidera, nunc ad Cocyti profunda mergentes. XXXI, 1:

Fortunae volucris rota adversa prosperis semper alternans. De artibus v. Muelleri Archaeol. p. 607. et plura apud Iacob. Grimm Mythol. Germ. p. 825. Nec me movet, quod Lysippi demum *Καιρόν* hanc imaginem praeivisse arbitrantur. Nam eadem subesse videtur Pyth. VIII, 77.] — Verto: quum Parca pro infortunio vicissim sursum mittit, surgere facit felicitatem magnam. Nihil accommodatius hac metaphora varianti gentis fortunae. Boeckhius explicat: mittit sublime erigens, ut quum quid gignitur, id sursum erigitur. Loquutio durior et rei praesenti minus apta. — *ἔπεται*, convenit, Pausan. VIII, 12, 4. Add. Ast. ad Plat. de Legg. p. 381. — *Κάδμοιο κοῦραι* erant Semele, Ino, Autonoe, Agaue, quae quum omnes domesticis malis implicitae fuerint, poeta eas hic nominat, quae etiam ad felicitatem illustrem venerunt. Atque Ino in mare desiluit et dea marina facta, quum maritum furentem fugeret Athamantem; Semele in coelum recepta, quum amatoris Iovis, cuius filium ferebat, fulmine perisset. — *εὐθρόνοις*, divinis, licet in ceteris locis apud Pindarum de deabus sit, Pyth. IX, 60. Nem. III, 83. Isthm. II, 7., noli tamen solis deabus proprium credere; neque enim profecto differt *χρυσόθρονος*, quod heroinae tribuitur Pyth. IV, 260. — V. 26. Semele inter deos Olympios est etiam Pyth. XI, 1.; add. Iacobs. ad Philostr. p. 292. In beatorum insulis cum Alcmena collocatur Anthol. Palat. T. II. p. 776. V, 59. Duxit eam in coelum Bacchus, secundum Nonnum Iuppiter; cf. Iacobs. ad Anthol. Lips. T. IX. p. 402. et Tafel. ad h. l. — *φιλεῖ Παλλάς*, quae Iovi proxime assidet ad dextram et dignitate proxima est, cf. Spanh. ad Callimach. in Apoll. v. 29. [Pallas cur Semelam amet, unice vera causa videtur Boeckhio, quod, quia Iovi patri gratificari solet, eandem quam ille amet. Putaverim tamen Minervam iccirco potissimum nominari, quia Agrigentinis erat dea tutelaris, quam cum Iove maiores Emmenidae Rhodo Gelam indeque Agrigentum attulerant, v. Polyb. IX, 27, 2. et alia apud Boeckhium explicatt. p. 123.] — Ceterum cf. Isthm. III, 77. de Hercule in coelum recepto, *τετίμαται πρὸς ἀθανάτων φίλος*. — *ἰσοσφόρος*, Aristoph. Thesmoph. 997. — *λέγοντι*, Hom. Odyss. V, 333. — [De *ἐν καί* vide nott. critt. Ol. VII, 26.] — Inus fabulam exposuit Müllerus Histor. Orchom. p. 168 sqq. — *βίον ἄφθιτον — τὸν ὅλον ἀμφὶ χρόνον*, cumulate, ut immortalitatis notionem amplificaret, ut Homericum *ἄφθιτον αἰεί*. Vide alia ap. Meinek. ad Menandr. p. 182. et

Tafel. ad h. l. — V. 30 sqq. Iam ad aliam transit fabulae Thebanae partem, quam iterum praeparat sententiis generalibus. Enimvero, ait, denuo mala venerunt genti per humanarum rerum imbecillitatem. — *οὐ κέκριται*, non certum est, non constat indubitate. Theogn. v. 381 sq.: *οὐδέ τι κεκριμένον πρὸς δαίμονός ἐστι βροτοῖσιν, οὐδ' ὁδὸς ἦν τις ἰὼν ἀθανάτοισιν ἄδοι*. — *πεῖρας θανάτου*, meta mortis, cf. ad v. 15. De morte loquitur, quippe statim caedes commemoraturus. [Frustra M. Schmidt. Philol. I, 643 sq. *πεῖρας καμάτου* coniecit. Nam cur de fine vitae dicat poeta, rationem recte reddidit Dissenius.] — V. 32 sqq. *οὐδ' ἀσύχιμον* cett. Hermannus ad Vig. p. 918. bene vertere videtur: Nec quando tranquillum diem nullo turbatum malo simus transacturi. *εἴποτε* non desiderandum videtur. Nempe talia universe dicuntur de hominibus, non de miserrima fortuna eorum, qui perpetua corporis imbecillitate laborant, aut in ultima rerum inopia aliave profunda miseria versantur. Hos recte dicas nescire, an unquam diem nullo malo turbatum habituri sint. Sed plerique tamen homines et vident dies totos tranquillos, nec dubitant se visuros: at illud praenosse nemini datum, utrum hodiernus an crastinus an tertius talis futurus sit; ignorant igitur quando talem diem habituri sint. — *τελευτάσομεν*, vides clare hinc non esse personam diem, et tamen addidit *παῖδ' ἁλίου*, ut Nem. IV, 3. *ἀοιδαί* sunt *Μοισᾶν θύγατρες*, nec tamen personae. Add. Ol. X, 3. et XIII, 10. Pyth. V, 26. Nem. IX, 52. — *ῥοαὶ δ'* cett. sensus: Sed veniunt alias alii rerum eventus, laeti et tristes. Sunt *ῥοαί* eventus, cursus rerum, Nem. XI, 46. Add. Mitscherl. ad Horat. Carm. III, 29, 33. Wyttenb. ad Plutarch. d. S N. V. p. 14. ibique laudatos; tum Wessel. ad Diod. XX, 33 Blomfld. ad Aesch. Pers. 607. — V. 35. *Οὕτω δὲ Μοῖρα* cett. Sic Parca, quae avitam Emmenidarum tenet et moderatur lactam sortem, cum divinitus missa felicitate aliquam etiam noxam iis adducit avitam alio tempore, ex quo paricidium Oedipus admisit, quod fratrum mutua caedes sequuta est. *τῶνδε*, usu Pindarico sunt ad quos carmen pertinet, nunc Emmenidae. — *θεόρτῳ*, de voc. Blomfld. ad Aesch. Prometh. 790. Est hic pro magna, eximia felicitate, ut *θεόπομποι τιμαί* Pyth. IV, 69. *θεύσδοτος δύναμις* Pyth. V, 12. — *παλιντρόπελον* est rediens, recurrens, prima et simplicissima significatione. Intelligit enim prisca do-

mestica discidia iterum iterumque redeuntia, ut nuperrime denuo visa in Theronis rebus. — Denique attende ad praeclaram tractationem loci. Primum praeparat rem per sententias generales de morte et humanarum rerum inconstantia; tum ne sic quidem effatur triste verbum, sed praemittit iucundiora haec: ἅτε πατρώϊον — ὄλβῳ, postremo de malo ipso dicit lenissime, ἐπί τι καὶ πῆμ' ἄγει. — μόριμος υἱός, Oedipus. — ἐν δὲ Πυθῶνι, datum ab Apolline oraculum, cf. Argument. Oed. R. et Eurip. Phoeniss. — V. 41. ὀξεῖα, acriter videns, speculatrix, cf. ὀξὺς ἰδών Anthol. Gr. Epigr. Delect. p. 398. ibique F. Iacobs. Eundem vid. de Furiis speculatricibus facinorum in Animadv. ad Eurip. p. 200. — [V. 42. σὺν ἀλλαλοφονίᾳ Boeckhio est i. q. ἐν ἀλλ. Nos *unter* dicimus. Persimile est Simonideum IX, 3. Delect. de Orpheo: ἀνὰ δ' ἰχθύες ὀρθοὶ κυανέου ἐξ ὕδατος ἅλλοντο καλᾷ σὺν ἀοιδᾷ, h. e. καλᾶς ὑπ' ἀοιδᾶς. Cf. Pyth. XII, 10.] — V. 43 sqq. Thersander Polynicis filius ex Argia, Adrasti filia. Sensus autem loci hic: Verum denuo laetior fortuna effulsit. Relictus est Thersander, ludicris certaminibus bellisque clarus, intereunti domo sospitator. — νέοις, iuvenilibus (Isthm. VII, 47: νεαρὰν ἀρετὰν Ἀχιλλέος, cfr. Wuestemann. ad Theocr. XXIII, 25. et Eurip. Med. 48. νέα φροντίς) certaminibus in ludis deorum. Nam exercitationes pueriles alienae. μάχαις πολέμου refer ad Epigonorum bellum aliaque, maxime Troicum, ubi a Telepho occisus est, cf. Boeckh., qui optime addit utramque laudem etiam propterea memorari, quia simul Theroni conveniebat. Adrastidarum domus est stirps, quae ab Adrastide Argia et Polynice nata erat, Thersander cum fratribus. Huic familiae Thersander auxiliator exstitit illustrans et propagans eam, nam hoc est, credo, θάλος ἀρωγὸν δόμοις. Deleta Oedipi domo successit nova clara stirps, unde Emmenidae descendebant. Boeckhius cum Scholiis θάλος ἀρωγόν de eo intelligit, quod Epigonorum bello Thersander ultus sit paternam iniuriam. Sed de bellis per se iam dictum verbis μάχαις πολέμου. Et postulat nexus rerum supra expositus, ut post interitum fratrum de novo flore gentis dicatur. Ceterum θάλος Ol. VI, 68., cf. Valcken. Phoeniss. v. 88. — Post haec de tota priore parte carminis nonulla addenda. Vidimus bis domestica mala, primum in Cadmi, deinde in Oedipi familia; et vidimus eadem bis compensata laeta succedente fortuna. Quare satis explicata est lex fati, quem in finem unum exemplum non suffecisset. Neque tamen dubitari potest his duobus exemplis simul Theronis aerumnas tangi, quod acute perspexit Boeckhius, ac notavimus iam in prooemio idem fatum Emmenidis inhaerens ab his Agrigentum traductum. Igitur secundus locus de fratrum deplorabili bello tangit nuperrimum Theronis et propinquorum bellum, clarissime monstrantibus verbis: Parca, quae laetam Emmenidarum fortunam moderatur, etiam noxam iis adducit, ex quo fraternum bellum Oedipi filiorum fuit. Eadem res in fine carminis significatur paulo directius, ut solet Pindarus facere etiam alias. Prior autem locus de infortunio Cadmi filiarum simul ad Damaretae filiae casum recentem alludere videtur, quae fugerat Hieronem affinem, quanquam haec res infra non declaratur apertius, quippe lenissime tangenda. Sunt quibus hae interpretationes improbabiles videantur; sed hi πῆμα παλιντράπελον ἄλλῳ χρόνῳ gentis non intellexisse videntur per dimidium carmen tractatum. Nam quum poeta id ipsum agat, ut domestica mala et discidia iterum iterumque recurrere huic genti ostendat, manifesto tales fabulas eligere debuit, quae etiam praesentibus rebus convenirent. Denique Theronis aerumnas simul inesse his fabulis certissime liquet etiam ex eo, quod in sequentibus poeta ad felicitatem Theronis transit, h. e. ad alteram partem fatorum.

V. 46 — 83. De felicitate Theronis hic et post mortem. Locus satis praeparatus antecedentibus, quum universa explicatione fati, tum verbis: Μοῖρ', ἅτε πατρώϊον τῶνδ' ἔχει τὸν εὔφρονα πότμον, unde vides ipsam avitam felicitatem adhuc vigere. — V. 46. σπέρματος ῥίζαν, unde generis originem Emmenidae habent. Verus nexus hic: Polynicis filius fuit Thersander, ludicris bellicisque certaminibus clarus; unde quum descendant Emmenidae, agite canamus Theronem eadem laude conspicuum. — V. 49 sq. γέρας, coronam, dicit enim: Olympiae ipse coronam accepit, Delphis autem et in Isthmo Gratiae coronas curules detulerunt in fratrem. De victoriis Xenocratis Delphis et in Isthmo, quibus dedicata carmina Pyth. VI. et Isthm. II., accurate exposuit Boeckhius h. l. — ὁμόκλαρος, aequam hereditatis sortem habens, aeque dives ut frater germanus. Boeckhius: eiusdem sortis et fortunae particeps ob victorias. — Χάριτες, quae victorias ludicras praebent, cf. Ol. VI, 76. Nem. V. fin. X, 38.; κοιναί utrique fratri faventes, veluti iudex κοινὸς et ἴσος est, qui litigantibus parem se exhibet, v. Heind. ad Plat. Protag. p. 559. — ἄνθεα τεθριππων, coronas a quadrigis reportatas, curules. Sunt quidem etiam qua-

drigae floribus ornatae, cf. Ol. VI, 44. Schol., sed hic de hominum coronis loquitur. ἄνθεα ut Ol. VII, 80. — δυωδεκαδρόμων, quum ἅρματα τέλεια duodecies circa metam currerent, Ol. III, 38. VI, 75. Pyth. V, 31. Memorantur autem Xenocratis victoriae ad hunc locum amplificandum. Omnino Xenocrates iisdem fere, quibus Thero, virtutibus conspicuus, cf. Pyth. VI. Isthm. II., nisi quod bellicam laudem an habuerit non reperio. — V. 51. τυχεῖν, successu uti, victorias reportare, ut Nem. VII, 11. — ἀγωνία pr. ἀγών, Nem. VII, 10., et πειρᾶσθαι ἀέθλων Nem. XI, 23. Nem. I, 43. Vicisse certantem in ludis aerumnis liberat, quales Theronis familia experta. — λάθα δὲ πότμῳ σὺν εὐδαίμονι γένοιτ' ἄν, sententia hic pulcre redit; nam regnat per totum carmen. [V. 52. Adde ad δυσφρόνη et εὐφρόνη in nott. critt. allata Bekkeri ann. p. 472: Ἀφρόνη· ἡ ἀφροσύνη, quod iniuria tentavit Lobeckius Pathol. p. 33.] — V. 53. πλοῦτος ἀρεταῖς δεδαιδαλμένος, opulentia virtutibus ornata, quales in Therone quidem et Xenocrate fuerunt iustitia, liberalitas, gloriae nobile studium. Loquutio similis Pyth. V. init. — φέρει τῶν τε καὶ τῶν καιρόν, affert haec et illa s. varia commoda, veluti coronas ludicras et encomia cantica, denique quae in sequentibus memorantur futurae vitae gaudia. τὰ καὶ τά Pyth. V, 55. cfr. Wex Soph. Antig. Syllog. p. 287. — καιρόν, opportunitatem, Pyth. I, 77. — V. 54. βαθεῖαν ὑπέχων cett., magnum et acre subiiciens menti studium rerum laudabilium. βαθεῖαν, ut βαθεῖα φροντίς Aesch. Suppl. 419. et profunda cupido imperii et divitiarum Sallust. Fragm. Hist. IV, 2 — μέριμναν, de voce vid. ad Ol. I, 108.; ut, de quo statim cogites, quod in certamina opes erogabant. — ἀγροτέρα proprie venatrix, ut Ἄρτεμις ἀγροτέρα, nunc de acri studio et consectatione, ut θηρεύειν, θηρᾶσθαι διώκειν, μεθέπειν, μετιέναι. — V. 55. ἀρίζηλος, h. e. ἀρίδηλος, conspicuus, cf. Buttm. Lexil. T. I. p. 254. — V. 56 sqq. succedit locus nobilissimus de poenis et praemiis post mortem, de cuius consilio uberius expositum in Introductione. Boeckhius praeterea etiam Gelonem mortuum hic laudari censet Damaretae causa, quem ego alienum esse crediderim. Fatum, quod hoc carmine tractatur, Emmenidarum est a Cadmidis susceptum, non Syracusanorum principum; Thero eiusque domus aerumnas tulit, de huius igitur nunc felicitate agitur. Illud autem Boeckhius verissime notat, loco de impiis Capyn Hippocratemque a poeta tangi et qui horum proditioni

impliciti fuerant; Hieronem quominus addam, etiam illud obstat, quod hic cum Therone tum iam in gratiam redisse videtur, ipso Boeckhio iudice. — V. 56. εἰ δέ μιν ἔχων τις. Boeckhius εἴ γε substituens ita explicat: Divitias virtuti coniunctas rem optimam esse, siquidem qui eas teneat futurorum non sit immemor, quae post mortem homines maneant. In quo primum displicet, quod nunc superflua videntur verba μιν ἔχων, dicendum enim erat simpliciter εἴ γέ τις οἶδεν. Deinde totus locus, si modo recte intelligo amicum meum, ieiunius annexus videtur. Nam particulae εἴ γε omnino duo significant: saltem si et quum. Quare ego defenderim vulgatum. Etenim εἰ cum participio poni, omisso ἐστί, certum, cf. Soph Ai. 884. Eurip. Electr. 533. et εὖτ' ἄν δοκῶν Aesch. Agam. 431. Ac mihi quidem hoc non temere fieri videtur aut sola metri necessitate; aptum vero habeo maxime ibi, ubi paulo magis acuenda est aliqua sententia. Similem usum etiam absoluti participiorum casus saepe habent, vid. ad Pyth. VIII, 85. Simili cum vi alias omittitur verbum, ut Pyth. XII, 28: εἰ δέ τις ὄλβος ἐν ἀνθρώποισιν, ἄνευ καμάτου οὐ φαίνεται. Hoc autem loco post illa: ἀστὴρ ἀρίζηλος, ἐτήτυμον ἀνδρὶ φέγγος, in re rara et quam pauci consequuntur, verba: Si quis vero habet, vides necessario acuenda esse paulo fortius; significant enim: Si quis autem tam felix, ut habeat. [Non male Rauchensteinius II, 13. cum Tafelio εὖ δέ μιν ἔχων τις οἶδεν conii-cit. Ego vero de sententia mea, quam et Kayserum et Rauchensteinium prave intellexisse miror, non decedo. Hoc dicit poeta: Divitiae virtutibus — h. e. potissimum studio ludicrorum certaminum — ornatae multarum habent rerum opportunitatem, simul autem qui eas habet (divitias virtutibus ornatas) novit, bonos post mortem quae praemia maneant. Sic ἓν δέ eximie duo complectitur: primum divitiarum sapientem usum multa habere per vitam commoda; deinde sapienter utenti post mortem etiam propositam esse felicitatem. — Ceterum librorum optimorum scripturam εἰ — ἔχων tum demum arbitror locum posse habere, si Pindari sententia haec esset: si autem omnino est aliquis et extat qui haec habet, *wenn es aber überhaupt einen in der welt giebt*, der sqq. Loci a Dissenio ad vindicandum participium allati aut alius generis sunt, ut Soph. Ai. 884, ubi εἴ ποθι elliptice dictum est, v. Hermann. ad v. 179. et Lobeck., aut corrupti sunt, ut in Troadd. nunc fere Canteri emendationem sequuntur; in Agam. autem εὖτ' ἄν ἐσθλά τις

δοκοῦνθ' ὁρᾷ mihi scribendum videtur. Nec ad alia tutius provocaveris, qualia vide apud Goellerum Thucyd. I, 25. et T. Mommsen. Pind. p. 79 sqq.] — Porro οἶδεν τὸ μέλλον cett. Haec verba vulgo ita intelliguntur: Pius non obliviscitur, reputat poenas impiis constitutas et sic a superbia et scelere abstinet. Sed hoc incommodum, atque orta est inde obscuritas loci, de qua queruntur. Nam qui divitias habeat virtute ornatas, eum cogitare de futuris poenis et praemiis, hoc sic non bene dictum videtur, displicuitque plerisque omnibus. Quod vero maximum, plane non agitur hoc loco de deterrendis animis a rebus impiis aut de incitatione ad virtutem, sed consolationis causa proponitur lex fatalis. Per totum enim carmen vidimus, ut calamitates graves in hac gente eximia felicitatis solamina sequuta sint; dehortationes, cohortationes alienae sunt a ratione argumenti. Nec Thero opus habet, ut deterreatur a scelere. Omnes difficultates tollere videtur nostra explicatio: Si quis autem haec habet, novit et certo sperare potest post mortem praeclaram sibi sortem paratam. Qui enim divitias habet virtute ornatas, h. e qui divitiis praeclare utitur, non ad bella iniusta, sed ad liberalitatem et hospitalitatem, ad coronas ludicras consequendas, ad urbem ornandam ex praeda, et quae sunt aliae Theronis laudes, eum post mortem quoque manent optima quaeque, quemadmodum vivum Graeci talem virum inprimis admirabantur, non illi vulgo pauperis virtutis amatores, quae opibus destituta nihil huiusmodi suscipere posset. Callimach. in Iov. 95. οὔτ' ἀρετῆς ἄτερ ὄλβος ἐπίσταται ἄνδρας ἀέξειν οὔτ' ἀρετὴ ἀφένοιο. Iam quod posui Pindarus tibi dicet planissime, ubi tenueris non finiri universae sententiae ambitum v. 60., sed hanc priorem tantummodo esse partem, potiorem, alteram de praemiis bonorum. Hoc vult: Qui divitiis praeclare utitur, novit, impiis quum poena parata sit gravissima, piis contra praeclara gaudia futura. Logica igitur ratio membrorum haec est: οἶδεν, ὅτι ἀπάλαμνοι μὲν φρένες ποινὰς ἔτισαν, ἴσον δὲ νύκτεσσιν αἰεὶ — ἔχοντες ἀπονέστερον ἑαυτοὶ δεδόρκαντι βίον, particula ὅτι ad utrumque membrum pertinente; ac dixisset fortasse etiam ita Pindarus, si commata duo brevia fuissent; nunc autem longiore periodo, secunda pars sententiae, licet logice revera pendens ab ὅτι, per se posita est, ne molestius una particula tot verba regerentur et nervosior oratio maneret, quemadmodum saepe fit, nec uno modo, in poesi et prosa oratione. Veluti apud Ciceronem de Offic. I, 3, 8: Atque ea sic definiunt, ut rectum quod sit, id perfectum officium esse definiant; medium autem officium id esse dicunt, quod cur factum sit ratio probabilis reddi possit. Apud Pindarum alia mutatae constructionis exempla Ol. XIII, 55. Pyth. IV, 268. Confer praeterea Lachmann. ad Propert. I, 2, 9 sqq. Locus autem de impiis nunc ad consolationem Theronis pertinet, hostium poenis propositis; tum obscurum non est hac oppositione simul eximie illustrari descriptionem beatae vitae. Iam vide singula. V. 57. θανόντων μέν, dum enim vivunt hic, saepe non satis puniuntur mali. ἐνθάδε iunge cum θανόντων, quod simplicissimum pro simulac mortui sunt hic, s. decedunt hinc, ex hac vita, cfr. Plat. Rep. I, 330. D. Cum ἀπάλαμνοι si iunxeris, causam ego huius nunc collocationis desidero idoneam, ac vide, ne idem sit τὰ δ' ἐν τᾷδε Διὸς ἀρχᾷ. — τίς, eximie ad horrorem incutiendum, cf. Aesch. Eumenid. 330. — ἐχθρᾷ ἀνάγκᾳ, infesta necessitate, ut de flectendo iudice cogitari nequeat. [Dissenius explicationem suam verborum profecto verissimam accuratius exposuit et paratacticam membrorum collocationem illustravit aliis exemplis ad Demosth. p. 333. — Ceterum de explicatione verborum ὅτι θανόντων μὲν κ. τ. λ. optime meruit Rauchensteinius II, 14., qui iam in Introduct. p. 80. Boeckhii Disseniique sententias ἐνθάδε vel cum ἀπάλαμνοι φρένες vel cum θανόντων iungentium refutaverat. Contra ille verissime ad ποινὰς ἔτισαν revocat et ex v. 68 sqq. ὅσοι δ' ἐτόλμασαν κ. τ. λ. collegit sententiam poetae hanc esse: Mortuorum animi, qui apud inferos scelera admiserunt, in hanc terram remissi redeunt in corpora atque hic poenas sustinent. Contra de delictis in hac vita commissis iudicium exercetur apud inferos. At ibi bene facta etiam praemiis afficiuntur, quae a poeta de industria uberius exponuntur v. 61 — 67. Tum demum ad eorum beatitatem descendit, qui ter utrobique sancte vixerint. Et eodem modo veteres interpretes Pindari mentem exponunt: ὅτι οἱ μὲν ἐν τῷ ζῆν ἁμαρτάνοντες ἐν ᾅδου κολάζονται, οἱ δὲ ἐν ᾅδου ἐν τῷ ἡμετέρῳ βίῳ ἐν τῇ τοῦ Διὸς ἀρχῇ. Firmatur haec ratio vel conformatione orationis per θανόντων μὲν et τὰ δ' ἐν τᾷδε Διὸς ἀρχᾷ distinctae. Pro αὖτίκ' idem scite αὖτις reponit; verum quod hoc ita dictum vult, ut οἱ θανόντες iam infra, priusquam in hanc vitam redissent, poenas luerint, ego potius αὖτις intelligo de remissis in terram, ut ibi poenas dent.] — V. 61 sqq. ἴσον — ἴσα, pariter, noctu aeque atque interdiu. Est autem omnino alius hic sol

quam noster. Aeschin. Axioch. c. 20. Aristoph. Ran. 155. Virg. Aen. VI, 641. Valer. Flacc. I, 844. [Non persuadet Rauchensteinius p. 15, cum veterum Scholiastarum sententiam defendit, qui Pindarum hoc dicere censebant: *ἴσον ἡμῖν τοῖς ζῶσι χρόνον ἐπιβάλλει ὁ ἥλιος καὶ τοῖς ἐν ᾅδου δικαίοις.* Noctu igitur etiam in Orco tenebras esse. Repugnant verba ipsa et quod *νύκτεσσιν* additur *αἰεί*. Nec refert quod Thren. fr. 1., ubi v. Dissen., *τοῖσι λάμπει μένος ἀελίου τὰν ἐνθάδε νύκτα κάτω*. In talibus *φαντασίαις* pro re nata impune variatur.] — *ἀπονέστερον*, minus molestum quam mali, h. e. multo meliorem. — *ἐν χερὸς ἁκμᾷ*, vi manuum, cf. ad Ol. I, 48. *ταράσσοντες*, arando, fodiendo, *ὕδωρ*, piscando, navigando. Vacatione agriculturae et navigationis designatur vita facilis apud poetas; veluti de iustis ait Hesiod. *Ἔργ.* 234: *θάλλουσιν δ' ἀγαθοῖσι διαμπερές, οὐδ' ἐπὶ νηῶν νίσσονται, καρπὸν δὲ φέρει ζείδωρος ἄρουρα*: et in aureae aetatis descriptionibus nec mare tentatum nec rustici labores dicuntur fuisse, ut ap. Tibull. I, 3, 35 sqq. Ceterum ad *ταράσσοντες* Karsten. confert Aristoph. Eqq. 429., sensu tamen diversum locum. Orac. Sibyll. p. 28: *ποικίλα τε πτηνῶν — ξουθά, λιγυπτερόφωνα, ταράσσοντ' ἀέρα ταρσοῖς — παρά*, propter tenuem victum, cf. Matth. Gr. §. 588. δ. Vig. p. 645 — V. 65. Noli *τιμίους θεῶν* intelligere Plutonem et Proserpinam cum Scholiasta, quasi hos venerabundus ut deos inferos sic nominet, sine exemplo. Quidni sint Aeacus et Minos? Nam maiores eos esse ceteris eo venientibus, etiam *παρά* indicare videtur, quod non est *σύν*. Pindarus Homerica carmina sequitur, quae Rhadamanthum in Elysio ponunt, Minoem in Orco. [Gregor. Nazianz. de Spiritibus coelestibus T. II. p. 43. a Tafelio laudatus: *Οὐ πλοῦτος κείνοισιν ἐράσμιος οὐδ' ὅσα θνητοῖς Γαῖα φέρει κηκίης μελεδήματα· οὐκ ἀρόουσιν, Οὐ πελάγη πλώουσιν ἀτειρέος οὕνεκα γαστρός.* — *τιμίους θεῶν* Rauchensteinius p. 16. cum Scholiis intelligit Plutonem et Proserpinam, severa et implacabilia illa numina, quibus nemo non honores tribuit. Sed quod ad eadem numina refert verba *οἵτινες ἔχαιρον εὐορκίαις*, quia delectentur bonorum, dum in vita sunt, probitate eosque post mortem propitii excipiant, aperte fallitur Obstat enim et *οἵτινες* et *ἔχαιρον — χαίρουσι* exspectes — et verborum ratio ipsorum. Sunt aperte *ἑσλοί* v. 63. et exadversum collocantur v. 67: *τοὶ δ' ἀπροσόρατον ὀκχέοντι πόνον.*] — *εὐορκίαις*, probitate, pietate; cf. Hemsterhus. ad Aristoph. Plut. v. 61. — *ἀπροσόρατον*, horrendum adspectu. Eximie augetur hac oppositione vis loci. Sic absolvitur prior pars descriptionis. — V. 68 sqq. Sequitur locus de migratione animarum. Non fuit antiquitus haec doctrina apud Graecos, neque reperitur in antiquissimis fabulis et poetis; sed ab exteris credo acceptam mox suo ingenio exornatam intulerunt in poesin et philosophiam. Ac post Pherecydem Pythagoreis, tum aliis philosophis placuit, nec dubium videtur etiam Orphicorum sectam religiosam et philosophicam hoc dogma versibus epicis celebrasse. Ab his autem Pindarus accepit. Hic enim tractat rem plane ut alias antiquas fabulas, nec pro novitio philosophorum placito habuisse videtur, sed pro vero et certo mytho; in quam ille opinionem adduci potuit Orphicorum carminibus, quorum dogmata pro antiquis habebantur propter Orphei nomen. — V. 68. *ἑστρίς*, Herm. Vig. p. 857. *ἐτόλμασαν*, sustinuerunt. *ἑκατέρωθι* ter in terra, ter in Orco. Numerus ternarius prae aliis in hac re placuisse videtur; Pindarus eum e versibus Orphicorum haurire potuit; idem apud Platonem habetur, Phaedr. p. 249. A., unde coniicias etiam Pythagoreis eum probatum. Sed annorum numerus vario modo definitur; cf Heyn. ad Virg. Aen. VI, 748. Platoni post mille annos in terram animae redeunt, Pindaro in Threnis fr. 4. post *ἐνναετηρίδα*. Denique migratione ter repetita apud philosophos animae purgatae in stellas et planetas abeunt ibique manent; Pindarus mythicae dictioni convenientius beatorum insulas ponit, primum credo in Orphica poesi pro termino migrationis animarum adhibitas; vix enim ab aliis poetis haec doctrina esse potuit. [Universe confer de vita et scrr. Pindari p. LXXXIII. Adde Hoeck. Cret. III. p. 207 sqq. et O. Mueller. de fortunatorum insulis commentariolum Gottingae a. 1837. editum p. 9 sq., qui vere observat, Pindaro insulas illas in superficie terrae esse, ut poetis epicis.] — *ἔτειλαν*, peragunt. — *Διὸς ὁδός* mihi quidem haud obscure Orphicam poesin sapere videtur. Ut enim apud philosophos post migrationem animae piorum diis propiores vivunt qui ad eos commeant, sic Orphici simile deorum commercium cum piis in Elysio finxisse videntur, quo pertinet, opinor, *Διὸς ὁδός*. Ac Iovem huc commeare notavit iam Boeckhius. Cogitanda autem videtur via ab occidentali terrae ora per Oceanum ducens in Elysium; directum descensum e coelo Quintus memorat XIV, 225. Ceterum ex Orphicorum carminibus non male coniicias etiam solem infernum petitum, quem supra vidimus, si-

quidem Orphicorum priscorum ingeniosae religioni deberi videtur pulcrior rerum infernarum adumbratio. *Κρόνου τύρσιν*, regiam Saturni, qualem etiam Pluto habet. Est enim urbs beatorum, in qua regia dei, sita ea in una insularum, circumiacentibus ceteris. Huc tendunt iudicium subituri. Saturnum, sub quo olim aurea aetas fuerat, his locis praeesse constat ex Hesiodo Op. et D. 170. Vide praeterea laudata Boeckhio. Cave igitur hoc loco Saturni regiam ab insulis beatorum seiungas. — V. 72. *ἄνθεμα χρυσοῦ*, Pind. Pyth. I, 6. [De floribus Elysii cf. Iacobi Grimmii Mythol. Germ. p. 782 sq ; de Rhadamantho elegantem commentationem Prelleri in Zimmermanni Diar. philoll. 1838. nr. 133 sqq.]. — *φλέγει*, ardent, Virg. Aen. IV, 262. — *τὰ μὲν — ἄλλα*, Herm. Vig. p. 701. — Sed quo consilio de aureis floribus arboreis et aquaticis dicit et de coronis inde capiti manibusque nexis? Num mollem nobis vitam describit heroum praestantissimorum? Pindarum qui intelligere vult, ubique ad carminum rationem attendat: nihil enim ab eo sine causa dicitur. Igitur hunc de Elysio locum propter Theronem positum supra vidimus, qui post aerumnas graves ad alteram partem fati accedit laetam. Ac primum quidem nunc *ἄνθεα τεθριππων* Olympica consequutus est: olim vero, ait poeta, cum nobilissimis heroibus in Elysio summas coronas habebit ex aureis floribus nexas. Haec est vera sententia loci, Pindaro, ducto colore, ut solet, a praesenti victoria, cum Olympica corona Elysii coronas pulcherrima gradatione coniungente omnemque Theronis felicitatem ad unam notionem revocante. Aureos igitur flores pro summo coronarum genere dixit *). Ac quum domus regia coronas haberet ex arborum frondibus Olympicam Pythiamque et ex apio, palustri, opinor, Isthmiacam, suavi allusione nunc in Elysio arboreos maxime et aquaticos flores laudat, quae simul exquisitiora genera sunt. Denique ut etiam de manuum coronis dicam, quae mirae videri possunt, Karsten. *χέρας* interpretatur brachia. Sane pas-

*) [Insularum, in quibus beati habitant, ornatum ductum putabam equidem ab ornatu domorum regiarum, quae pretiosis metallis resplendere solebant, hoc discrimine, ut, quae ibi ars effecerat, ea hic divinae cuiusdam naturae essent munera. Praeclaris his floribus hunc honorem beati habent, ut in splendidis quibus utuntur conviviis caput iis ornent; quod non ad mollitiem aliquam retulerim, sed ad festam talium epularum sollemnitatem. F. I.]

sim *χείρ* complectitur brachium ad humerum usque, cf. Schaefer. ad Longum p. 331. Sed quid lucramur inde? Ego ita dico: iudicari victores, quum plures coronas reportassent, videntur in pompis et comissationibus unam in capite, ceteras manibus gestasse, cf. ad Isthm. I, 66: ad quam similitudinem nunc Pindarus Elysii heroes quasi praeclaros certatores, qui omnes *ἆθλους* cum laude peregerint, caput manusque coronis ornare dicit de sententia Rhadamanthi. Regnum tenens Saturnus etiam iudicium exercet more regum, assessore tamen Rhadamantho, de quo vid. locos ap. Boeckhium; hic igitur quasi summus heroum *Ἑλλανοδίκας*. — V. 75. Scholia: *βουλαῖς ἐν ὀρθαῖς Ῥαδαμάνθυος· συγχωροῦντος τοῦ Ῥαδαμάνθυος· οὗτος γὰρ δικαιονομεῖ τοῖς ἐν ᾅδου. Ἄλλως· ὡς τοῦ Ῥαδαμάνθυος τοῦτο τοῖς δικαίοις παρεχομένου.* — V. 77 sqq. De Rhea cf. ad v. 12. Summum thronum habet ut mater deorum. — Cadmus *θεόφρων* in Elysium translatus cum Harmonia, cf. Eur. Bacch 1337. Apollodor. III, 5, 4. Schol. Pind. Pyth. III, 153. Peleus, de quo cf. Arg. Eurip. Androm., in Elysio est ob insignem pietatem et iustitiam, cf. Nem. V. Isthm. VII. — *ἀλέγονται*, numerantur, ut Antholog. Palat. T. II. Append. p. 772. Achillem ibi esse memorat Scolium notissimum Athen. XV, 695. A. Cf. Plat. Sympos. p. 179. E. 180. B. ibique Astius. Add. Apollon. Rhod. IV, 811. De alia sede Achillis vid. ad Nem. IV, 49. Ceterum vulgo Mercurius defunctos ducebat in Elysium, cf. Boeckh., non Iuppiter, ut Tafelio visum; praeterea tamen etiam alii dii amatos homines ipsi ducunt, ut Venus ducet Tibullum Eleg. I, 3, 57. Sic Achillem Thetis. Etenim in Elysium Achilles receptus propter fortitudinem insignem; sed idem quum esset iracundior, legitime autem ii tantum admittantur, *ὅσοι ἐτόλμασαν ἀπὸ πάμπαν ἀδίκων ἔχειν ψυχάν*, pulcre addit exoratum a matre Iovem. Peculiaris enim alia huius rei causa si fuisset, indicanda erat; nunc illud intelligi voluit, quod ultro se offert Achillis ingenium considerantibus. [De Achille in insulis fortunatorum vide quae dixi Ibyci Rheg. p 150 sqq.] — V. 81 sqq. *Κύκνον*, Neptuni filium, Ovid. Met. XII, 51 sqq. — *θανάτῳ πόρεν*, frequens loquutio *διδόναι φόνῳ, μόρῳ, ὀλέθρῳ*, al.; cf. Pyth. V, 56. Nem. I, 66. et Wüstemann. ad Theocr. IV, 40. VII, 123. — Memnon, Aurorae filius, notissimus. Denique cur hos nunc heroes poeta nominat? Cadmus commemoratur ut auctor gentis, quae res quam vim habeat supra in Introductione docui: redibit in Therone etiam felicitas

summa avita, ut mala pristina redierunt. Redibit, inquam, quum etiam virtutibus conspicuus sit heroicis. Celebratae autem in prooemio duae maxime Theronis virtutes, iustitia colens sancta iura hospitii nec laedens impie hospitem, et fortitudo bellica; ecce has ipsas hic proponit. Achilles enim fortitudine clarus, Peleus maxime pius et iustus quantopere etiam hospitii iura coleret, ξεινίου πατρὸς χόλον δείσας, luculenter probavit alia in re in domo Acasti, cf. Nem. V. Sic pulcherrime Pindarus significat iisdem etiam Theronem virtutibus aliquando in Elysium venturum. Habes universam Elysii adumbrationem, Pindaro et hoc carmine dignissimam! Ceterum non nego Emmenidas fortasse etiam alias allusiones in his descriptionibus quaesivisse, quem in finem etiam Boeckhius plura alia hic proponit; sed interpres, credo, in iis continere se debet, quae lex carminis distincte offert.

V. 83—ad finem. Revocat se poeta ab his fabulis et splendido exitu carmen absolvit. Verus nexus hic: Abrumpo, quia nolo pergere (dixit enim quae volebat), non inopia rerum coactus. Multa sunt mihi intus in pharetra nondum deprompta tela egregia, qualia non habent deteriores quidam poetae. Age ostendamus copiam nostram nondum exhaustam. Dirige arcum; quem feriemus? Sit Agrigentum scopus, et dicam statim praeclaram laudem de hac urbe. Sic intelligitur vividior huius loci oratio. [Sunt haec ipsa, quae de heroibus in Elysio deque vita post mortem dixit poeta, e genere illorum telorum, quae sunt φωνᾶντα συνετοῖσιν, in qualibus reprehendendis sibi placebant aemuli poetae et obtrectatores laudum suarum, quia talia luxuriantis essent et immoderate exultantis ingenii. Verum, Rauchensteinius p. 19. ait, sentiunt auditores sapientes propterea in vita beatorum describenda tamdiu morari poetam, quia excitare Theronem velit ad spem futurorum praemiorum. Sed hoc caste et verecunde tegit miro transitu, dum telorum suorum vim defendit, alio deducere auditorum mentes visus. Tum vero v. 89. sumit unum ex telis, non occultum illud, sed iam apertum, iaculaturque insigni coniectu ac felici, Theronis laudans mores probos, mansuetos, benevolos. Quos quo impensius ac iustius laudat, eo magis defendit et confirmat ea, quae de spe beatitudinis futurae tacite significaverat. Ceterum cf. Prolegg. Sim. Cei p. XXX sqq.] — βέλη, cf Ol. I. fin. — ὑπ' ἀγκῶνος — ἔνδον ἐντὶ φαρέτρας, h. e. nondum deprompta. De plurali ἐντὶ cf. Ol. XI, 85. Pyth. I, 13. Add.

Iacobs. Delect. Epigrammatt. Gr. p. 75. — V. 85. φωνᾶντα, h. e. quae sonant tanquam voces et, ut ita dicam, loquuntur intelligentibus; in vulgus muta sunt, sensu per interpretes aperiendo. Cet. cf. Iacobs. ad Anthol. Gr. T. VII. p. 364. — ἐς τοπάν, vulgo, cf. Boeckh. d. Crisi Pindar. p 86. εἰς τὸ πᾶν pro omnino est loquutio frequens apud Aeschylum, cf. Blomfield. ad Choephor. 672. — V. 86. φυᾷ, cf. Ol. IX, 107. N. III, 68. — λάβροι παγγλωσίᾳ, inepta garrulitate loquaces; nota sunt λάβρος, λαβραγόρης, λαβρεύεσθαι. — V. 87. ἄκραντα γαρύετον, inania, ut Aesch. Choephor. 874. ἄκραντα βάζω. Porro significationem certandi in verbo γηρύειν πρός τινα et γηρύειν τινί optime illustravit Wunderlich. Observatt. critt. in Aeschyl. p. 167. Verte: Qui autem didicerunt inepte loquaces ut corvi inutili clamore certant adversus Iovis aquilam, nec assequuntur eam, nedum superent quicquid canant. In quo superbiam dicti quod attinet, tenendum eam minui ipsa metaphora, plane ut Nem. III, 80. V, 21. — Φορτικὸν diceres poetam, si sic loquutus esset: Ego enim sum egregius poeta. Ad locutionem cfr. Theocr. VII, 45: Ὥς μοι ἀπίχθονται Μοισᾶν ὄρνιχες, ὅσοι ποτὶ Χῖον ἀοιδὸν Ἀντία κοκκύζοντες ἐτώσια μοχθίζοντι. Deinde vides iratum esse Pindarum. Quibusnam? Ante omnia certum dixerim duos esse; dualem indistincte pro plurali positum ante Alexandrinorum tempora non credo, et errare mihi videtur Buttm. Gr. Gr. ampl. T. I. p. 348. contrarium docens. Hom. Il. VIII, 185. sunt duo paria equorum, et Odyss. VIII, 48. Hymn. Apoll. 456. 501. duo ordines remigum in dextro et sinistro navis latere sedentes. Plato Theaetet. p. 152. E. loquitur de duobus generibus hominum, poetis et philosophis, in doctrina de mutatione rerum perpetua consentientibus. De Aesch. Eumenid. 250. dixit Wellauer. Mihi tamen Mülleri mei sententia placet hemichoria ibi intelligentis. — Quum igitur duo sint, probabiliter cum Scholiastis Simonidem et Bacchylidem intelligunt. Ac bene monet Neuius Fragm. Bacchyl. p. 5. eruditione maxime polluisse Simonidem, huius autem imitatorem et discipulum fuisse Bacchylidem. Sed cur nunc eos carpit Pindarus? quod noli sine causa factum credere. Simonides, qui missus ab Hierone ad Theronem hos reges conciliaverat initio huius anni, vivebat apud Hieronem, ac pulcre coniicit Boeckhius eum tum Theroni suspectum fuisse. Sed videtur etiam Bacchylides Syracusis fuisse,

cf. Schol. Pyth. II, 131. Iam quum Thero, licet hi poetae in Sicilia essent, tamen a Pindaro Thebis versante carmen epinicium expetiisset, qui et ipse, ut videtur, iratus iis erat ob res antea gestas, quid mirum, si ridet eos, quod poesis eorum cum sua certare non possit? Ac pertinet ad hanc irrisionem totius loci vividior oratio, qualem supra explicui. — V. 89. *βάλλομεν* indicativus est, cf. Iacobs. Delect. Epigrammatt. p. 228. Stallbaum ad Plat. Sympos. p. 176. B. — V. 90. *ἐκ μαλθακᾶς φρενός*, e benevola mente, quum modo aliquot vulnerantia tela in inimicos miserimus. Vide ad Nem. IV, 45. Hoc loco *εὐκλέας* eodem sensu positum. Ac clarum sic etiam *αὖτε*, contra. — *τανύσαις*, Ol. IX, 14. 41. Praeferenda est enim Boeckhii ratio, multo aptior in hac vividiore oratione quam Hermanni, *τανύσαις αὐδάσομαι* iungentis. — *αὐδάσομαι*, vi activa, ut Soph. Phil. 852. Ai. 772. al. — *ἐνόρκιον λόγον*, ut in magna laude et quum obtrectatores haberet rex, cf. Ol. VI, 20. — *ἑκατόν γε ἐτέων* (Herod. IX, 76. Matth. Gr. §. 315.), h. e. per integrum saeculum; quare nihil hic argutandum. Urbs diutius steterat. Sensus: Nullum genuisse hanc urbem centum annis virum magis beneficum Therone. Possis etiam iungere *μή τινα πόλιν*, sed alterum cautius et verius dictum; immodice laudare deteriorum scriptorum est. — [V. 94. *μᾶλλον εὐεργέταν* et *ἀφθονέστερον* componuntur, ut in ingeniosa Bergkii coniectura Ol. I, 104. *μᾶλλον ἵδριν* et *κυριώτερον*. Sic Horat. Sermm. I, 2, 80: Nec magis tenerum aut rectius crus.] — V. 95 sqq. *ἔβα*, invasit, Eurip. Hippol. 234. 1381. — *κόρος*, quum beneficia, ut fit, fastidium et invidiam creassent. — *οὐ δίκᾳ συναντόμενος*, h. e. non honestum in modum aggrediens aperte, sed clam, *ψιθύρους λόγους πλάσσων*, ut fecerant proditores Capys et Hippocrates et Himerensium qui initio anni defectionem moliti erant. *ἄντεσθαι, συνάντεσθαι*, obviam ire, de hostibus notum. *δίκᾳ* vero est *σὺν δίκῃ*, ut Sophocl. Ai. 1247. Phil. 1234. El. 561.; conf. Blomfld. ad Aesch. Spt. 411. Scholia: *ὑπαντήσας οὐ κατὰ δίκην οὐδὲ ὧν δεῖ τρόπον*. — *μάργων*, vesanorum, improborum, cf. Blomfld. ad Aesch. Prometh. 909. — *ἐθέλων*, cupide, studiose faciens, amans facere, cf. Ol. XIII, 9. Buttm. Gr. min. p. 345. Markland. ad Lysiam Reisk. p. 616. Iam si sensus: qui cupiebat aut etiam nunc cupit obscurare praeclara facta Theronis, cur *ἑσλῶν* additum? Immo

haec ipsa vox probat generalem esse huius versus descriptionem; unde articulus intelligitur ante *λαλαγῆσαι*. Verto: Sed laudem invasit invidia non iuste procedens, sed ab improbis hominibus, qualis obtrectationem amat et pulcra bonorum facta obscurare studet. Iam licet displiceat *τὴν λοιδορίαν ἐθέλων*, non dixerim eodem iure *τὸ λαλαγῆσαι ἐθέλων* damnandum esse, quum infinitivus cum articulo nunquam plane exuat vim verbi. Hermannus *θέμεν* ad *τὸ λαλαγῆσαι* et ad *κρύφον* trahit, vertens: Invidia laudem invasit, improborum virorum rumores obscurationemque honestis factis bonorum excitare volens. In quo displicet *θέμεν τὸ λαλαγῆσαι*. [Contra pravam interpretationem Heimsoethii disputavit Rauchensteinius p. 17. De *λαλαγῆσαι ἐθέλων* v. H. L. Ahrens de crasi et aphaeresi p. 17. — V. 98. Scholia: *ὥσπερ ἡ ψάμμος οὐκ ἂν ἀριθμῷ περιληφθείη, οὕτως ἀμέτρητος Θήρων ταῖς εὐποιίαις. Ἄλλως· ἐπεὶ δὲ μετρεῖν ψάμμον ἀδύνατον, καὶ τὰς εὐεργεσίας τοῦ Θήρωνος μετρεῖσθαι ἀδύνατον.*]

CARMEN OLYMPICUM TERTIUM.

INTRODUCTIO.

Carmen eidem victoriae curuli scriptum, quae in antecedente celebratur, cantatum vero in Theoxeniis Dioscurorum Agrigenti. Emmenidae Agrigentum migrantes secum duxerant cultum Dioscurorum, ut videtur, sive is, ait Boeckhius, Argis cum colonia in Rhodum, inde in Siciliam venerit, sive Amyclis Theraque per Theram, unum ex Theronis maioribus, ad Emmenidas propagatus sit, quae Mülleri sententia est Orchom. p. 339. Agrigenti inter publicas religiones, credo, receptus erat, ac Dioscurium publicum videtur fuisse; Emmenidae tamen plurima sacrificia offerebant, studiosissime cultui patrio addicti. Ipsa sollemnia Dioscurorum Agrigentina Scholiastae Theoxenia appellant; quum enim hi dii maxime hospitales essent, curabantur iis lectisternia, *ξείνιαι τράπεζαι*, quibus excepti ceteros deos exciperent. Atque his Theoxeniis ornandis bene suspicatur Boeckhius carmen scriptum esse. Statim enim in principio quod hospitales Tyn-

daridas poeta nominat, ne de Helena dicam, vix aliter explicari potest; deinde *πάντων ἑορτὰν* dicit praesentia sollemnia, quae vox festum deorum significat. — Carminis ratio haec est: In Dioscurio festo die quum res ageretur, in principio statim Dioscuris et Helenae dedicatur carmen. Tum poeta canit, ut Hercules olim post institutos ludos Olympicos, quum locum arboribus vacuum videret, oleastrum ab Hyperboreis adsciverit, quae umbram praeberet hominibus Olympiae congregatis et coronas victorum. Qua re narrata ad Tyndaridas redit, qui victoriam dederint Emmenidarum pietati, haud dubie etiam illo die larga sacrificia offerentium. Denique in fine, ut alias, modestia commendatur victori, ceterum probo viro. Vides rationem carminis simplicissimam. Est sollemnis gratiarum actio et dedicatio coronae in Dioscurio, inter ceteros coronatos Therone adstante cum Olympica corona oleagina in capite, quam dedicare vult Dioscuris, uti etiam Boeckhio videtur. Versatur igitur maxima pars carminis in ipsa coronae oleaginae praestantia celebranda; qua quidem re ut Emmenidae et Thero ornantur, quibus dii talem coronam dederant, summum tamen consilium carminis ad Tyndaridarum et urbis honorem pertinet, quemadmodum par est in tali causa. Ceterum cum Boeckhio suspicor actam rem ante praecedentis carminis epinicia, siquidem primum diis publice gratiae actae videntur, antequam privata domi comissatio haberetur. [Theoxenia ut Agrigenti, ita in Paro insula celebrabantur Dioscuris dicata, v. praeter Fr. Thierschium in Actt. Acad. Monac. 1834. p. 622 sqq. Boeckhium Corp. Inscrr. II. p. 1075. Preller. ad Polemon. p. 67. et C. F. Hermann. antiqq. sacr. §. 10, 12.]

EXPLICATIO.

V. 1—6. Prooemium. Poeta precatur, ut carmen placeat Tyndaridis *φιλοξείνοις*, hospitalibus, cf. Introd. Alii de Theoxeniis omnino non cogitandum putant: satis esse scire Tyndaridas ut praesides ludorum victoriam dedisse. Sed hi docere debebant, cur nunc hospitales nominet ac non potius *ἀγωνίους*, *εὐίππους*. Omnino vero monendi sunt lectores Pindari, ut ad formulas initiales carminum attendant; tale a diis factum principium non potuit locum habere in carmine privata in domo

canendo die non festo. Porro sensus loci hic: Dioscuris et Helenae placeam Agrigentum ornans hymno in Theronem. Unde colligo cultum Dioscurorum et Helenae publicum fuisse publicumque Dioscurium, quod in incerto relinquebat Boeckhius. Si enim privatus tantum erat et gentilicius Emmenidarum, dicendum erat: Placeam Tyndaridis Emmenidas honorans hymno in Theronem. Ceterum adverte tempora; *γεραίρων*, ut de re manente, *ὀρθώσαις* de carminis faciendi actione transeunte. Ipsum *ὀρθώσαις* est erigens hymnum, aut tanquam columnam, quales habebantur in locis ludorum, victorum nomina servantes, cf. ad Ol. VII, 86., aut tanquam statuam, de quibus in victorum honorem positis satis constat e Pausania. Similiter Isthm. I, 46: *ξυνὸν ὀρθῶσαι καλόν*. Architecturae vero opera aliena sunt. — *ἄωτον*, cf. Ol. V, 1. VIII, 75. — V. 4 sqq. Sensus: Musa vero ita mihi affuit, ut novo splendido modo reperto Doriis vocem aptarem rhythmis. — *παρέστα*, ut Pyth. VIII, 70: *κώμῳ ἁδυμελεῖ Δίκα παρέστακε*. Promittit poeta eximia quaedam, quae diis placere possint. Quae res non pertinet ad melodiam aliquam novam, quod nimis tenue esset, sed monstrantibus Scholiastis et nexu ad ipsum hymnum ac, quod mihi non dubium, prae ceteris praeclaram ad fabulam nunc primum a Pindaro ex Olympica Elcorum traditione haustam, de oleastro ab Hercule ex Hyperboreis Olympiam translato, quam statim narrare vult. Fuerunt autem Doriensium maxime fabulae de Hyperboreis Apollinis populo et Herculis ad eos itinere, cf. Müller Dor. I. p. 267. (269.). Elei deinde oleastri translationem addiderant. Haec nunc, ut par est, Dorio rhythmo canere vult Doriis diis. *Δώριον* enim *πέδιλον*, etiam Boeckhio monente d. Metr. Pind. p. 276., rhythmum dicit, qui pede pulsatur, unde *ῥυθμὸν κρούειν*. Cf. Tibull. II, 1, 52: Agricola — cantavit certo rustica verba pede. Ad *νεοσίγαλον* autem conferes *ἄνθεα ὕμνων νεωτέρων* Ol. IX, 49. similiter dicta de fabula ab aliis lyricis nondum tractata. Tales fabulae quattuor sunt in Olympicis carminibus. *ἐναρμόξαι*, conf. Wyttenb. ad Plutarch. d. aud. poet. p. 16, c. Denique *ἀγλαόκωμον*, ut nunc ipsum ornat Theoxeniorum *κῶμον*.

V. 6—34. Media pars carminis de oleastro Olympiam translato. — V. 6. *χαίταισι μὲν ξεν*χθ. cett. Orsus a corona Theronis poeta sensim transit ad oleastrum Olympicum. Mirum vero dubitari unquam potuisse, Theronis an

equorum coronae carmen postulent. ζευχθέντες, ab Hellanodicis impositae, decretae; simul autem comissantes coronati erant. — θεόδματον χρέος, corona hoc a Musis constitutum officium tanquam debitum exigit a me, ut Aenesidami filium canam digne. Poetis enim divinitus impositum est negotium, ut res praeclaras canant. — V. 8. ἐπέων τε θέσιν, h. e. σύνθεσιν, verba bene posita, adornata, iuncta, carmen. Laudat Boeckhius Etymol. M. p. 319, 31: θέσις ἡ ποίησις παρ' Ἀλκαίῳ, et 391, 26: Πίνδαρος θέσιν τὸ ποίημα λέγει. [Aeolensibus potissimum θεῖναι idem fere quod ποιῆσαι. Ita praeter Alcaeum Sappho fr. 40: οὐκ οἶδ' ὅττι θέω· δύο μοι τὰ νοήματα. Ex nescio quo poeta Et. Magn. 177, 26. affert ὑμνοθετήρ; Io Chius παλαιθέτους ὕμνους Lydorum commemorat Omphal. fr. 7. De poesi similiter θέσθαι Solon. I, 2: κόσμον ἐπέων, ᾠδήν, ἀντ' ἀγορῆς θέμενος.] — συμμῖξαι, cf. Ol. I, 20. — ἅ τε Πίσα, scil. πράσσει με χρέος γεγωνεῖν [γεγωνεῖ Emperius], laudari vult, quibus verbis praeparat antiquitates Olympicas statim canendas, plane ut Ol. I, 18. Vides τε in ἅ τε respondere particulae μέν post γαίταισι, usu apud Pindarum frequentissimo. — V. 11. ἐπ' ἀνθρώπους, ᾧ τινι. Senties ex hoc exemplo non temere singularem sic poni post pluralem. — V. 12. Ἑλλανοδίκας. Iudices certaminum Olympicorum eo tempore duo erant, postea plures. — Αἰτωλὸς ἀνήρ, Aetoli sunt Elei propter Oxyli coloniam. — γλεφάρων ὑψόθεν ἀμφὶ νόμαισι: noli vituperare orationem in coronae caput ornantis imagine suaviter immorantem; sic enim, ut iam monitum, tum Thero in Dioscurio adstabat redimitus. Ceterum γλεφάρων ὑψόθεν, ut Apollon. Rhod. II, 806. ὑψόθεν ἄκρης. Vide plura ap. Tafel. — γλαυκόχροα videtur pertinere ad folia superne mixto viriditati argenteo colore candicantia, vid. Schneid. Theophr. Opp. T. V. p. 425. et Tafel. ad h. l. — V. 14. De Hyperboreis ad fontes Istri cf. Boeckh. h. l. et Müller., maxime in Prolegom. Mythol. p. 119 sqq. Pindaro Hyperboreos non versus occidentem poni, sed ad septentrionem, clare docet Isthm. V, 23. coll. Ol. VIII, 47. [σκιαρᾶν, ἤτοι τῶν βαθειῶν, ἢ τῶν σκιαζομένων τῇ περὶ αὐτὰς τῶν ἐλαιῶν φυτείᾳ. Schol.] — V. 17. πιστὰ φρονέων, Schol. φιλικῶς διανοούμενος, confer Musgrav. ad Soph. Electr. 229. — V. 18. ἄλσει. Dici ἄλσος de loco sacrato etiam arboribus non consito notum vel ex Homer. Il. II, 506., cf. Boeckh. Nott. critt. ad h. l. Tenendum vero non

Altin solam hic intelligi, sed universum in valle τέμενος Olympicum; leges enim statim arbores etiam ad hippodromi metam plantatas; hippodromus autem extra Altin erat. Ceterum adde nos ad Ol. XI, 45. Porro Boeckhius asyndeton, meo iudicio, recte tuetur. Neque enim ad novam rem pergit oratio, sed quum dixisset Pindarus ex Hyperboreis oleastrum allatum ab Hercule, ut certaminum praemium esset, non vi adhibita, sed persuasione verborum, sequens colon manifesto huius ipsius sententiae uberiorem repetitionem habet, ἠθικῶς poeta huic loco immorante ut gravissimo. Quare ego colo interpunxi post λόγῳ. [Koenii Ἄλτει, revocato post λόγῳ commate, acriter defendit Rauchensteinius II, 20. Nam Ἄλτιν et ἄλσος similiter iunxisse poetam Ol. XI, 45: σταθμᾶτο ζάθεον ἄλσος πατρὶ μεγίστῳ· περὶ δὲ πάξαις Ἄλτιν μὲν ὅγ' ἐν καθαρῷ διέκρινε, qui tamen locus mihi a nostro aliquantum diversus videtur. Duplex igitur censet Rauchensteinius dici Herculem consilium secutum σκιαρὸν φύτευμα ξυνὸν ἀνθρώποις curavisse universis Olympiam adeuntibus, victoribus autem στέφανον ἀρετᾶν et utraque re prodidisse, quantopere sibi cordi esset Διὸς Ἄλτις πάνδοκος. Quare πιστὰ φρονέων praemissum esse. Ita asyndeton tolli in Disseniana scriptura vix tolerabile, v. Hermann. Opuscc. VI. p. 18., cui tamen scite Heimsoethius mus. Rhenan. 1846. p. 6. ita succurrit, ut urgeri a poeta dicat, non per vim neque dolo Herculem abstulisse olivam, sed λόγῳ πείσαντα.] — V. 19 sqq. Sensus: Iam enim instituta quidem et semel acta erant Olympia, sed arbores nondum habebat regio. Primum igitur particulae μέν post πατρί respondet ἀλλά v. 23. Porro, ut Pindarus ubique in his rebus sacrificium et ludos distinguit, sic etiam hic; ac quum postea plures dies festi essent, cf. Boeckh. h. l. et nos in Excurs. T. I. p. 333 sqq., mythico tempore duos ponere mihi videtur, unum sacrificiis dicatum ipsum tum plenilunii diem, alterum ludis, proximum post plenilunium. Nunc vide poetae verba: Iam enim, ait, patri sacratis aris, Luna Herculi totum oculum suum offuderat, h. e. iam enim post sacrificia Iovi oblata plenilunium vespertinum apparuerat, quibus verbis omnino designatur primus dies; iamque, pergit, certaminum iudicium et quinquennalem reditum festi instituerat, h. e. iamque celebratus erat secundus quoque dies ludis consecratus, et constitutus erat etiam reditus sollemnitatis, ut nunc futuris quoque conventibus prospiciendum esset: sed locus nondum erat

huic rei satis aptus. — *βωμῶν ἁγισθέντων*, per sacrificium primum. Ceterum quum Hercules etiam ceteris diis Olympiae tum sacraverit aras, hoc loco notabis simpliciter a potiori re, Iovis aris, designari totum. — *διχόμηνις*, ut Arat. Phaen. 78. — *ἑσπέρας*, vesperi. Recte enim Boeckhius monet hic non coniungendum esse *ἑσπέρας ὀφθαλμόν*, licet nota sint *νυκτὸς ὀφθαλμός*, *ἀμέρας βλέφαρον*, alia, quum rectius et pulcrius dea suum oculum ei offudisse dicatur, veluti est *ὄμμα Σελήνης* Nonn. IX, 66. XI, 189. Conferri etiam meretur Virg. Georg. I, 430. — V. 21 sqq. *ἀέθλων κρίσιν*, pro ludis, conf. Ol. VII, 80. Nem. X, 23. — *θῆκε*, scil. Hercules; alii supplent *Μήνα*, quam affectatam loquutionem noli Pindari simplicitati tribuere. — *κρημνοῖς*, de litoribus et ripis praeruptis, vox Pindarica; cf. Schneid. ad Pind. Fragm. CXLV. Heyn. et Boeckh. p. 664. — Porro noli cum Aristarcho iungere *χῶρος Πέλοπος ἐν βάσσαις Κρονίου*: quum enim vallis Olympica, sita inter duo iuga collium, bene dicatur *βᾶσσα*, tamen non aeque commode montis *Κρονίου βᾶσσα* dicetur. Verius Boeckhius *Κρονίου Πέλοπος* iungit, quum Pelops a Saturno descenderet per Tantali patris matrem Pluto et per Tantali patrem Iovem Saturnium, quod epitheton consulto h. l. additur propter cultum Saturni Olympicum, ut Iuppiter in Olympicis Pindari carminibus saepius *Κρόνου παῖς* dicitur, eadem de causa. [Ab Aristarchi iudicio qui discedendum fuisse merito negat Hermannus Opuscc. VI. p. 64. recte admonet, si *Κρονίου Πέλοπος* iuncta voluisset Pindarus, *Κρονίδα* fuisse positurum.] Denique a Pelope designat Olympiam, ut Ol. V, 9., quod inprimis aptum in carmine in Siciliam aut Italiam misso, cf. Introd. ad Ol. I. — V. 24. *τούτων* pr. *τούτων οὖν*, cum vi, accedente oratione ad id, quo tendebat, cf. Pyth. IV, 165. — *κᾶπος*, amoenus locus, ut alias loca diis grata, veluti Libya Iovis *κᾶπος* Pyth. IX, 55., Brasiarum in Peloponneso campus *Διονύσου κῆπος* Pausan. III, 24, 3. [*ὑπακουέμεν*. Schol. *μεταληπτικῶς ἀντὶ τοῦ αἰσθάνεσθαι*, cf. Lobeck. Rhemat. p. 335., qui Latinos observat similiter obedire, i. e. obaudire, de rebus inanimatis usurpare.] — V. 25. *θυμὸς ὥρμαινε* prima et Homerica significatione est: animus volvebat, agitabat, tum: animus studebat, quum *ὁρμαίνειν* post Homerum etiam intransitivum sit. Utrum eligas, postulaveris primo adspectu *πορεύεσθαι* ut simplicissimum, atque ita iam olim quidam ceperunt *πορεύειν*. At enim licet *νομᾶν*,

ἐπινομᾶν, *στρωφᾶν*, alia in usu sint, cf. Nem. IV, 55., nusquam tamen *πορεύειν* intransitive dictum invenias. Recte vero dicas: *θυμὸς ἐπόρευσέ νιν*. Sed quid est *θυμὸς ὥρμαινε πορεύειν νιν*? Nempe quum propiora loca arbores offerrent, in remotissimam tamen abiit Hercules regionem oleastri victus cupiditate. Hoc bene innuens Pindarus dicit: Tum animus id agebat, ut ad Hyperboreos eum duceret. Ac ne forte *Ἴστρίαν ἐς γαῖαν* nunc requiras, Hyperborei habitabant ad fontes Istri, quare recte dicit: in regionem eam Istriam, ubi Diana alio tempore benigne exceperat venientem. — V. 26. *ἱπποσόα*, vid. Müller. Dor. I. p. 379. (381.) et Vossium in Epist. Mythol. T. III. p. 71. Fontes et fluvios amans, etiam equos alit in pratis aquosis certaminibus aptos et domat et agit rapido vecta curru. Versatur autem Diana etiam apud Hyperboreos, a quibus colebatur cum fratre Apolline, cf. Müller. l. cit. p. 369. (371.). — *δειρᾶν*, vid. Iacobs. Anthol. Palat. T. III. p. 609. Sensus: quum per montes et valles Arcadiae cervam frustra quaesivisset. — V. 28. *ἀγγελίαις*, iussu Eurysthei, qui per Copreum nuntium ei labores imperabat, Hom. Il. XV, 639. — *ἔντυε*, Pyth. IX, 66. Theogn. v. 195: *ἐπεὶ κρατερή μιν ἀνάγκη ἐντύει*. — *ἀνάγκα πατρόθεν*, Il. XIX, 103. Sensus: quum necessitas a patre imposita impelleret eum, ut iussu Eurysthei cervam a Taygeta Dianae dedicatam quaereret et Mycenas adduceret. Apollod. II, 5, 3. Qui fuit unus laborum Herculis. — *χρυσόκερων ἔλαφον*. Cornutas cervas vulgo non reperiri constat, nisi naturae lusu, quod docent periti; at fabulosae cervae tales non rarae. Atque huic nominatim cervae cornua fuisse aurea plurimi tradiderunt. Vid. Boeckh. et Tafel. [De cervabus cornutis cf. ad Simonid. Ceum p. 58. et Weigand. de Antipatris Sidon. et Thessalon. p. 27. Miraculum ut extolleret Pindarus, de industria addidit *θήλειαν*.] — Taygeta, Atlantis filia, Lacedaemonis mater et Eurotae. — V. 30. *ἀντιθεῖσα*, pro cerva, narrant Scholia, in quam ipsa antea mutata erat a Diana, ut Iovis insidias amatorias fugeret. Nisi pro sacrificio debito, pro victimis humanis abolitis cerva data erat, ut pro Iphigenia, quae Boeckhii suspicio est, quum sanguinem humanum olim *Ὀρθωσία* posceret. Vid. de ea Boeckh. h. l. Valckenar. ad Theocr. Adon. p. 277. et Müller. Dor. I. p. 381. (383.). — *ἔγραψεν ἰράν*. Crediderim Pindarum *ψέλλιον* cogitasse in collo cervae cum inscriptione: *Ἀρτέμιδός εἰμι*. Veluti apud Theocrit Id. XVIII, 48.

est: Ἑλένας φυτόν ἐμμι. Fuitque haec legitima formula. De ψελλίῳ autem cf. Pausan. VIII, 10, 4. Huic explicationi nunc etiam Boeckhius non adversatur, et probat eam Müllerus. Schol.: Λέγεται, ὅτι, ἡνίκα Ἡρακλῆς παρέσχεν αὐτὴν Εὐρυσθεῖ, τότε εὑρέθη ἐπὶ τοῦ τραχήλου αὐτῆς γεγραμμένον· Ταϋγέτη ἱερὰν ἀνέθηκεν Ἀρτέμιδι. Cf. Wüstemann. ad Theocr. XI, 41. — V. 33. Tryphiod. 286: οὐδέ σε πάτρης, Οὐδὲ πολυκτεάνων θαλάμων γλυκὺς ἵμερος αἱρεῖ, ductum ex Hom. Il. III, 446. Harum arborum, ait, eum desiderium cepit, ut plantaret circa metam hippodromi, ubi etiam postea oleastri steterunt. Loquitur autem nunc de hippodromo maxime propter curulem victoriam, quam canit. [Τὸ Πάνθειον λέγει, ἐν ᾧ πεφύτευνται ἡ ἐλαία, ἣν δρέπει ἀμφιθαλὴς παῖς χρυσῷ δρεπάνῳ, κλάδους ιζ' τέμνων, ὅσα καὶ τὰ ἀγωνίσματα. Schol., ubi v. Boeckh. p. 102.] — δωδεκάγναμπτον, cf. Ol. II, 50. — Singulis explicitis, de universo loco illud pluribus quaerendum, utrum semel, an bis apud Hyperboreos fuerit Hercules. Si semel, Pindarus dicere debebat sic: Tum forte accidit, ut ad Hyperboreos veniret, quum iussu Eurysthei quaereret cervam Dianae sacram. Nunc autem interponit: ἔνθα Λατοῦς ἱπποσόα θυγάτηρ δέξατο, quae verba ex hac ratione intelligi nequeunt. Sed clara omnia, si bis venit. Sensus: Tum venit in mentem in Istriam proficisci, ubi Diana olim exceperat ex Arcadia venientem, (nunc Olympia proficiscitur), quum cervam quaereret, quam persequens forte etiam illas regiones adierat videratque arbores. Harum nunc eum desiderium cepit, profectusque est, ut consequeretur, sperans ope Dianae equestris se ab Hyperboreis arbores impetraturum ad hippodromum plantandas. In quo etiam ἱπποσόα cur additum sit, sentis. Non igitur proximus post Augiam devictum labor capienda cerva, sed hanc alio tempore ante hoc bellum persequutus erat, ut recte tradit Apollod. II, 7, 2., post omnes labores exantlatos Augiam victum, e cuius belli primitiis Olympia instituta.

V. 34 — ad finem. Redit ad rem praesentem. — Initio verba ἐς ταύταν ἑορτάν ne quis de Olympica sollemnitate quinquennali intelligat, quum nunc in templo Tyndaridarum caneret chorus, absonum est cogitare de alio festo quam de praesenti. Ad Theoxenia igitur venit fruiturque una lectisterniis paratis, ceterum et ipse peculiari templo cultus Agrigenti; cf. Boeckh. in Introd. [Recte Rauchensteinius II, 21. refellit Heimsoethium

ταύταν ἑορτάν ad Olympia referentem. Poeta enim victoriae cum Theoxeniis coniunctam celebrationem egregie expressit Herculis cum Tyndaridis ad Theronis sacra venientis imagine. Ita efficit quod in prooemio significaverat, se cum laude Theoxeniorum victoriae Olympicae celebrationem coniuncturum. — V. 35. De forma δίδυμος et similibus videndus nunc Lobeckius Pathol. p. 169.] — V. 36 sqq. ἀγῶνα νέμειν. Dioscuri erant inter deos ἐναγωνίους, cf. Nem. X, 53., et in hippodromi quidem carceribus colebantur tanquam ἀφετήριοι Olympiae, Pausan. V, 15, 4., Spartae, Pausan. II, 14, 7. al. Cf. Welcker. Trilog. Aeschyl. p. 229. τοῖς γάρ, h. e. his enim ipsis Hercules curam Olympiorum olim mandaverat. — ἀνδρῶν τ' ἀρετᾶς, in stadio, lucta, pugilatu, ceteris certaminibus. — [Non persuadet Rauchensteinius II, 21., quum πα ita tuetur, ut poetam dicat voluisse hoc: iubet me animus dicere gloriam contigisse Emmenidis Tyndaridarum fere beneficio propter pietatem —, sed suspicionis et opinationis illud signum πα, quod verbis διδόντων Τυνδαριδᾶν apponi debuerit, primis enunciati verbis inseruisse, quo statim in principio significaret se aliquam suspicionem suam prolaturum. Igitur comma post κῦδος abesse vult Rauchensteinius. Acute ille quidem, sed parum recte. Illud πα probarem, si referri posset ad verba ὅτι πλείσταισι βροτῶν ξεινίαις αὐτοὺς ἐποίχονται τραπέξαις: ibi enim opinatio, puto, locum suum haberet. At Tyndaridas concessisse victoriam, id vero vix poterat dubitanter eloqui poeta; et si voluisset, verborum collocatione opus erat alia. Frustra provoces ad Pyth. X, 11. — Ceterum Ἐμμενίδαις Θήρωνί τε dictum ut Τρῶές τε καὶ Ἕκτωρ et similia apud Dissen. ad Isthm. VII, 1. Lobeck. Soph. Ai. 310. Schoemann. Plut. Ag. p. 75.]. — ῥιμφαρμάτου, Soph. Oed. Colon. 1062. — εὐΐππων, vox ad artem equorum regendorum pertinens, cf. Hermann. ad Oed. Colon. v. 715. — V. 40. ἐποίχονται, cf. θυσίαισιν οἰχνέοντες Pyth. V. 80. et μετήϊσαν Herodot. VII, 178.; add. Aesch. Prometh. 530. θεοὺς ὁσίαις θοίναις ποτινισσομένα. Ceterum vid. Introd. Omnino Emmenidas liberalissime coluisse deos docet Fragm. Encom. 2. et Isthm. II, 39. — V. 42. ἀρ ιστεύει ὕδωρ cett., cf. ad Ol. I. init. Etiam hic post memoratas ξεινίας τραπέζας in κώμῳ, ubi et vasa aurea adhibebantur et aqua, vides alienum esse Thaletis placitum. [Hermanno Opuscc. VI. p. 67. videbatur poeta dictum illud suum, agitatum fortasse a derisoribus, pertinaciter inculcando amplecti in eoque perstare quasi in ludibrium istorum risorum. Quare

Olympium carmen I. ad Ol. 76., non Ol. 77., referendum arbitratur. Refutavit haec Rauchensteinius II, 22 sq. Nihil igitur relinquitur, nisi ut statuamus imagine illa delectatum poetam ad praestantissima quaeque suo in genere declaranda identidem repetiisse, ut aliis quibusdam imaginibus plus semel usus est, v. Rauchensteinii Introd. p. 114 sq.]. — V. 44. *οἴκοθεν* (*von Hauses wegen*) insita genti praestantia, verte: Nunc ad extremum Thero terminum virtutibus veniens tangit domestica vi Herculis columnas. Has attingere dicuntur ut extremum navigationis terminum qui in summa felicitate sunt, cf. Pyth. X, 28. Nem. III, 19. IV, 69. Isthm. III, 30: *ἀνορέαις δ' ἐσχάταισιν οἴκοθεν σταλαισιν ἅπτουθ' Ἡρακλείαις*. [Recte Heimsoethius I. p. 11. intellexit *οἴκοθεν* vulgo non recte referri ad insitas genti virtutes; sed summam felicitatem describi imagine longinquitatis viae a domo usque ad Herculis columnas, ut in illo loco Isthm. III, 30. Et sic Humboldtius accepit: *Theron erreicht vom heerde der väter Herakles säulen.*] — *σοφοῖς*, qualis Thero. Vide de hoc loco notata ad Ol. II, 16. — *οὔ μιν διώξω*, suavius dicit de se quae Theroni dicere vult, cf. Pyth. III, 107 sqq. Nem. I, 36. X, 39. Sensus: Ulteriora nemini assequi licet, quare noli ea persequi, vanus enim fueris. *εἴην* sine *ἄν*, similiter lectum Ol. IX, 80. X. fin., est de confidentiore affirmatione sive de opinione sine conditione, ut Hermannus loquitur in Dissertatione de Particula *ἄν* lib. III. c. V. Adde Nitzschium ad Hom. Odyss. p. 174. et 206. — Ceterum notae sunt modestiae admonitiones in fine carminum; sed hoc loco quod paulo intentius et gravius (*κεινὸς εἴην*) hortatur Theronem bonum virum, eo consilio factum videtur, ut rex, qui tum adversarios habebat, cf. Ol. II., diligenter caveret invidiam, nec potentiam suam augere tentaret.

CARMEN OLYMPICUM QUARTUM.

INTRODUCTIO.

Carmen hoc et sequens scriptum Psaumidi Camarinaeo, reda mulari victori Ol. 82. Certaverat Psaumis, vir certaminum studio insigniter deditus, quadrigis simul et mulabus et celete, ut videtur, vicerat autem solis mulabus, atque haec victoria utriusque carminis argumentum est. Quintum manifesto post reditum in Sicilia cantatum, hoc vero Olympiae, praesente Pindaro, qui, quum Iovi pompa sollemni gratiae agendae essent, statim post victoriam viro insigniter hospitali sibique amicissimo has strophas scripsit. Uberrime haec exposuit Boeckhius, cui plane assentior; quare nollem quadrigarum victoriam explosam nuper denno defensam, et falsum titulum *ἵπποις* restitutum, male intellecto loco v. 13. 14., qui accuratius inspectus contrarium probat. Ceterum poeta hoc carmine primum Iovi Aetnaeo, qui victoriam dederat, pompam Psaumidis accedentem commendat, tum reliquis eius conatibus ludicris successum precatur, utpote dignissimi viri, quem in fine iucunde defendit, derisum, ut videtur, propter canitiem.

EXPLICATIO.

V. 1 — 12. Principium carminis. Invocatio Iovis. Moris erat, ut victores gratiarum causa sollemnem pompam ducerent vespere ad Iovis aram in Alti, in curru vecti, si eo vicissent, comitantibus amicis, inter cantus. Et nunc quidem Pindarus carmen fecit huic rei aptum; quibus autem deesset poetarum opera praesentium, iis Archilochi quendam hymnum canebant, de quo cf. ad Ol. IX. init. — V. 1 sqq. *Ἐλατῆρ βροντᾶς*. Tonantes equos volucremque currum Iovis nosti ex Horat. Carm. I, 34, 8.; magnificentius Pindarus ipsum ruentem tonitrum *ἀκαμαντόποδα* dicit. Sed cur h. l. his utitur? Nihil nisi potentiam significari diceremus, si simpliciter *ἐγχειικέραυνος*, *ἀργικέραυνος*, *βαρύγδουπος*, *πολυνεφέλας*, *ὑψινεφής* legeretur; nunc autem amplior dictio est. Atque *ἐλατὴρ ὑπέρτατος* manifesto nunc Iuppiter dicitur comparatus hominibus agitatoribus curruum: *ἀκαμαντόπους* autem victorum equorum epitheton est Ol. III, 3., et ipsarum Psaumidis mularum victricum carm. seq.; quare plane non dubito rem propius ad Psaumidem pertinere, tonitrumque forte auditum, *αἴσιον βροντάν*, aut in ipso certamine aut quum sacrificaret Psaumis ante certamen, qua re nunc praeclare Pindarus utitur. „Iuppiter," ait, „appello te, summe agitator, qui per coelum tonitrum celerrimum agens faustum signum dedisti Psaumidi agitatori victoriae mulabus celerrimis reportandae." Videbimus saepius in sequentibus generales sententias prooemiorum ad victoris personam revocandas,

cf. Ol. VIII. — *τεαὶ γὰρ ὧραι*, te enim invoco, quia me huc duxerunt tempora festi tui, Olympias rediens, ut Isthm. II, 23. Atque hoc simplicissimum. Horas saltantes nolim inferre. Neque enim Pindaricum videtur Horas saltantes inter cantum et cithara Apollinis sonante reducere Olympicos ludos. [Confer Simonidis epigr. 205, 1: *Πολλάκι δὴ φυλῆς Ἀκαμαντίδος ἐν χοροῖσιν ὧραι Ἀνωλόλυξαν κισσοφόροις ἐπὶ διθυράμβοις Αἱ Διονυσιάδες*, ubi vide quae dixi.] — *ὑπ' ἀοιδᾶς*, ut Ol. VII, 13. *ὑπ' ἀμφοτέρων (φόρμιγγος καὶ αὐλῶν) κατέβαν*. Vid. Monk. ad Eurip. Hippol. 1294. Matth. Gr. p. 1187. — *ποικιλοφόρμιγγος* additum videtur, ut choricum carmen significetur. Cet. cf. Ol. III, 8. Nem. IV, 14. — *ἑλισσόμεναι, περιτελλόμεναι* (Soph. Oed. R. 156.), *περιερχόμεναι*, circumactae, redeuntes. — *μάρτυρα*, quum poeta carmine testimonium dicat rebus gestis. Iam verte: Tui enim festi tempora cum citharae cantu me redeuntia, s. quum redierint, duxerunt huc ad te, ut summorum certaminum laudator essem. — V. 4. *ξείνων*, qualis Psaumis mihi. — *ἔσανται*, gaudere solent, cf. de h. v. Schweigh. ad Polyb. I, 80. — *αὐτίκα*, propter carmen statim factum. — *ποτί*, ad nuntium, audito nuntio. Nuntiabat autem victoriam praeco et fama volans omnibus Olympiae praesentibus. — V. 6 sqq. Invocationem Iovis repetit et absolvit, plane ut Ol. VIII. init. Nam ut ibi est: *Μᾶτερ — Οὐλυμπία* cett., tum repetito vocativo: *Ἀλλ', ὦ Πίσας εὔδενδρον ἄλσος, τόνδε κῶμον δέξαι*, sic hoc loco: *ἐλατὴρ — Ζεῦ*, tum *Ἀλλ', ὦ Κρόνου παῖ, δέκεν*. Maior forma talis periodi est Horat. Carm. IV, 6, 1—19. Cfr. Bernh. Synt. p. 74. Totus autem locus unum finem habet, quippe causas exhibens, cur pompa Iovi ducatur. Sensus enim: Iuppiter, cuius potentiam benevolam Olympiae et in Sicilia experitur Psaumis, recipe cett. Nam Iuppiter Aetnam tenens, sub quo Typhoeus iacet, est domitor Typhoei et Siciliae tutor. Ac notabis concinnitatem rerum, quas poeta composuit; quum enim tonitrum memorare deberet, pulcre tale addidit aliud, quo similiter augusta Iovis potentia exprimeretur. Ceterum cf. *ἰπνούμενος* Aesch. Prometh. 365. ibiq. Blomf. — V. 9. *Χαρίτων*. Victoriae dator modo declaratus est Iuppiter, Gratiis vero, quae delectantur epiniciis comissationibus et epinicio cantu, cf. Nem. VI, 38., IX, 54., nunc debetur *κῶμος*, pompa ludicra cum cantu et instrumentis musicis, iam accedens ad Iovis aram. Atque hunc

κῶμον dicit perenne lumen Psaumidis virtutibus. Ceterum *κῶμος* quid sit apud Graecos, uberrime explicatum vide a Welckero ad Philostrat. p. 202 sqq. [Rauchensteinius II, 23: „Servato *Θ'* sic dicitur, ac si ex *Οὐλυμπιονίκαν* ad *ἕκατι* intelligatur *Ὀλυμπίας*. Iovi et Olympia cara est et carae sunt Gratiae. Propter utramque causam rogatur accipere victoris pompam sollemnem." Difficilis explicatio et quae vix in mentem venerit iis qui haec vel audiere olim vel legere. Qui *Θ'* inseruerunt primi, videntur verba sic intellexisse: *δέκευ Οὐλυμπιονίκαν* (Psaumidem) *καὶ τόνδε κῶμον Χαρίτων ἕκατι*. Vel sic: *δέκευ Οὐλυμπιονίκαν τόνδε κῶμον δέκευ τε Χαρίτων ἕκατι*. Vide Scholia.] — V. 11. *ὄχος* proprie de reda mulari, ac praestantissimae erant mulae Siculorum. Porro explica: *ἔπει γὰρ ὁ κῶμος, Ψαύμιος ὀχέων ὤν*, Psaumidis enim redae victricis est haec pompa. Vehebatur victor reda, comitantibus ceteris. Cave igitur *κῶμον* totum sedentem fingas in curru, ac ne hymnum quidem Pindarus usquam dixit in curru sedere. [Heimsoethius p. 12. aliter explicat: „Pindarus ut dicat *ὅθεν ὁ κῶμος* veniat, a Psaumidis, inquit, curru venit (originem habet), qui victor Olympicus cett." Rursus aliter Bernhardy Synt. p. 166: *gehört dem wagen an*. Neuter recte.]

V. 12 — 18. *λοιπαῖς εὐχαῖς*. Qui dicit: deus reliquis eius votis faveat, quum laudabili studio equis alendis operam det, satis clare equestres coronas, inprimis quadrigarum victoriam se optare Psaumidi indicat nondum reportatam. — V. 15 sq. Etiam propter alias virtutes dignus est summa hac victoria. — *ἀσυχίαν*, concordem tranquillitatem, a seditionibus alienam, cf. Pyth. I, 70. Dea est Pyth. VIII. init. — *καθαρᾷ γνώμᾳ*, sincere, cf. Theogn. v. 89. — V. 17. Non mentiar pro non mentior, cf. Ol. VI, 21. Nem. IX, 43. — *τέγξω* lenius pro *μιανῶ*. — *διάπειρα*, experientia, res ipsa probat, confirmat aut refutat hominum verba.

V. 19 — ad fin. Psaumis, quum vinceret, nondum senex erat, sed inter *παλαιτέρους* opinor; tamen iam canus erat. Propter quam canitiem derisus videtur Olympiae, quod qui iam senex esset, talis enim videbatur, certamen adire auderet. Quare iucunde Pindarus reprehensores istos nunc Ergini admonet, qui similiter et derisus fuerat et vicerat; sed quod probe tenendum, facit hoc tecte. Post laudes Psaumidis addiderat vera se loqui nec mentiri; falso enim dicta re ipsa convinci: atque hoc ut pro-

bet, non aliam ob causam, Erginum se simulat memorare. — Erginus, Clymeni filius, Argonauta, Orchomenius e Minycia gente, cf. Boeckh. h. l. et Müller. Orchom. p. 262. De Argonautis apud Lemnias vid. Müller. ibid. p. 302. et Boeckh. h. l. — ἀτιμίας, contemptus. Cogitandus autem est Erginus tunc aut virili aetate fuisse aut etiam provectior. Canus fuit, si Scholiastae credimus, natura, si Libanio Epist. 303., adolescens, ex Pindari vero sententia post iuvenilem aetatem canities orta, si ultima carminis verba Erginus loquitur, ut credo. — V. 22. χαλκέοισι, cum armatura decurrens, Pyth. IX. init. Usitatum olim fuit genus iam in ludis funebribus, cf. ad Isthm. I, 23. Ac tales nunc in honorem Thoantis, patris Hypsipyles reginae. — νικῶν δρόμον, Ol. XIII, 30. — στέφανον, nota datum praeter vestem, Pyth. IV, 253. Conf. Isthm. I, 18 seqq. — οὗτος, gloriabundus. Quidam, ut Gurlittus ad h. l. et Matth. Gr. §. 471, 12., οὗτος ἐγώ vertunt: En adsum, ταχυτᾶτι cum sequentibus iungentes. Incommode. Melius ii, qui οὗτος interpretantur p. τοιοῦτος. Sic Demosth. d. Coron. p. 320: Σὺ τοίνυν οὗτος εὑρέθης. De dativo autem vid. ad Ol. I, 112. — V. 26 sqq. Quum dubitetur a viris doctis Ergini an Pindari haec verba sint, illud Suvernio, Gurlitto, Hermanno, hoc Boeckhio tuente, equidem dicam Ergini ea esse. Primum enim nihil interpositum, quo haec ab Ergini ceteris verbis distinguantur, velut est ὣς ἄρα εἶπε. Deinde vereor, ne tribuamus Pindaro quae ex sua persona dicere nolebat. Licet enim hic revera Psaumidis reprehensores castigare velit, simulaverat tamen, ut supra observatum, ea tantum de causa Ergini se mentionem facere, ut ostenderet, quare mentiri nollet. Atque haec simulatio continuari debet usque ad finem, ut sibi constet poeta; repugnaret sibi, si ex sua persona eam ipsam admonitionem pronuntiaret, quam ut alius diceret, haec fabula ab eo inducta est. Res igitur haec esse videtur: Quod Erginus virili aetate sive provectior Lemniis mulieribus dicit canos capillos saepe etiam iuvenili aetate nasci, idem Pindarus Olympicos Psaumidis risores tenere vult; significans, ut vides, posse etiam iuniorum uni et alteri, qui nunc risissent, praeter exspectationem accidere quod Psaumidi provectiori aetate. Atque haec non physiologica observatio est, sed ethica admonitio iucundissima. Ceterum ut hoc carmen Ergini, non poetae verbis finitur, sic Nem. I. vaticinio Tiresiae. [Ad antiquam verborum distinctionem redit Rauchensteinius II, 23 sq., qui δὲ (v. 25.) tertio loco collocatum defendit Ol. VI, 74: μῶμος ἐκ δ' ἄλλων κρέμαται et XI, 71: ἄκοντι Φράστωρ δ' ἔλασε σκοπόν. Vel propterea illam rationem praestare, quia insigniter extollatur vocabulum χεῖρες. „Erginus enim accedens ad reginam, ut coronam accipiat, Hic ego, inquit, (i. e. victor curriculi, ὃν ὑμεῖς ἐμνκτηρίζετε); vidistis pedum pernicitatem, in manibus autem et in animo par pernicitati virtus." Ego vero χεῖρες multo magis in nostra scriptura extolli putabam. — In interpretatione epodi a Dissenio recte discessit Welckerus Scrr. min. II, 212 sq.: „*Erginos geschichte dient dem vorangehenden satze zum beleg, als ein allbekanntes und auffallendes beispiel der bewährung irgend einer eigenschaft gegen den äufsern anschein. So gewifs Erginos den unglauben der Lemnierinnen an seine rüstigkeit zu nichte machte, so gewifs wird Psaumis immer den neid beschämen, welcher das ihm ertheilte lob des pferdehaltens, der gastfreundschaft und bürgerlichen gemäfsigtheit bezweifeln wollte.*" Et similiter Scholl. vett.: Παράδειγμα τοῦ δεῖν τῇ πείρᾳ τἀληθὲς ἐξετάζειν τὸν Ἐργῖνον παρέλαβεν. Nisi quod ultima minus accurate addidit Welckerus. Nempe Psaumidem ante victoriam civibus suis ἄσοφον visum esse docet carm. V, 16. Uterque igitur victor in reprehensionem incurrerat, Erginus, quod praecanus certaturus esset, Psaumis, quod equis alendis deditus Olympicam victoriam ambiret. Reprehensorum voces arguit successus utriusque et quod olim Erginus reginae, id iam civibus suis dicere potest Psaumis, uterque re et factis probatus. Cum Welckero fere facit Rauchensteinius II, 24., sed ut addat: „Verbis tamen extremis existit aliud novum, quasi fortuito emergens, non sine leni hilarique ioco. Provectiorem enim aetate fuisse Psaumidem ex Ol. V, 21. patet, et canum non praemature, sed iuste fuisse illum consentaneum est. Quare cum faceta quadam hilaritate ea senties proferri, quasi dicat: Quid mirum senex fortis et alacer subcanus, quum excusetur canities in iuniore?" Ego, qui Erginum, non Pindarum haec loqui omnia arbitrer, ad unum refero Erginum: ad Psaumidem solum illud pertinet, speciem et opinionem saepe fallere. — Ceterum Welckerus alia addit exempla eius usus, quo sententia quaedam vel dictum ex epicarum fabularum orbe repetitur iisque confirmatur, velut Ol. VI, 12 sqq., IX, 28 sqq., Pyth. II, 73 sqq., IX, 79 sqq., Nem. III, 22 sqq.]

CARMEN OLYMPICUM QUINTUM.

INTRODUCTIO.

Carmen cantatum Camarinae in pompa post reditum Psaumidis. Qui quum reprehensus esset, ut videtur, a civibus, quod curru et reda mulari et equo desultorio simul certaturus Olympiae imprudentius nimios sumptus faceret, poeta in eo versatur, ut ornamenta explicet, quae nunc certaminum studio et victoria Psaumidis urbi patriae contigerint, eo iucundiora, quum haec corona Olympica prima fuisse videatur post instaurationem Camarinae, ante a Gelone eversae, tum restitutae Ol. 79, 4. a Gelois. In fine Iovi pro futuro urbis splendore et Psaumidis salute supplicat. Poetica autem vis et tractatio carminis per se simplicis cernitur in eo, quod pro urbe Pindarus deos tutelares urbis commemorat, quorum sacram sedem ornaverit Psaumis. Ac pompa quidem ducta videtur inprimis ad templum Minervae Poliadis, ut facere solebant victores Camarinaei, cf. Schol. v. 22. Tamen quum carmen tribus metricis periodis divisum tres invocationes habeat, Camarinae, Minervae, Iovis, Boeckhius suspicatur tribus vicinis locis id esse cantatum, si Camarinae sacellum et Iovis vel statua vel templum prope Minervae aedem fuerint.

[De hoc carmine Scholl. vett. haec tradunt: *Αὕτη ἡ ᾠδὴ ἐν μὲν τοῖς ἐδαφίοις* — dici videntur exemplaria poetae a vetustissimis grammaticis Alexandrinis adornata, Zenodoto, Aristophane, Aristarcho — *οὐκ ἦν, ἐν δὲ τοῖς Διδύμου ὑπομνήμασιν ἐλέγετο Πινδάρου.* Carmen ab Aristarcho, Artemone Pergameno, Demetrio Scepsio lectum et annotatum post Didymum omnes tribuerunt Pindaro. Verum nuper a testimonio illo Scholiorum profectus E. L. de Leutsch noster Philol. I. p. 116 sqq. rem ipsam clamare disputat carmen a Pindaro esse abiudicandum. Etenim quum sententias tenues vulgaresque proponi atque Pindarici ingenii splendore indignas, tum collocari et inter se necti dissolutas et sine nervis. Denique metrum, plane illud in suo genere eximium, a Pindarico tamen usu mirum quantum abhorrere et ad Aeolensium poetarum consuetudinem proxime accedere. Esse igitur carmen ab aequali aliquo Pindari poeta profectum, fortasse Siculo natione. Probabiliter haec disputata, sed ut quaedam subtilius quam vere prolata arbitrer, ego maxime rhythmorum novitate moveor, ut ad sententiam amicissimi collegae accedam. Unum me male habet illud, quod v. 16. ad explicandum finem praegressi carminis plane natus iam non potest de industria ab eodem auctore positus videri. Minus me sollicitat Dissenii acuta suspicio de *ἀκαμαντόποδος ἀπήνας* verborum explicatione.]

EXPLICATIO.

V. 1 — 8. Ad Camarinam. Est Camarina, Oceani filia, nympha lacus et urbis, quemadmodum Theba, Ortygia, Pitana, Rhodus, aliae locorum cognominum deae. — *στεφάνων*, quos Psaumis nunc ipsum in capite gerit. — *ἀρετᾶν*, egregiorum conatuum. — *ἄωτον*, decus, appellat nunc pompam et carmen. — *γελάνει*, cf. Pyth. IV, 181. — *ἀκαμαντόποδος*, victricis, epitheton positum, ut videtur, simul ad monstrandum sensum vers. primi carm. antecedent. — V. 4 sqq. Psaumis plures victorias quaerens immolaverat in omnibus sex aris geminis magnorum deorum Olympicorum; quod quum vulgo pauci certantes facerent, hic etiam hac re ornavit patriam urbem, quae civem tam opulentum haberet tamque studiosum certaminum. — *αὔξων*, Pyth. VIII, 40. Ac saepe alias *πόλιν, δῶμα, μέλαθρον αὔξειν*, cf. Eurip. Iph. Aul. 562. Markland. ad Eurip. Suppl. v. 323., alia ap. Tafel. — *βωμοὺς ἓξ διδύμους*, cf. Schol. — *ἐγέραρεν*, sacrificiis. — *ἑορταῖς — μεγίσταις*, diebus festis illustrissimis. Sacrificaverat autem Psaumis per sex dies, quoque die in una ara. Quum enim poeta a *βουθυσίαις* v. 6. distinguat certaminum quinque dies, illis ne dubita diem ludos antecedentem significari, h. e. decimum mensis, quo sollemnia sacrificia fiebant. Ludi ipsi acti a d. XI. usque ad XV., cf. Schol. — V. 7 sq. *ἵπποις ἡμιόνοις τε μοναμπυκίᾳ τε.* Vere monitum a Boeckhio dativum pendere ab *ἀμίλλαις*, add. nos ad Nem. IX, 12. Porro quod quadrigae maxime et mulae et celetes nominantur, quum alia multa certaminum genera haberentur, factum, quia tum his ipsis certaverat Psaumis, quanquam mulae tantum vicerant; cf. de hoc dicendi more Pindarico etiam ad Nem. V, 39. Ol. VII, 8. Ol. VIII. initio, Nem. VIII. init. Sed illa difficillima et nondum explicata quaestio, quomodo per quinque dies certamina quadrigis, mulabus, equis desultoriis facta dicat

Pindarus. Nempe certatum videtur primo, tertio, quinto die. Vide Excursum de ordine certaminum Olympicorum Tom. I. p. 333 sqq. Ceterum *μονάμπυκες* sunt equi singulares, Eurip. Suppl. v. 586. 860. Alcest. 430.; cf. Spanhem. ad Callimach. in Del. 113. [Verba *ἵπποις ἡμιόνοις τε μοναμπυκίᾳ τε* ad *ἐγέραρε* potius referenda esse dicebat Hermannus Opusce. VI. p. 15. Contra suam sententiam acute defendit Dissenius in Commentat. de ordine certaminum Olympicorum per quinque dies in Commentatt. Soc. Reg. Scientt. Gottingens. recentioribus Vol. VIII. p. 99 sqq., unde paucula repetam: „Erat Psaumis studiosissimus certaminum equestrium, licet provectior aetate, veneratque ad Olympicum festum quadrigis, mulabus, singulari equo, h. e. omnibus generibus receptis, certaturus. Quum autem haec per totum ludorum tempus disposita essent, sacrificaverat omnibus sollemnitatis diebus, die sacrificiorum publicorum et ludorum quinque diebus sic, ut quoque die unam adiret ex sex aris duodecim deorum, atque haec insignis industria et largitas viri laudatur a Pindaro, qui sumptibus non pepercerat pro victoriis et patriae gloria, quanquam vicit tantum mulis. Tu ne dubita verba *ἵπποις κ. τ. λ.* cum voce *ἁμίλλαις* iungere, ut *νίκα, δόξα ἵπποις, ὅρμασι* dicitur apud Pindarum. Hoc et grammaticus usus Pindari et rhetoricus ac poeticus commendat; falluntur certissime qui ista verba cum *ἐγέραρεν* construunt. Verba enim ludorum quinque diebus, ubi certant quadrigis, mulis, singulari equo, alludunt tecte ad Psaumidis tria certamina, atque hoc suave est; Hermanni constructio id directe eloquitur, quod hic est maxime incommodum, quum Psaumis uno tantum genere vicisset et propter sumptus inutiles his rebus impensos vituperaretur a multis. Pindarus — potius sacrificia larga extollit diis oblata, quae res vituperari non poterat." — Post haec de *πεμπταμέροις ἁμίλλαις* — quas ex ratione rei *πεμπαμέρους* feci — haec fere disputat contra Hermannum, qui quinti diei certamina dici crediderat: „Quid, quaeso, refert quinto aliove die sacra fecisse et certasse Psaumidem, quasi in hoc laus inesse possit? At quod per omnes dies festos honoraverat sacrificiis ille vir, hoc memorabile erat et rari exempli, atque hoc laudat Pindarus. Nam *βουθυσίαις* et *πεμπταμέροις ἁμίλλαις* sex dies significantur, ut verbis *ἐξ βωμούς* sex arae laudantur, Psaumis vero unoquoque in una ara sacrificaverat, ut per totum tempus sollemnitatis propitios deos haberet qui usque ad ultimum diem certaturus esset. Atque haec ipsa causa est, quare additum *πεμπταμέροις* a Pindaro, qui alioquin simpliciter *ἀέθλων ἁμίλλαις* dicere debebat."] — *τὶν δὲ κῦδος* sqq. Loquutus poeta de sacrificiis Olympicis diis a Psaumide oblatis, pergit: Tibi vero, patriae deae, gloriam victor obtulit, quum patris urbisque nomina proclamari iuberet; nuntiante enim ortum Psaumidis praecone illustrabatur dea Camarina. Quare *καὶ ἐκάρυξε* dictum pro *καρύσσων*, nisi quod verbum finitum suavius, cf. Ol. II, 10. Primus talia Homerus, ut Il. VI, 148. — *ἀνέθηκε*, consecravit, paravit. Plut. Flamin. 9: *ἑαυτοῖς ἀνατιθέντες τὸ νίκημα.* Aliud est, opinor, *ἐλεγχείην ἀναθήσει* Hom. Il. XXII, 100. et *ἀλιτροσύνην ἀναθείη* Jacobs. Delect. Epigr. p. 350., quae conferam cum *μῶμον ἀνάψαι* Odyss. II, 86. et *μέμψιν ἀνάπτω* Delect. Epigr. p. 376. — *νέοικος*, quippe restituta inde ab Ol. LXXIX, 4.

V. 9 — 16. Ad Minervam. Sensus: Olympiae Psaumis et sacrificiis in aris magnorum deorum honorem conciliavit patriae et victoria reportata; redux vero Olympia carmen epinicium affert (*ἀείδει*) publice canendum in laudem urbis. Pro urbe nominat lucum sacrum Minervae, ad quem pompa ducebatur, tum flumina et lacum urbis; sunt enim magni dii fluvii locorum et nunc Camarina reviviscentem florem magna ex parte opportunitati loci ad duo flumina et lacum debebat. — Oenomai et Pelopis sedes pro Olympia, suavi appellatione in exteris maxime regionibus, cf. ad Ol. I. Introd. — *σταθμοί* enim domicilia, Ol. XI, 92. Pyth. IV, 76. Isthm. VI, 45. — *εὐηράτων*, propter victoriam, cf. Nem. VI, 12. — *ὦ πολιάοχε Παλλάς*, de hac olim Lindo Gelam, Gela Camarinam translata cf. Boeckh. Habebat *ἄλσος* in arce, insigniter culta, vid. Schol. — Post *ἀείδει μέν* sequi debebat *ἀείδει δὲ ποταμὸν Ὤανιν* cett., pro quo brevius infertur *τέ*. Similiter Ol. VI, 4. post *εἰ δ' εἴη μὲν Ὀλυμπιονίκας* ponitur *τέ*, pro *εἴη δὲ ταμίας* cett. Add. Ol. VII, 88. Et sic saepissime. — Fluminum nobilior Hipparis, in nummis Camarinae expressus iuvenili capite; in mare exit per lacum Camarinaeum. — V. 12. *σεμνοὺς ὀχετούς*, quum displicere debeant canales ab hominibus facti vel propter adiectivum *σεμνός*, aquae autem sine alveo non possint *ὀχετοί* dici, ego flexus fluminis sinuosos intellexerim, quales etiam *Σιμούντιοι ὀχετοί* Eurip. Or. 797. Iphig. Aul. 757. videntur esse. — *ἄρδει*, Tibull. IV, 1, 60. h. e. arva populi irrigat. — V. 13. *κολλᾷ* cett. In his *κολλᾶν* est *ἁρμόττειν*, compingere, struere, ut *κολλητὰ ἅρματα* Hom. Il. IV, 366. al. — *θάλαμοι* saepe generatim dicuntur

aedes s. conclavia, in quibus habitatur, cf. Pyth. IV, 160. Fragm. 139. Verte: Struit celeriter stabilium domuum altis membris s. contignationibus surgentem silvam. [Tafelius apte contulit Libanium I, 282. Rsk.: *Τὰ ὄρη ταῖς λιθοτομίαις ἵστησι τῇ πόλει* (Antiochiae) *τοὺς τοίχους.*] Multiplex autem fuisse videtur fluvii utilitas. Nam ut negari non potest apportata in eo ligna aliaque *ὑπουργήματα πρὸς κατασκευήν*, recte tamen sensit Tafel. verbis *ἀπ' ἀμαχανίας ἄγων ἐς φάος* paulo plus inesse. Nempe inprimis commercio celeriter opes creverant restauratae urbis. — V. 15 sq. Hic locus pertinet ad reprehensiones civium, quas incurrerat Psaumis, cf. Introd. — *πόνος*, maxime in certamine, cf. Pyth. V, 44., *δαπάνα*, equorum alendorum. Similiter utrumque iunctum Isthm. I, 42. — *ἔργον κινδύνῳ κεκαλυμμένον*, admodum periculosum, proprie obrutum, cumulatum periculo, cf. Hermann. ad Soph. Oed. Col. 284. Talis erat decertatio equestris, cf. Pyth. V, 46. — *μάρναται ἀμφί*, cf. Pyth. XI, 55. Isthm. IV, 55. Hom. Il. III, 70. Denique *ἀρεταί* sunt laudes, gloria factorum, ut saepe. Sensus: Semper autem de laude et gloria labor et sumptus certant adversus pericula, h. e. semper qui laudem aliquam insignem consequi volunt pericula subire et laborem sumptumque impendere debent ad pericula superanda. — *ἠῦ δ' ἔχοντες*, re bene gesta. Cf. Eurip. fragmentum laudatum in Schol. ad Nem. I, 13: *τὸν εὐτυχοῦντα καὶ φρονεῖν νομίζομεν.* Add. Eurip. Heracl. v. 740. Hippol. 695. ibiq. interprett.

V. 17—ad finem. Ad Iovem. *Σωτῆρ* hic illic cultus nunc aptissime invocatur pro futuro flore urbis bis eversae et viro felicissime servato. — *Κρόνιον* cett., h. e. qui gubernas Olympiam datorque es victoriarum. — *τιμῶν*, notum de locis diis gratis. — V. 18. *Ἰδαῖον ἄντρον* Olympiae fuisse docet Demetrius Scepsius in Schol., de quo cultu cf. Boeckh. h. l. et nos ad Ol. II, 12. Nunc ut Pindarus hoc antrum memoraret, alias apud eum non memoratum, factum est, quia magna pars Gelensium Camarinae conditorum Cretenses fuerant, ut cognita esset Camarinaeis haec religio, nisi quid ex ea etiam receperant. Addit Boeckhius fortasse ipsum Psaumidem Creticam originem habuisse. — V. 19. *Αυδίοις αὐλοῖς*, h. e. tibiis Lydiam harmoniam canentibus, cuius usus in supplicatione, cf. Boeckh. de Metr. Pind. p. 277. — V. 20. *εὐανορίαισι*, h. e. viris eximiis, qualis nunc Psaumis. — V. 22. Noli iungere *εὔθυμον ἐς τελευτάν.* Sic enim non senectutem, sed mortem placidam optaret homini senectutem nondum ingresso. Immo verte: Atque ut te senectus hilaris deducat ad mortem, fique iis adstantibus. Placida enim et senectus et mors, si praesto sunt filii virtutis opumque heredes. — V. 23. *ὑγίεντα ὄλβον*, opes et gloriam iusto modo paratas, ut monent interpretes; cf. Aesch. Eumen. 527. Contra *σαθρόν*, vitiosum, male sanum, quicquid iniuria paratum est, cf. Nem. VIII, 34. — *ἄρδει* pro *αὔξει*, ut Plat. rep. VIII. p. 550: *τοῦ μὲν πατρὸς αὐτοῦ τὸ λογιστικὸν ἐν τῇ ψυχῇ ἄρδοντος καὶ αὔξοντος* Ac saepe ornate pro *ἔχειν* dici constat *τρέφειν*, *αὔξειν*, etiam *παίνειν* Pyth. IV, 150.; add. *νόον φέρβεται* Pyth. V, 103. Hermann. ad Arist. Nubb. 283. Lobeck. Rhemat. p. 73. — V. 24. *ἐξαρκέων* (*ausreichend mit*) *κτεάτεσσι*, sat magnas opes habens. — De exitu cf. Ol. III. fin. Isthm. IV, 16.

CARMEN OLYMPICUM SEXTUM.

INTRODUCTIO.

Victoria reportata carmenque scriptum, ut Boeckhius censet, Ol. 78. Agesias Syracusanus fuit e gente Iamidarum nobilissima, qui ab Iamo, Apollinis filio, se prognatos ferebant et late sparsi inde ab antiquo tempore apud Spartanos aliosque Dorienses et in Arcadia vatum munere fungebantur, Olympiae vero in Iovis ara maxima e victimis oracula edebant iure hereditario, quod etiam ii retinuisse videntur, qui peregre abissent. Nam etiam in Siciliam et Italiam mature pervenerant, atque ex Agesiae quidem maioribus unus quum ab Archia Corinthio Syracusas condituro comes adscitus esset, familia eius inter antiquissimos eius urbis cives numerabatur. Simul tamen Stymphali in Arcadia civis erat Agesias, quum Stymphalus altera patria eius a poeta dicatur; et profectus inde videtur maiorum Agesiae is, qui inter Syracusarum conditores fuerat. Ac Stymphali nunc comissatio habetur. Vide de his omnibus Boeckhium uberrime exponentem. Carmen non esse in pompa cantatum satis liquet e

v. 22 sqq.; neque enim poeta dicere poterat: age, Phintis, iunge mihi mulas, ut Pitanam vehar, si hae ipsae mulae trahebant in pompa redam Agesiae sollemniter urbem ingredientis. Immo sub tectis res acta videtur apud unum Iamidarum cognatorum in convivio, quo ducunt metaphorae initio carminis et v. 91.; praesentibus haud dubie et Stymphaliis et aliis vicinis Iamidis choroque numeroso e civibus urbis parato, qui ἀστοὶ sunt v. 7. Quum autem Agesias κώμου δεσπότας a Pindaro dicatur, huius sumptu tota comissatio habita; hic igitur ceteros invitaverat quasi dominus domus, splendidissimis epiniciis hanc suam praesentiam in urbe patria ornaturus. — Videamus nunc carminis rationem. Post prooemium, quod praeclaras nuntiat Agesiae laudes, quum ante omnia victoria reportata laudanda esset, ita hoc facit Pindarus, ut animum Agesiae strenuum et fortem praedicet, quippe qui, quod rarissimum, cum vaticinandi arte rerum gerendarum studium coniungeret, nec ludicrorum certaminum pericula nec bellorum reformidans. Exin in medio carmine gentis origines tractat, ut ex Apolline conceptus Euadnae filius clam editus per plures dies in fruticeto latuerit violarum radiis obtectus, indeque Iamus appellatus sit, tum adultus a patre vaticinam dignitatem acceperit, perenne ornamentum gentis; qui totus locus e pulcherrimis est apud Pindarum. His peractis ad praesentia redit, ad victoriam Agesiae et ad epinicia, quae nunc habentur, quibus rebus ultima carminis pars occupatur. Ac primum hic defendit victorem ab obtrectatione invidorum hominum, virtute partam victoriam significans et deorum ope. Deinde, epinicio hymno ad finem tendente, cetera praecipit, quae post hoc carmen ad sollemnem hunc diem ornandum canenda sint, inter quae Syracusarum quoque et Hieronis recordatur. Sic ad finem re deducta etiam in posterum prospera fata Agesiae precatur reditumque felicem. Haec hactenus. Quodsi denique de summa carminis sententia dicendum cetera omnia complectente, haec nunc pulcre in eo inest, quod gens Iamidarum ipsa origine et nomine fausto ad perennem florem destinata fuit. Hanc igitur originem explicate narrans poeta canit immortalem Iamidarum fortunam, quae nunc in Agesiae rebus illustribus denuo luculentissime se ostendit. Divisio autem rerum tripartita est secundum prooemium, siquidem ad societatem praeclaram duarum virtutum ὄλβος illustris accedit civis Syracusani.

EXPLICATIO.

V. 1—7. Prooemium. Hoc dicit nunc illustre se facturum, quum tria sint insignia in Agesia. — V. 1 sqq. Aureas columnas ponemus in introitu aedis s. carminis nostri, ut qui magnificam domum exstruunt. — Quod per totum hunc librum videbimus, Pindarum comparationes accommodare rebus praesentibus, vel inprimis hic tenendum est, ne aliena inferamus pulcherrimo prooemio. Sic quidam de templo cogitant cum atrio; sed neque in verbis hoc inest, nec convenit homini Agesiae templum. Comissatio habita Stymphali in privata domo; atque inde est ducta comparatio, licet splendide in maius aucta. Quare pone tibi ob oculos aulam muro cinctam, in aula domum, in domo post introitum aedem ampliorem s. oecum viris maxime habitatum, ut constat ex Homero. Nam etiam post Homerum eadem fere aedificiorum forma mansisse videtur apud plerosque Graecos, nisi Athenienses et Ionos quaedam mutaverint. In tali igitur oeco s. aede, θαλάμῳ (θάλαμος enim generatim est conclave, aedis domus, cf. ad Ol. V, 13.), pulcre nunc, ut fit, exornato, quum convivium haberetur carmenque caneretur, Pindarus ab ipso loco sollemnitatis comparationem duxit, carmen quasi θάλαμον dicens ad haec epinicia celebranda conditum, prooemium vero πρόθυρον. Ac πρόθυρον in domo ante aedem virorum novimus ex Hom. Od. XVIII, 10.; unde etiam Boeckhius ad Fragm. p. 675. hoc πρόθυρον non ante domum ponit, sed in domo ante conclave. Obscurum vero est εὐτειχές, quod haud cunctanter de fornicato introitu oeci intelligerem, aureis columnis suffulto (ὑποστάσαντες κίονας), nisi opus fornicatum per Democritum demum Graecis innotuisse diceretur. Sed quum in Italia diu ante usurpatum sit, ut docet Müllerus in libro egregio de Etruscis, quidni Italicis certe et Siculis Graecis prius cognitum fuerit et hic illic adhibitum? Sic potuit Pindarus ea re uti nunc, quum rara et exquisita ponere velit. Multi interpretes quasi domum seu palatium carmen dictum crediderunt, quo posito πρόθυρον vestibulum erat ante domum, licet Pindarus θαλάμου, non μεγάρου πρόθυρον dixerit; nunc causa comparationis indicata patefactum spero, cur non cum domo, sed cum aede domus carmen comparaverit. Domus Pindaro μέγαρον est. [Tritissimae veteribus ex h. l. χρύσεαι κίονες, v. praeter locos apud Boeckhium Crameri Ann. Oxx. II, 423: Ἡ προ-

καταβαλλομένη παντὶ πράγματι λαμπρὰ ὑπόθεσις χρ. κίονες λέγεται κατὰ Πίνδαρον. — Ad simpliciorem prooemii explicationem recte rediit Rauchensteinius II, 25 sq. Poeta hoc dicit: Insigni carminis argumento insigne convenit exordium. Ut in aedificandis aedibus praeponendum illustre et columnis auratis splendens vestibulum, ita dignum argumento carminis praefigendum est exordium. Idque facit poeta paucis complexus quae rara sane felicitate in Agesiam cadunt.] — V. 2. ὡς ὅτε scil. πήγνυμεν, cf. Herm. ad Vig. p. 919. Bernh. Synt. p. 352. Ceterum exordia etiam ab aliis cum vestibulo comparata constat, cf. Boeckh. et vid. Sagittar. de Ianuis I. §. 29. — V. 3. ἀρχομένου, incipientis, ut in ἀρχομένου θέρους, χειμῶνος. Sententia valde celebrata veteribus, cf. Boeckh. ad h. l., addit Karsten. Plut. Polit. praec. p. 804. D. Theocr. Schol. Arg. Id. 1. — V. 4. εἴη μέν, cf. ad Ol. V, 10. Omissum τίς, ἀνήρ, nunc quidem commode, propter sequens κεῖνος ἀνήρ. Cf. Nem. IX, 46. — ταμίας, h. e. in Iovis fatidica ara administrator, curator sacrorum et oraculi. Agesias ita nunc vocatur propter ius hereditarium gentis, ex quo ipse deum consulere potuit Olympiae praesens, licet habitaret Syracusis. — V. 6. συνοικιστήρ, propter maiores, cf. Introd., et fortasse etiam praerogativa aliqua ad posteros propagata erat. — Verba: τίνα κεν φύγοι ὕμνον cett. sic intelligo: Hic, utpote omni laude dignus, quam laudem defugiet *(welches lobes kann er sich erwehren)*, si inciderit non invidorum in civium iucundos cantus? Iungo igitur ἐπικύρσαις ἐν ἀοιδαῖς, quod videtur longe aptissimum. [Humboldtius: „*welches gesangs preis mangelte dann ihm, zu neidloser bürger süfstönendem hymnos gesellet?*“]

V. 8—21. Transit ad Agesiam ipsum, cui laudes prooemii conveniunt. Ac primum fortitudinem tractat: ante omnia enim victoria reportata laudanda erat; quum autem Agesias etiam bellator esset fortissimus, scite ita hunc locum adornavit, ut strenuum ac fortem animum in victore laudaret, qui laboriosa et periculosa certamina adeat, nec faciles laudes quaerat. Quare nexus sententiarum, non omnibus perspectus, hic est: Non sine labore et periculo pariuntur victoriae Olympicae; sed sine periculis nullum factum laudatur. Tibi vero, Agesia, cognita pericula, qui cum vaticinandi arte bellicam fortitudinem coniungis, ut quod olim de Amphiarao mortuo Adrastus, nunc Hiero dicere possit de te absente: Desidero lumen exercitus mei, vatem bonum et bellatorem. — V. 8. ἐν τούτῳ πεδίλῳ cett. Comparant cum loquutione περὶ πόδα εἶναι, a primo convenire, quam illustrat Casaubonus ad Theophr. Char. c. 4. Tamen multo ornatior est Pindarica dictio. Est vero Agesias δαιμόνιος ἀνήρ propter triplicem illam prooemii laudem et δαιμόνιον πόδα habet, personae praedicato ad partem corporis translato, veluti ἀφνειᾶς Ol. VII, 1. et Pyth. IV, 11. ἀθανάτου. Aesch. Ag. 907: πόδα Ἰλίου πορθήτορα. — V. 10. οὔτε παρ' ἀνδράσιν cett., neque in terra, neque in mari, cf. Hom. Hymn. in Del. 142. ibique Herm. et vide Nem. V, 9: Αἴγιναν, τάν ποτ' εὔανδρόν τε καὶ ναυσικλυτὰν θέσσαντο. Agesias et victor Olympiae et in proeliis multis versatus erat navalibus et terrestribus; de quo statim. — V. 11. πονα θῇ, cum labore effectum. [De discrimine a Boeckhio inter πονῆσαι et πονᾶσαι statuto vide ad Pyth. IV, 236.] Ceterum inprimis apta haec, si etiam in Olympico certamine vehementius laboraverat Agesias, ut vere monet Boeckh. πόνος de labore certaminis, cf. Ol. V, 15. — V. 12 sqq. Notissimum est bellum septem ducum adversus Thebas. Tum Amphiaraus vates et dux Argivus in pugna ad Ismenum ante Thebas vivus absconditus est terra cum curru, cf. Nem. IX, 24. X, 8. Hom. Od. XV, 247. Apollod. III, 6, 8. ibiq. Heyn. Pausan. IX, 8, 2. coll. Welcker. Mus. Rhen. 1842. T. II. p. 433 sq. Post cremationem autem mortuorum Adrastus dixit id, quod Pindarus affert haustum e cyclica Thebaide, cf. Schol. v. 26. Vid. Boeckh. ad h. l. [Leutschius Thebaid. cycl. reliq. p. 63. Adrasti verba in epico carmine haec fere fuisse suspicatur:

Ὤ μοι ἐγώ, ποθέω θρασύκηλον Ἀμφιάρηον,
ἀμφότερον μάντιν τ' ἀγαθὸν καὶ δουρὶ μάχεσθαι.

De forma Ἀμφιάρηος explicatius disserui Tom. I. p. 351.; ad structuram μάντιν τ' ἀγαθὸν καὶ μάρνασθαι compara Xenophanis Eleg. II, 15: Οὔτ' εἰ πύκτης ἀγαθὸς λαοῖσι μετείη οὔτ' εἰ πενταθλεῖν οὔτε παλαιμοσύνην. Denique duplicem laudem Amphiarai repetit Sophocles Oed. Col. 1315: Ἀμφιάρεως, τὰ πρῶτα μὲν Δόρει κρατύνων, πρῶτα δ' οἰωνῶν ὁδοῖς.] — V. 13. ἀπὸ γλώσσας, h. e. palam effari quod in animo est. Pyth. III, 2. Soph. Oedip. Colon. 936. Alias significationes vid. ap. Blomfld. ad Aesch. Agam. 786. et Geel. ad Dion. Chrys. Ol. p. 59. At differt et nescio quid suavitatis habet Theogn. v. 266:

τέρεν φθέγγετ' ἀπὸ στόματος de puella, et λαρὰ δ' ἀπὸ στόματος φθέγξατο de Bacchylide Anthol. Pal. IX. nr. 571. — φθέγξατο ἐς, nosti hunc usum praepositionis, omissum in Matth. Grammatica, vel ex titulis carminum lyricorum in libris nostris. — φαιδίμας, candidas, Philostr. Imagg. I, 27. ibiq. Jacobs. p. 369. Bigae erant, secundum alios quadrigae, cf. Philostr. l. cit. et Welcker. ibid. p. 367. et Nem. IX, 25. — V. 15. τελεσθέντων νεκρῶν, consumptis igne corporibus septem rogorum. Confertur Aesch. Choeph. 867. δεσπότης τελούμενος, Aegisthus qui finitur, occiditur. Videtur vox euphemismis annumeranda, quibus Graeci saepe mortem et quae cum ea coniuncta sunt lenius significant. Compara etiam ἀνύσαι Od. XXIV, 71. Septem rogi sunt cohortium exercitus, cf. Nem. IX, 24. Quos Pindarus ad Thebas sepultos significat, eos Athenienses Eleusine conditos dicebant. — V. 16. ὀφθαλμόν, conf. ad Ol. II, 10. — V. 18 sqq. κώμου δεσπότᾳ, conf. Introd. Ceterum Schol. v. 30. narrat Hieronem in multis bellis ab Agesia adiutum vaticinandi arte et fortitudine, et propter hanc infr. v. 86. Pindarus etiam αἰχματαῖσι posuit. Vid. Boeckh. — [δύσηρις. Aliud exemplum nominis Δύσηρις — conf. nott. critt. — praebet Hippocrates p. 1149. C: Ἀμφίπολος ἐν Λαρίσσῃ Δυσήριδος νέη ἐοῦσα.] Sensus: Etsi non contentiosus sum nec rixosus, hoc quidem acriter defendam et vel iureiurando interposito affirmabo. Utitur graviore formula, ut in magna laude et quum obtrectatores virtutum Agesias haberet; cf. Ol. II, 92. — ἐπιτρέψοντι, permittent, ut vel iuratus hoc ei testimonium dicam, quia nempe res verissima est. Non permitterent, si mendacium esset.

V. 22—70. De origine mythica Iamidarum et de facultate vaticinandi ab Apolline iis tributa. — Prima origo Pitana erat ad Eurotam; quare quum eo nunc animo proficiscendum sit, utitur poeta commento ornatissimo, ut in illustri causa. De curribus metaphoricis poetarum vide praeter Boeckhium quos laudat Naekius ad Fragm. Choeril. p. 109. et Bernhardy ad Dionys. Perieg. 651. p. 701. Hic mihi Pindari ratio consideranda. Ac Pindarus quidem Musarum currum Ol. IX, 81. et Isthm. VII, 62. propter Troianas fabulas adhibet, Isthm. II, 2. propter victorias curules Xenocratis Agrigentini, Pyth. X, 63. propter Alcuadarum regiam stirpem. Pertinet igitur haec

magnifica metaphora, ut par est, ad heroes et regias gentes ab heroibus ortas et equestribus studiis deditas, atque errant vehementer qui promiscue eam a Pindaro usurpari opinantur, monente etiam Boeckh. ad Fragm. p. 615. Hoc loco omnino non utitur Musarum curru, quia regalis metaphora non conveniebat huic genti, licet claraе; sed ingeniose Agesiae mulas victrices substituit. Quae res et ipsa magnifica, simul tamen explicanda et excusanda erat, quoniam alias poeta, si currum adscendit, non tali, sed divino Musarum curru utitur. Atque ita perspicitur forma huius loci. — V. 22. Φίντις, Siculum aurigae nomen pro Φίλτις, comitabatur hic redam, quam tamen in Olympico certamine Agesias ipse vexerat. — σθένος ἡμιόνων ut σθένος ἵππιον Pyth. II, 12. — V. 23. [ᾗ τάχος, h. e. ὡς τάχος, v. Ahrens Dial. Dor. p. 371. et cfr. Theocr. XIV, 68: ἐπιόντα ᾗ τάχος εἰς Αἴγυπτον.] — κέλευθος est via poetica, cf. Nem. VI, 47. 56. Isthm. II, 33. III, 19. Nunc ad maiores Agesiae. καθαρά nolo expeditam s. non silvestrem vertere, licet alibi ἐν καθαρῷ de vacuo et aperto loco dicatur. Sed non placet: celeriter iunge mulas, ut in via celeriter conficienda eas ducamus. Immo est illustris, praeclara via, ut Isthm. IV, 23. — Nunc causam, quare his mulis uti velit, affert hanc, quod, quum hodie in tempore ad Eurotam esse debeat, hae viam optime noverint. Nempe laus maiorum de more canitur in his hymnis; hanc nunc excitarunt s. monstrarunt muli, consequuti victoriam domino, hymnoque materia sic ministrata. — V. 25. ἐξ ἀλλᾶν, cf. laudata ad Soph. Oed. Col. 738. ed. Heller. et Doederl. — V. 26. στεφάνους, Agesiae haud dubie, cf. Pyth. III, 73. 4. Ol. II, 50., licet ipsae etiam coronatae essent. — V. 27. χρὴ τοίνυν cett. Sensus: quare par est, ut intrent in poesin, monente etiam Boeckhio, h. e. ut ad usum poetae adhibeantur tanquam animalia poetica. Ceterum conferunt Fragm. Bacchyl. 13. p. 22. ed. Neue: οὐδὲ γὰρ ῥᾴστον ἀῤῥήτων ἐπέων πύλας ἐξευρεῖν, unde simul liquet metaphoram dici de re plerisque clausa nec cuivis patente, ut nunc his quidem mulis permittitur honor introitus, sed non quibusvis. Alienus Eurip. locus Med. 1314. et quae praeterea Tafel. affert. Melius conveniunt quae Boissonadius ad Eunapium habet Annott. p. 392. [Figurate poeta significat sibi canendum esse genus Agesiae, quod a Pitana prope Eurotam originem habuerit, itaque Pitanam et ad Eurotam sibi hodie esse vehendum: citissimis iam opus esse curribus et mulabus. Quas

iussu poetae iam ornavit et paravit Phintis. Age igitur — τοίννν —, inquit poeta, aperiundae iis sunt carminum portae, per quas ad Eurotam devehamur et ad omnem gentis Iamidarum laudem atque celebrationem. Sic fere Heimsoethius p. 13. et Rauchensteinius II, 26.]. — V. 28. Pitana locus antiquus, post Doriensium adventum pars Spartae in occidentali latere, quum πόλις circumdata esset κώμαις ei adhaerentibus. Vid. Müller. Dor. II. p. 51. Hoc loco est nympha loci, filia Eurotae, cf. Schol. 46. — ἐν ὧρᾳ, Herod. I, 31. — V. 30. λοβόστρυχον, iam hic alludit ad Iamidarum nomen. — κρύψε, dissimulavit. ὠδῖνα, fetum, Aesch. Ag. 1410. παῖδα, φιλτάτην ὠδῖνα. Eurip. Iph. T. 1102. — V. 31. κόλποις, non vestitu virginali, sed in utero, usitatissima significatione, vid. Callim. H. in Iov. 15., in Dian. 25., in Del. 214. ibiq. Spanh. — V. 32. κυρίῳ, mense ad partum natura constituto, h. e. decimo ex veterum ratione. Porro nota masculinum ἀμφίπολος, quum vulgo de feminis sit vox, quam significationem h. etiam loco habere contendit Ebert Σικελ. p. 116. — V. 33. πορσαίνειν, curare. — Ἐλατίδᾳ. In confiniis Arcadiae et Messeniae prope Andaniam fuit Aepytis, cf. Müller. Dor. I. p. 99., s. ditio Aepyti nobilissimi regis, Elati filii, Pausan. VIII, 4. — V. 34. Phaesana igitur in meridionali Arcadia fuit ad superiorem Alpheum. — λάχε, sortitus ad habitandum, ut alias, veluti Callim. in Del. v. 14. [„Iamus ad Alpheum natus. Et in medio stans Alpheo Neptunum avum et Apollinem patrem invocat v. 58. et munera sibi gentique suae precatus accipit v. 66. μαντοσύναν et v. 70. Ζηνὸς ἐπ' ἀκροτάτῳ βωμῷ χρηστήριον Olympiae, quam praeterfluit Alpheus. Poeta igitur significat fausta quadam laetaque fati necessitate Alphei nomen cum Iamidis ideoque cum Agesia coniunctum esse, qui vicit ad Alpheum." Rauchensteinius II, 26.]. — V. 35. ἔνθα cett., ubi educata Euadna compressa est ab Apolline. — ἔψαυσε, cf. de ψαῦσαι, ἅψασθαι γάμων, εὐνῆς θιγεῖν Monk. ad Eurip. Hippol. v. 14. Valcken. ad Phoen. 953. collat. Porson. v. 949. Infr. Pyth. IV, 92: φιλοτάτων ἐπιψαύειν. Ceterum Müller. Dor. I, p. 253. non valde antiquam habet hanc fabulam; illud liquet, habitasse olim in hac urbe Aepyti Iamidas. — [V. 36. κλέπτοισα, ut ἀγλαΐην ἔκλεπτε, Anth. I, 10, 63. Lobeck. Rhem. p. 47.]. — V. 37. πιέσαις, premens, celans, cohibens, ὀξείᾳ μελέτᾳ, acri studio, studiose. ὀξείᾳ propter irae magnitudinem, conf. Virg. Aen.

IV, 332. — οὐ φατόν, magnum, cf. Isthm. VI, 37. — V. 38. ἀτλάτου, Nem. I, 48. — V. 39. φοινικόκροκον, intextam trama punicei coloris, cf. Spanh. ad Callim. in Apoll. 83. Ac zonam a parturientibus deponi vid. Callim. in Iov. v. 21., in Del. 209. ibiq. Spanh. — V. 40. κάλπιδα, cum qua exierat quasi ad aquam hauriendam pro istius aevi simplicitate, cf. Hom. Od. VII, 20. Hymn. in Cerer. 105. — ἀργυρέαν propter opulentiam regiam, cf. Philostr. Imagg. I, 8. — V. 41 sqq. [De imperfecto τίκτε vide Naegelsbachii Exc. Hom. Il. X. p. 249 sq. —] Χρυσοκόμας Θεόφρονα, quum vates puer futurus esset. — Χρυσοκόμας Ol. VII, 32. Isthm. VI, 49. Pyth. II, 16. — πραΰμητιν, mitem, lenem animo, quippe dolores lenientem. — Μοίρας, nam praeter Lucinam etiam Parcae operam praestant in partu, inprimis insignis pueri; cf. ad Ol. I, 26. Nem. VII, 1. Spanh. ad Callim. in Dian. 22. Eurip. Bacch. 102. Plat. Symp. p. 206, D. Denique pro Ἐλείθυιαν παρέστασεν, παρέστασέν τε Μοίρας positum est hoc brevius dicendi genus Graecis Latinisque poetis usurpatum, in quo verbum semel idque in principio secundi membri collocatur; cf. Tibull. I, 3, 56. I, 4, 2. Hor. Carm. I, 11, 4. 12, 26. al. — V. 43. ὑπὸ σπλάγχνων, ex utero matris, Nem. I, 35. ὑπ' ὠδῖνός τ', et ex doloribus partus, ut ὠδῖνα φεύγων Nem. I, 36. Quare hic ἓν διὰ δυοῖν dictum pro ὑπ' ὠδῖνος σπλάγχνων s. ὑπὸ σπλάγχνων ὠδινόντων. — ἐρατᾶς propter maternam caritatem, cf. Eurip. Iphig. Aul. 922. Suaves sunt tales coniunctiones oppositarum notionum sive oxymora. — V. 44. αὐτίκα, facili partu, auxiliantibus diis. — κνιζομένα, anxia et sollicita, quod recens natum relinquere cogebatur; cf. Eurip. Ion. v. 975. — V. 46. δράκοντες, duo in custodiam dati etiam Eurip. Ion. v. 23. Nunc quod puerum nutriunt, simul omen est de futura vaticinandi facultate eius, quum et ipsi fatidici essent, cf. Boeckh. ad h. l. et Spanh. ad Callim. in Del. 91. — γλαυκῶπες, fulgentibus oculis, quae natura est eorum. — V. 47. ἰός, ait Boeckhius, proprie est missile, hinc id quod ore vel aculeo animalia emittunt, quod serpentium venenum, apum mel est. Quum autem draconum ἰὸς perniciosus sit, nunc suaviter addit ἀμεμφεῖ, licet etiam μελισσᾶν adsit. Idem notat cum Schneidero respici morem Graecorum infantes melle alendi, atque etiam ad vaticinium spectare mellis usum, coll. Hom. Hymn. in Merc. 560. et Welcker. ad Philostr. Imagg. II, 12. p. 466. [Lobeck. Rhem. p. 125: „Pindarus primitivam nominis ἰὸς si-

gnificationem tacite adumbravit, h. e. liquoris sive succi praesertim virulenti et medicati."] — V. 48. πετραέσσας, in rupe sitae, legitimum epitheton. — V. 49. γεγάκειν, cf. Buttm. Gr. Gr. ampl. I. p. 366. II, 97. (137. Lob.) Thiersch. Gr. Gr. §. 217. — V. 50. Construe μάντιν περιέσεσθαι θνατῶν, ut Odyss. I, 64. — ἐπιχθονίοις, notus dativi usus, Hom. Il. VI, 477. Od. I, 71. — V. 53 sq. [γεγενημένον scribendum cum Ahrent. Dial. Dor. p. 150.] — ἐν pertinet ad σχοίνῳ. Ceterum in scirpo palustri cubat etiam Ulixes Hom. Od. V, 463. Euadna autem ad fontem exierat. — ἀπειράτῳ, intentato, inaccesso, non pervio, utpote denso. — V. 55. βεβρεγμένος, perfusus, oppletus, quemadmodum Pindarus adeo σιγᾷ βρέχεσθαι dicit Fragm. incert. 166. Lucret. II, 820: coloribus omnigenis perfusa; add. eund. libr. V, 594. et Empedocl. v. 71. Sturz. — ἴων ξανθαῖσι καὶ παμποφύροις ἀκτῖσι, intelligendum videtur λευκόϊον, quos flores nos *levkojen* et *goldlack* nominamus, cf. Voss. ad Virg. Eclog. II, 47. Radii autem violis tributi ob fulgorem colorum lucidum, flavi quidem et purpurei. — V. 56. τό, propterea, Hom. Il. III, 176. Pflugk. ad Eur. Hec. 13. — κατεφάμιξεν, h. e. pronuntiavit faustum verbum; nam: „divulgavit tanquam famam aliquam," ut multi explicant, incommodum est. φημισμός apud Suidam est φήμη. ἐπιφημίζεσθαι cum substantivo ἐπιφήμισμα significat boni aut mali ominis verba alicui dicere, tum bona aut mala imprecari, cf. Herod. III, 124. Thucyd. VII, 75. Ac φημίζειν et φημίζεσθαι est nomen dare, cf. Euphorion. fragm. 56. Meinek. et Nonn. Dion. IX, 23. Nam veteribus nomina omen habere visa, vid. praeter Pind. Isthm. V, 51. exempla multa apud Gurlittum h. l. et apud Elmsleium ad Eurip. Bacch. 508. et Meineke ad Euphor. p. 128. Anall. Alex. p. 99 sq. et cf. peritam Hermanni notam ad Soph. Aiac. v. 425. Atque inde etiam nostri loci tota vis pendet. Quod enim sub violis iacuit puer, pulcrum quidem, sed tamen manifesto inane est, si nullam vim habuit in gentis fortunam. Quid igitur inest in Iami nomine? Ego considerans Pindari verba οὐδέ ποτ' ἐκλείψειν γενεάν et καλεῖσθαί μιν χρόνῳ σύμπαντι τοῦτ' ὄννμ' ἀθάνατον, video perennem florem laetissimum gentis indicari, quum viola a primo vere efflorescat (Theophr. Histor. Pl. VI. p. 217. Schneid.) et eximio quodam vigore inter flores distincta sit. Sic igitur faustissimo nomine ornata gens iuvenilem vitam habet; floruerunt et olim mythico tempore, et

nunc Agesias praeclaris virtutibus aeternum hunc vigorem comprobat. Quae est summa carminis. Ceterum non inepte suspicaberis Iamidas etiam in his epiniciis leucoio coronatos fuisse; erat haec viola inter praestantissimos flores coronarios, cf. Iacobs. Delect. Epigr. Gr. p. 230. Theocr. VII, 64. Anthol. Pal. libr. V. nr. 147. — V. 57. καρπὸν Ἥβας, pubertatem, maturitatem. Pyth. IX, 113. Add. δῶρα Ἥβας Eurip. Alc. 300. ibiq. Wüstem. — χρυσοστεφάνοιο, iam Hesiod. Theog. 17. — Ἀλφεῷ μέσσῳ καταβάς, quum in mediterraneo loco mare non haberet, descendit in fluvium, ut melius audiretur a Neptuno, cf. Ol. I, 71. — V. 59. σκοπόν Ol. I, 54. θεόδματος saepe de urbibus auxilio aut tutela deorum conditis, nunc de insula divinitus in mari constituta, ut Fragm. Prosod. nr. 1., [ubi item Delus augustiore forma vocatur θεοδμάτα, cfr. Lobeck. Paralipp. II, 457. Athenas Solon 28, 6. dicit πατρίδα θεόκτιτον.] — V. 60. λαοτρόφον τιμάν, munus, dignitatem aliquam publicam, quae augeat res populi, s. populo utilem. Cave vero ex Schol. cum quibusdam βασιλικὴν ἀρχήν credas postulatam. — ἐᾷ κεφαλᾷ, cf. Ol. VII, 67. Hesiod. Scut. 104. — νυκτός, vid. Ol. I, 71. et Schol. vet. 104. — De ὑπαίθριος cf. Blomfld. ad Aesch. Prom. v. 113. Lobeck. ad Phrynich. p. 251. — V. 61. ἀρτιεπής, diserta, nunc oppositis ominibus obscuris, cf. Boeckh., qui affert Hesiod. Theog. 29. Pind. Isthm. IV, 51. — V. 62 sq. μετάλλασεν Boeckh. in Nott. critt. cum Schol. interpretatur ἐφιλοφρονήσατο, comiter amplexa est. Buttm. Lexil. I. p. 140. desiderans exempla huius significationis cum Heynio malit: alloquutus est; sed ieiuna hic talis verbositas. Herm. ad Vig. p. 936: ἐξήτει τὸν Ἴαμον, κελεύων ἐλθεῖν μετ' αὐτοῦ, quaerimus enim, ait, quem volumus ad faciendum quid adhibere. Opponit Boeckhius praesentem a praesente non posse quaeri. Tafelius recte mōnens noctu rem geri, male tamen infert: Pater dicit, ubi es, fili, comparato Iudaeorum deo. Ego ita censeo: Non proxime adstat Apollo nec manu ducit Iamum, sed per intervallum, licet non permagnum, alloquitur. Quidni igitur haec vox, per noctis tenebras tendens ad filium dilectum, dici possit quaerere eum? Mihi hoc ut simplicem ita suavem amoris paterni significationem habere videtur; idemque sensisse suspicor Scholiastam et Boeckhium, nisi quod in verbo per se quaerunt quod in re inest. [Rauchensteinium II, 26. video Hermanni emendationem μεταλλάσαντί ἐν vel μιν fortiter defendere. Egregie enim di-

ctum esse de filio, qui quum per silentium noctis in flumen descendisset patremque invocans Apollinem ab eo munus vel honorem flagitaret, patris vocem exaudire cupivit eamque cupide exspectavit. Recte dici tum: Respondit patris vox quaerenti eam: surge, fili. Emperius exemplari suo haec ascripsit: „Cf. Pyth. IV, 164. Est ad se advocare; nam Apollo est in Cronio colle. *μεταλλᾶν* est quaerere aliquid quod tecum auferas, abducas. Neque sequentia adversantur recte intellecta. An *πειρᾶν*?"] — *ὄρσο, τέκνον*, Il. X, 89. — *πάγκοινον*, ob futuros conventus, v. Ol. III, 17. — V. 64. *ἀλίβατον*, arduum, cf. Buttm. Lexil. II. p. 176. [H. Rumpfius in progr. gymn. Gissensis a. 1844. p. 32 sqq. vocabuli *ἠλίβατος* propriam vim esse docet scissus, ruptus: h. l. praeruptam dici rupem quae Ol. I, 111. *εὐδείελος* vocatur. Cognata esse ait *κατῆλιψ* et *ἠλίβατος*.] — V. 66. *τόκα μέν*, per aliquod tempus. *μαντικὴν* proprie dictam ibi exercet, quae fit per inspirationem dei s. per vocem Apollinis veridicam. Vide de hoc genere Müllerum nostrum Dor. I. p. 340. — V. 67. *ψευδέων ἄγνωστον, ἀψευδῆ*, Mitsch. ad Horat. Carm. I, 6, 6. Apollo nec fallit nec fallitur. — *εὖτ' ἂν — κτίσῃ*, quum sequatur *κέλευσεν*, dictum ut in re vere futura, non cogitata tanquam quae possit aliquando accidere. Orationem rectam audire videmur. — *Θρασυμάχανος ἐλθών*, post devictum Cteatum, Eurytum, Augiam, cf. Ol. XI. — *Ἀλκαϊδᾶν*. Amphitryo est filius Alcaei, unde Hercules e familia Alcidarum, splendidius pro patre nominata familia s. gente, cf. ad Ol. IX, 56. Pyth. II, 25. — V. 69. *ἑορτάν*, h. e. *βουθυσίαν*, cf. Ol. V, 6. — *τεθμόν*, institutum ludorum, ut solet ubique nominare utrumque coniunctim, sacrificia et ludos. — V. 70. *ἐπ' ἀκροτάτῳ βωμῷ*. Constabat ara Iovis maxima duabus partibus; inferiori impositum erat altare minus, in quo victimae crematae, unde oracula edebantur, cf. Pausan. V, 13, 5. et Boeckh. h. l. — *κέλευσεν* suaviter mutata oratione post *ὤπασεν ἀκούειν*. Post condita igitur Olympia e sacrificiis respondere iussit deus, cessante fere tunc ibi priore genere vaticinationis. Sic Thebis in Ismenio prius *μαντικὴ* exercita fuit, deinde *ἐμπυρομαντεία*, cf. Müller. Dor. I. p. 235. Omnino Apollinea *μαντικὴ* proprie dicta inprimis floruit antiqua aetate; succedente tempore extra oracula rarius exercita videtur. Praevalebat tum vaticinatio e sacrificiis, flamma, cinere aliisque rebus, atque etiam Iamidae tum his

maxime generibus operam dedisse videntur, licet olim traditum ab Apolline etiam vocis divinae intellectum haberent. [Conf. C. Fr. Hermanni Antiqq. sacr. §. 33 sqq.]

V. 71—82. Redit ad Agesiam eiusque victoriam et ludicram laudem absolvit. — V. 71. Hermannus malit iungere *ἐξ οὗ ἕσπετο*, collat. Nem. X, 37. Sed prima, ni fallor, est famae celebritas ex arte vaticinandi et dignitate collata, secundo loco nominantur opes ceteraque commoda. Quare servo interpunctionem post *Ἰαμιδᾶν*. De Asyndeto vid. Excursum Tom. I. p. 347. — V. 73. *φανερὰν ὁδόν*, illustrem, gloriosam. — Ceterum hi versus ut claudunt locum de Iamidis, sic praeparant reditum ad Agesiam, de quo nunc. — *τεκμαίρει χρῆμ' ἕκαστον*, probat res et usus quemque, h. e. probant nostra ipsorum facta quales simus, non aliorum obtrectationes. In sequentibus igitur v. 74. *ἄλλων* (quod simul contemptum involvit, ut Nem. IV, 39.), vim habet et habere debere mihi videtur, ne ieiunum sit, quare laudo *ἐκ δ' ἄλλων*, quod est noto usu pro *ἐξ ἄλλων δέ* dictum, ut etiam *γέ, μέν, τέ* saepe inter praepositionem et nomen collocata leguntur. Veritas, ait, in nostris ipsorum factis posita; obtrectatio vero ab aliis oritur propter invidiam, si quis duodecimum cursum primus absolvens iamiam fulget spe victoriae propinquae. — [V. 74. De *μώμῳ* cur diceret Pindarus, causa haec fuisse videtur sola, quod victor domi apud cives suos Syracusanos invidia laboraret, cf. v. 7.] — *κρέμαται*, cf. Theogn. v. 1186. — *περί* iunge cum *ἐλαυνόντεσσιν*. — *δωδέκατον*, cf. Ol. III, 33. Tum *Χάρις* dea est, quae victoriam dans (cf. Ol. II, 50.) *ποτιστάξει*, decore quasi unguento perfundit et pulcriorem reddit formam certatoris gestientis. [Pulcrum fuisse Agesiam non sequitur ex verbis poetae; etenim, ut recte Scholl., *οἱ νικῶντες δοκοῦσιν εὐειδεῖς εἶναι*.] Vides autem agi de ultimo certaminis tempore, ubi maxime ardebant spectantium amicorum, inimicorum studia et odia. Tum igitur Agesias iam ad finem properans expertus erat iniquas invidorum voces, qui immerito, non virtute, eum vincere clamarent. Videntur hi maxime cives Syracusani fuisse Olympiae praesentes, iam tum irati ei, quem postea interemerunt. — V. 77 sqq. ne dubita continuari defensionem Agesiae. Dicit: Et si vere olim materni avi Mercurium coluerunt, huic et Iovi potentissimo debes victoriam, non casui felici aliisve rebus ab inimicis iactatis. *Μάτρωες*, quinam?

Ut Iamus pater Iamidarum, sic uxor Iami mater eorum, atque huius feminae gens mihi videntur nunc avi materni dici, sub Cyllene olim habitantes et Mercurium Cyllenium (Pausan. VIII, 17, 1.) colentes, dubia tamen fama propter vetustatem. — V. 78. ἐδώρησαν, Hes. Theog. 71. cf. Schaef. ad Gnom. edit. Lips. p. 216. Apud posteriores obsolevit fere activum. — λιταῖς, λιτανευτικαῖς, cf. Hesych. Pind. Pyth. IV, 217. Aesch. Agam. 232. [De voce λιτός Pindaro familiari vide Eustath. Prooem. p. 8. et Nackii Opusc. I. p. 26.] — ἀγῶνας ἔχει, ἐναγώνιος Pyth. II, 10. ἀγώνιος Isthm. I, 60. Mitscherl. ad Horat. Carm. I, 10, 3. — μοῖραν ἀέθλων, fortunam certaminum, aut sortem praemiorum, coll. Isthm. III, 10. — V. 80. τιμᾷ, favet. — εὐτυχία de ludicris victoriis notum, ut Nem. I, 10. Ol. VII, 81.

V. 82—ad finem. Post interpositum locum de carminibus duobus praeterea canendis, postremo de Syracusis dicens, quarum civis Agesias, sic tertiam laudum partem addit in prooemio significatam. Absolvitur carmen cum votis.

V. 82 sqq. Accedimus ad locum difficiliorem, tumidum visum non Boeckhio, at Heynio aliisque plurimis, quo magis intentis viribus annitendum est, ut veram mentem poetae perspiciamus, qui nihil molitur temere. — Orditur: Sensum habeo cotis stridulae in lingua, qui volentem me impellit ad pulcrifluos cantus. δόξαν ἔχω, h. e. δοκεῖ μοι εἶναι ἐπὶ γλώσσᾳ. Noto usu dicitur acui lingua (Cic. Brut. c. 97. Orat. III, 31.), ὀξύνεσθαι γλῶσσα, στόμα, add. στομοῦν Aristoph. Nub. 1102, 4. στόμωσις Soph. Oed. Col. 795. frequenti oratoribus translatione, cf. Reisig. l. cit. et Wyttenb. ad Eclog. Hist. p. 425. Differunt usu γλῶσσα τεθηγμένη, λόγοι τεθηγμένοι, similia, pro iratis, cf. Valcken. ad Hippol. v. 689. Vide tamen alias loquutiones ad Ol. XI, 20. Nunc Pindarus ἀκόναν in lingua fingens λιγυράν, h. e. qualis sonus editur, quum ferrum acuitur, eximie significat esse quo maximopere excitetur ad novos cantus ordiendos. — πνοαί, cantus, proprie flatus sonantes vocis, cf. ἀδύπνοος Ol. XIII, 22. Isthm. II, 25. Pyth. IV, 11. Anacreon VI, 9. μελίπνοος Tryphiod. 429. Iam si teneas προσέρπει, vertendum: quae δόξα mihi adrepit volenti inter pulcrifluos cantus pr. dum cano, inutili ornatu. Ego cur προσέλκει praeferam et intelligam cantus, ad quos trahatur, quos mox ordietur, infra

patebit clarissime. Primum vero nunc de cote videndum est, quid acuat linguam. Respondet poeta: Avia mea Metopa Stymphalis est. Ergo cogitatio cognationis Thebarum et Stymphali nunc est cos in lingua excitans eum ad novos cantus. Fuit autem Theba filia Asopi, in Boeotia fluvii, et Metopae Stymphaliae, vid. Schol. h. l. et Isthm. I, 1. et cf. ad Nem. IV, 9 sqq. Metopa vero, Ladonis Arcadiae fluvii filia, dubitatur utrum fluvius s. rivus an lacus apud Stymphalum fuerit. Nobis cum Müllero Dor. II. p. 439. lacus videtur. Huius ripae floridae fuisse videntur, unde etiam dea florida, εὐανθὴς est s. pulcritudine florens. Ladon vero si influebat in lacum, commode pater lacus dictus est. — V. 85. πλάξιππον, dicit Thebam heroinam propter civium morem; ut enim heroico tempore *Καδμεῖοι κέντορες ἵππων* Hom. Il. IV, 391. et *Βοιωτοὶ πλήξιπποι* Hesiod. Scut. 24., sic postea curulia certamina magnopere amabant, cf. Pyth. II. Isthm. I. Saepe Thebae εὐάρματοι, πολυάρματοι, χρυσάρματοι, cf. Boeckh. h. l., qui simul monet additum hic epitheton propter redam Agesiae, ut his quoque studiis similes Thebas diceret. — τᾶς ὕδωρ πίομαι, cuius aquam Dircam bibo, ubi habito; cf. Pyth. IX, 88. Mitscherl. ad Horat. Carm. II, 20, 20. — πλέκων ut coronam, cf. Horat. Carm. I, 26, 6. ibiq. Interprett. Iacobs. Anthol. Gr. V, 1. P. I. p. 2., qualem nunc Agesiae victori bellicoso. Nam quum ludorum victores non omnes αἰχμηταὶ sint, nunc αἰχμηταῖσι accommodatum est praesentibus rebus et personis, quoniam Agesias bellicosus erat Arcadesque. — V. 87 sqq. Vidimus quid linguam Pindari acuat; nunc accedimus ad alterum, ad cantus quos canere vult. — Aeneas est Agesiae cognatus aliquis Stymphalius, qui Thebas missus acceperat a Pindaro quae cecinisset, ut Stymphalum ferret et chorum (ἑταίρους) ibi doceret. Vid. Boeckh. — Iuno Parthenia est Stymphalia, ubi illi tria fana et nomina; appellabatur παῖς ut virgo, quam nunc Virgineam Iunonem poeta dicit, τελεία ut matrona, χήρα ut ab Iove segregata, cf. Pausan. VIII, 22, 2. — γνῶναι, videre num, experiri num. — V. 90. εἰ — φεύγομεν, cave pro coniunctivo accipias. Immo non nunc primum refutatur vetus opprobrium, sed diu iam refutatum erat Pindarica maxime poesi. Quare sensus: Experiantur num verum sit quod dicitur, fugere nos, non amplius cadere in nos istud opprobrium. De ipso autem proverbio *Βοιωτία ὗς* cf. Schol.

et quos laudat Boeckh. Sed nunc gravior oritur quaestio, quid haec omnia sibi velint, quam, quod doleo, Boeckhius non tetigit. Priora fortasse sic accipias, ut Heynius: Age canamus, h. e. meminerimus nunc hoc carmine etiam Iunonis; ita ut haec verba simul sint pro laude, quam cani iubeat, nec quidquam praeterea dicatur. Tum sequentia de opprobrio Boeotorum videntur plerique sic intellexisse, chorum hoc epinicio carmine bene canendo et saltando illud removere debere. Sed tu vide, quaeso, nexum. Carmine fere absoluto ait: impelle nunc socios, ut primum Iunonis in carmine meminerint, deinde ipsum carmen bene recitent, tertium Syracusas laudent! Nihil novi ineptius. Ne multa! nonnisi unam viam video ex his difficultatibus, si Pindarus praeter hunc hymnum duo alia carmina fecit. Nempe carmine epinicio ad finem tendente praecipit de ceteris, quae ad hunc diem ornandum miserat, quemadmodum Nem. IX. in fine aliud carmen nuntiat post hymnum epinicium canendum. Opportune Schol. v. 149. narrat: *τινὲς δὲ τὸν Ἀγησίαν φασὶν ἱδρύσασθαι ἄγαλμα Ἥρας*, quod Boeckhio non fictum videtur; nec per se improbabile est Agesiam urbem patriam visentem Iunoni statuam dedicasse, fortasse votam ante victoriam. Hinc priora verba equidem accipiam de hymno in Iunonem. Nempe hymnus epinicius canitur Iovi Olympio; post hunc Iunoni poterat cani hymnus, pompa ducta in eius templum. Cantato vero eo redibant in domum, ubi epinicia habebantur, ut ibi inter pocula continuaretur comissatio ludicra. Atque huc spectat alterum, *γνῶναί τ' ἔπειτ'* cett. Canebantur autem in talibus comissationibus encomia et scolia, cf. Boeckh. ad Fragment. p. 605 et 614. Quorum licet etiam encomia hilariora essent hymnis epiniciis, tamen ad istud proverbium refutandum de insulso et inficeto Boeotorum ingenio (hoc enim profecto significat *Βοιωτία ὗς*) nihil concedes fuisse aptius scoliorum dulcibus et ingeniosis facetiis, quibus Pindarum excelluisse Fragmenta pulcherrima docent et Boeckhius meus annotavit ibid. p. 607. Quare iam dico cum hymno in Iunonem etiam scolion a Pindaro missum. [Sufficere unus hymnus in Iunonem videtur.] — *ἄγγελος ὀρθός*, bonus internuntius, qui docebis chorum prouti praecepi. — V. 91. De scytales usu apud Spartanos in mandatis mittendis cf. Gell. N. Att. XVII, 9. Plutarch. Lysandr. c. 19.; adde quos laudat Liebel. ad Archiloch. p. 166. ed. sec., quum etiam ille *σκυτάλην* pro nuntio dixerit. Nunc carmina quidem literis perscripta erant, opinor, sed alteram rerum partem, cantus, instrumentorum, saltationis modos animo tenebat Aeneas a Pindaro doctos, quemadmodum literarum in loro scriptarum nullus usus sine scytale. Sic scytales nomen hic significantius est, nec mera repetitio vocis *ἄγγελος*. — *κρητήρ*, h. e. ut vinum in cratere temperatur, sic Aeneas carmina modis musicis admiscendis temperare debet, ut suavis potus sit. A convivio, quod habebatur, comparationem petitam notat etiam Boeckh. ad Fragm. p. 614. — *ἀγαφθέγκτων*, ut sunt clarisoni cantus inter pocula. — Tam intentae laudes ad idem redeuntes mirae profecto videri debent, si nonnisi epinicium hymnum attulerat Aeneas; at sunt aptissimae, si praeter hunc hymnum etiam hymnum in Iunonem et scolii facetos modos docere debebat. Atque ita tandem patefacta est insignis pulcritudo totius loci; vides quaenam sint *καλλίροοι πνοαί*, ad quas trahebatur, nec miraberis amplius cotem stridulam in lingua. Concidit omnis tumoris accusatio. — V. 92. *εἶπον δὲ* sqq. Dices nunc etiam quartum carmen indicari a poeta factum; sed hoc non verum. Quum Syracusarum mentio honoris causa facienda esset, hortatur Pindarus, ut deinde etiam huius urbis recordentur in cantibus suis, et quidni fecerint, quum haud dubie alia multa in illa comissatione canerentur. Sed sive fecerint, sive non fecerint, Pindarus quae de hac re dicenda habebat manifesto statim hic addit. Quare quum de Iunone et de scolio dixisset brevissime, hunc locum explicatius tractat. — *Ὀρτυγία* insula erat Syracusarum nobilissima pars, ubi haud dubie Hieronis regia erat et fortasse etiam Agesiae domus, quod ibi primi conditores habitaverant. Vide Boeckhium, qui addit ibidem etiam Cereris et Liberae templum videri fuisse, cuius sacra gentilicia a Teline propagata peragebat Hiero, de quibus praeter Boeckhium confer etiam Müller. Dor. I. p. 400. — V. 94. *φοινικόπεζαν*, quum pedes laudentur alii e candore, alii e rubore, Cereri rubicundi pedes tributi, Boeckhio aliisque iudicibus ob rubicundum frumenti colorem. — V. 95. *λευκίππον*, diis ad principum morem equi candidi dati, unde talibus etiam Proserpina ad patrem Iovem vehitur; vid. Boeckh. et Schol. Porro Iovis Aetnaei sacerdos Hiero inde ab Aetna condita. Ceterum apte in carmine in Arcadica urbe canendo Hieronem Cereris et Proserpinae sacerdotem praedicat, quum plurimus esset harum dearum cultus in Arcadia; nec minus concinne Iovis Aetnaei sacerdotium addit, quum in Aetnaea solle-

mnitate ex Hieronis decreto iterum canerentur carmina epinicia civium, qui in certaminibus στεφανίταις vicissent, cf. Schol. ad Nem. I, 7. Quare si etiam hoc carmen alio tempore ibi repetendum erat, hac quoque de causa necessaria fuit Sicularum rerum mentio. — V. 97 sq. γιγνώσκοντι, Ol. VII, 83.; scilicet ornabatur a poetis, quibuscum versabatur, ut Pindarus ei tres Pythias odas, unam Olympicam, et scolion et hyporchema scripsit. — σὺν δὲ φιλοφροσύναις, atque gratissimus videtur fuisse Hieroni Agesias. — κῶμον, pompam Agesiae Syracusas sollemniter introeuntem. — V. 99. οἴκοθεν οἶκαδε, proverbialis loquutio de eo, qui duas domos habet et ab una in alteram venit; cf. Ol. VII, 4. — V. 100. ματέρ' Ἀρκαδίας Gedikius et Hermannus Arcadicam Agesiae matrem s. patriam intelligunt, Boeckhius metropolin Arcadiae Stymphalum dici censet cum Schol., si, variantibus in talibus fabulis, Pindarus elegerit id, quod Stymphaliis gratissimum. — δύ' ἄγκυραι, altera e prora, altera e puppi demissa; cf. ad proverbium Stob. Sermon. CX, 22: οὔτε ναῦν ἐξ ἑνὸς ἀγκυρίου, οὔτε βίον ἐκ μιᾶς ἐλπίδος ὁρμιστέον. Propert. Lachm. III, 14, 41. Addit Karsten ἐπὶ δυοῖν ὁρμεῖν Aristid. Panathen. T. I. p. 110 Iebb. cf. Eurip. Phaethont. Fragm. VI. Item Solonis dictum Plutarch. in Solon. c. 19. Denique cf. Blomfld. ad Agam. 488. Sententia prudentissima, quum iam tum invidia laboraret Agesias ob Hieronis amicitiam. Lenius vero et suavius rem tristem per metaphoram significat; cf. Ol. VII. fin. — V. 102. τῶνδε κείνων τε, h. e. deus horum (Stymphaliorum, apud quos nunc canitur) et illorum (Syracusanorum) sortem felicem exhibeat. — Neptunus invocatur, quum reditum pararet Agesias per mare Siculum. Quod enim nonnulli πλόον metaphorice vitae cursum intelligunt, alienum est. εὐθύν, felicem. — χρυσαλακάτοιο, aurea colo instructae, mulierum negotiis ad deas traductis; cf. Boeckh. Ceterum apte memoratur dea, quae cum Neptuno et alibi colebatur et in Isthmo Corinthio (Pausan. II, 1, 7.), unde Agesias in Siciliam profecturus erat. Omnino Amphitrite magna dea, vulgo ipsius maris personam gerens, unde κύματα Ἀμφιτρίτης dicuntur (Hom. Od. III, 91.), non Ποσειδάωνος, eademque dicitur κήτεα maris alere (Hom. Od. V, 422. XII, 97.), quod non tribuitur Ποσειδάωνι. — ὕμνων ἄνθος, Ol. IX, 48. Bacchyl. ed. Neue p. 19.

CARMEN OLYMPICUM SEPTIMUM.

INTRODUCTIO.

Victoria haec Diagorae Rhodii, pugilis longe celeberrimi, Ol. 79, 1. reportata est, nec multo post carmen scriptum. Quum enim Pindarus dicat σὺν Διαγόρᾳ κατέβαν v. 13., videtur Diagoras, quum rediret, carmen a poeta sibi missum secum tulisse. Fuit autem Diagoras e nobili Heraclidarum stirpe. Etenim tertia a Temeno aetate Argis Doriensium colonia per Epidaurum in Rhodum migraverat, quam expeditionem qui duxerunt Heraclidae a Tlepolemo, filio Herculis, originem derivabant; unde postea ipsum Tlepolemum fabulae ducem coloniae ferebant. Occupaverant autem hi Heraclidae tria Rhodi oppida et triplex regnum constituerant; quorum qui Ialysi habitabant Eratidae dicti. Sed regia potestas cessaverat post Ol. 30., et Pindari aetate prytanes fuisse videntur. Talis erat, ut videtur, Demagetus, Diagorae pater, e familia Callianactis. Verum haec quoque dignitas verendum erat ne mox eriperetur iis, quum crescente Athenarum potentia iam tum fuisse videantur inter Rhodios et Athenienses qui de abroganda Heraclidarum potestate cogitarent et populare imperium institui vellent. Ac revera postea huius ipsius Diagorae filii ab Atheniensibus expulsi sunt; ex quo tempore Athenienses et Spartani diu de insulae imperio certarunt. Vide de his omnibus uberrime exponentem Boeckhium in Introductione, Müller. Dor. I. p. 108. II. p. 147. et Clinton. Fastt. Hell. I. p. 79 sq. — Carmen cantatum dico cum Boeckhio Ialysi in publico Eratidarum convivio, monstrante prooemio, in quo omnia a convivii comparatione petita sunt. Argumentum hoc est: Post prooemium laudesque praevias victoris et patris tres deinceps fabulae tractantur. Primum enim narrat originem gentis a Iovis nepote Tlepolemo esse, qui interfecto Licymnio ab Apolline iussus sit insulam petere, ubi aurum pluerit in natalibus Minervae. Sic ad secundam fabulam transit de Minervae cultu ἀπύρῳ ab Heliadis per errorem instituto, deque aureo Iovis imbre et artis sollertia a dea iis impertita. Succedit tertia fabula de Sole et Heliadarum origine, ut Sol in distributione terrae a diis negligentia praeteritus hanc insulam, tum nascentem e mari, postulaverit et acceperit sanctissimo iureiurando concessam, tum e

nympha Rhodo Heliadas procreaverit conditores trium insulae urbium, postea ab Heraclidis occupatarum. Narratis his fabulis ad victorem rediens enumerat multas eius victorias, animique moderationem laudat, denique Iovem pro familiae incolumitate invocat, quum facillime res hominum mutari possint. Singula vidimus; restat, ut de interiore nexu eorum explicemus. Certum est et minime dubium summam carminis sententiam inesse in mythica parte. Quid autem haec docet? Docet mirabile fatum Rhodi, ex quo quae magna et eximia ornamenta huic insulae contigerunt, iis semper etiam casus quidam et errores iuncti fuerunt praeter voluntatem commissi. Condidit Tlepolemus Doricum imperium in insula, sed idem ante occiderat invitus Licymnium; contigit alio tempore Rhodiis aurea pluvia et artium sollertia, sed Heliadae quum cultum Minervae conderent, ignem omiserant; denique Solis honores insula suscepit, quum dii ante in sortitione terrarum hunc deum obliti essent: ut tria deinceps ornamenta videas et totidem admixtos errores. Hoc igitur fatum necesse est, opinor, nunc iterum redierit in Diagorae rebus, qui quum novum decus patriae reportaret victoriam Olympicam, factum videtur infelici casu, ut unus ex adversariis pugilibus gravius vulneratus moreretur. Sic Ol. 71. Cleomedes pugil in pugna occidit Iccum; et ille quidem iniuste egit et corona orbatus est, Paus. VI, 9, 3. Diagoras invitus mortis auctor fuit adversario, si vera coniectura nostra; sin minus, alius fuit casus. Quae quidem res quum per se tristis esset et odium parere posset Diagorae familiaeque eius, Pindarus magnifico posito fundamento carminis canit aeternum insulae fatum e decoribus et erroribus mirifice mixtum, et praesentem rem ad altiorem legem suam revocat; in quo agnoscent periti Pindaricam poesin. Primus igitur locus de Tlepolemo Licymnii interfectore proxime tangit recentem Diagorae casum, et senties nunc omnem eius vim; sed ante Tlepolemum erraverant iam alio modo Heliadae, et ante Heliadas ipsi dii: sic pulcre sequens quisque error excusatur antecedenti, omnes autem coniunctim inevitabilem istam vim fati ostendunt. Hoc perspecto, in reliquo carmine quod poeta patris Demageti iustitiam laudat, et Diagoram ab omni insolentia alienum praedicat eique gratiam optat apud cives et exteros, manifesto eundem commendationis finem habet, ne qua invidia oriatur familiae ex illo tristi casu; *ὁ δ' ὄλβιος, ὃν φᾶμαι κατέχοντ' ἀγαθαί.* Ac periculosa tum erant tempora; videntur fuisse iam tum nonnulli et

mox futuri erant plures, qui optimatium imperium populo invisum reddere conarentur; Pindari autem epinicia poesis quum plurimum delectetur gentium illustrium nominibus celebrandis et aristocratiae potius faveat quam democratiae, huius quoque praeclarae gentis fama et honos pro virili parte curandum censuit ne minueretur. Licet igitur propter antiquitates tractatas etiam Rhodi laudem dicere possis hoc carmen, quod postea publice perscriptum aureis literis in templo Minervae Lindiae habebatur in communi insulae urbe Rhodi, cf. Schol., tamen nunc omnia propter Diagoram eiusque familiam proposita vides, testante ipso Pindaro, *σὺν Διαγόρᾳ κατέβαν ὑμνέων Ῥόδον, ὄφρα πελώριον ἄνδρα αἰνέσω πατέρα τε Δαμάγητον.* — Haec mea carminis explicatio non plane eadem est quam Boeckhius proposuit. Sequor Boeckhium in eo, quod familiae dominatricis causam agi censeo et in fine reipublicae turbas futuras significari suspicor, quas poeta praevidebat; sed fabulas Boeckhius aliter explicat, errores in iis propositos eo pertinere putans, ut Rhodii a mutatione reipublicae deterreantur. At enim si dehortari voluisset poeta, incommoda et detrimenta errorum exposuisset; nunc autem hi errores manifesto excusantur, ipso Boeckhio verissime notante. Concludo ego inde aut a Diagora aut a familia eius aliquid admissum fuisse, quod excusatione indigeret. Atqui si a familia aliquid admissum statuimus ante hanc victoriam in imperio vel alio modo, divellimus quod in fabulis propositis arcte coniunctum est, ubi singulis ornamentis singuli errores admixti sunt; atque in ipsa hac fatali decorum et errorum coniunctione inest haud dubie poetica vis universi carminis. Quae quum ita sint, ipsi victoriae Diagorae necesse est coniunctus fuerit casus aliquis molestus, atque ita redimus ad coniecturam a me propositam, quae simplicissima est, et nova luce perfundere videtur carmen praestantissimis annumerandum a Pindaro excogitatis.

[Dissenii sententiam de summo consilio praeclari carminis impugnavit Welckerus Scrr. Min. II, 206 sqq. et Rauchensteinius Introd. Pind. p. 97 sq. et 130. Etenim id ipsum, quod Dissenius poetam canere dicit aeternum insulae fatum e decoribus et erroribus mirifice mixtum fabulis accuratius excussis non videtur vere statui. Sic in narratione de Sole, cuius sortem dii obliti essent, ne verbo quidem error frausve deorum reliquorum significatur: nam Iuppiter, postquam absens Apollo venit in Olympum, ad *ἄμπαλον* paratus est statimque ac-

cipit Sol quae placebat insulam. Nec Heliadae peccavere, quum ignem accendere in sacris Minervae obliti sunt: nam haec res aperte in eum tantum finem commemoratur, ut causa aliqua τῶν ἀπύρων ἱερῶν Rhodiis usitatorum ex patriis antiquitatibus repetatur. Postremo in historia Tlepolemi licet commissa per imprudentiam caedes luatur, at in eo causa sita fuit, cur et ipse et posteri fortuna uterentur illustrissima. Ita non raro in fabulis vetustis clarissima quaeque maxime a commissis homicidiis aptantur. — Tum uterque negat iure Dissenium suspicari, Diagorae aliquid in certamine accidisse.

Welckerus ipse de consilio poetae haec scripsit p. 211: „*Pindar will die nymphe oder die insel Rhodos singen, um den sieger zu loben; ihn und sein geschlecht zu loben beginnt er mit Tlepolemos, als der diefs geschlecht angehenden sage, v.* 21; *und um den sitz ihrer herrschaft zu ehren fügt er hinzu, dafs diese Herakliden die uranbeter der die kunst verleihenden Athena waren und dafs Helios ihr land sich selbst erkohren hatte. Die mythen stehen nicht einzeln da, sondern schlingen sich ineinander; das land erwächst aus dem meere, blüht, wird dem ahnherrn des Diagoras zu theil: aber nur von erfreulichen seiten berühren sie diesen, als eben so viele beweise eines glücklichen geschicks, worin sein geschlecht mit dem des landes vereinigt war, ohne auf das mifsliche, was die gegenwart haben mochte, sich vorbedeutend zu beziehen. Dafs sie auch so eine bestimmung für das gedicht vollkommen erreichen, kann nicht zweifelhaft sein. Hiernach würde ich also die beziehung auf die zeitverhältnisse, abgesondert und nicht unterstützt durch das mythische, lediglich in dem ausgange suchen. Dafs dieser aber sie wirklich und nicht etwa wie sonst öfter der schlufs eine mahnung übermuth zu meiden enthalte, ergiebt sich bei unbefangnem abwägen der letzten worte:* ἐν δὲ μιᾷ μοίρᾳ χρόνου ἄλλοτ' ἀλλοῖαι διαθύσσοισιν αὔραι. *Durch diese aufmerksam gemacht fühlt man leicht, dafs die vorhergehenden:* Ἑρατιδᾶν τοι σὺν χαρίτεσσιν ἔχει θαλίας καὶ πόλις, *der verfassung das wort reden, die der stadt viele feste nach der hergebrachten weise des herrschenden geschlechts gewähre, herrlichkeiten, die gleich in einem augenblicke wegfallen würden, wenn man, im sinne der Athener, nicht mehr lust hätte an die abkunft einer familie väterlicherseits von Zeus zu glauben und eine ahnfrau wie Astydameia zu ehren, v.* 23. — *Geht man weiter zurück, wie gewichtig erscheint nun das* μὴ κρύπτε κοινὸν σπέρμ' ἀπὸ Καλλιάνακτος, *wie nachdrücklich, dafs dieser wunsch zum gebet an Zeus erhoben ist! Und damit vereinigt sich endlich die art des lobes sowohl des Diagoras als seines vaters, der vermuthlich prytan war. Dieser regiert der Dike wohlgefällig (v.* 17.) *und sein sohn besitzt angeboren der väter richtigen sinn und hafst den übermuth. Möge Zeus ihm den Olympischen sieg zur mehrung achtungsvoller gunst bei einheimischen und fremden gedeihen lassen.*"]

EXPLICATIO.

V. 1—12. Prooemium. In tam illustri causa unde felicius ordiaris quam ab ipsa praestantia laudis poeticae? Dicit: Ut quum phialam auream vino plenam socer genero futuro propinans, ita eum in praesentia amicorum invidendum reddit ob felix coniugium hoc dono promissum: similiter ego in victorialibus conviviis nectar praebens Musarum donum victoribus exhilaro eos; ille vero felix est, qui bonam famam per carmina habet. — Ad stropham praemoneri debet: phiala vino plena data in convivio praesentibus amicis desponderi solitas esse filias generis; cf. Athen. XIII. p. 575. D. cum Casaubon. Tafel. etiam Sapph. Fragm. Athen. XI. p. 475. A. p. 79. ed. Neue (fr. 46. Delect.) huc pertinere suspicatur. — φιάλαν, cf. Schneid. ad Xenoph. Cyrop. I, 3, 9. — ἀπὸ χειρὸς ἑλών, e manu sumptam dat genero in manum. Iunge ἀπὸ χειρὸς cum δωρήσεται; ἑλών poeta amplificationis gratia addidit. — ἀφνειᾶς, cf. ad Ol. VI, 8. — ἀμπέλου δρόσῳ, vino, quum δρόσος, ἔερση, ros apud poetas de quocunque liquore dicantur. Comparat Tafel. ἀμπελόεσσαν ἔερσην Nonn. Dion. XVIII, 125. XIX, 54. At Eurip. Orest. 115. οἰνωπὸν ἄχνην dixit vinum spumans. — καχλάζοισαν, aestuantem, spumantem, proprie de undis, cf. Valcken. et Monk. ad Eurip. Hippol. 1205. Blomfld. ad Aesch. Sept. 110. Veteres quum mustum in vasa clausa conditum aliquamdiu fermentari sinerent, orta sic spumantia eorum vina passim memorata, cf. Virg. Aen. I, 739. Athen. XI, 465. C. 471. C. D. Ion. Chii fr. I, 7. Delect. al. cf. Henderson, History of Wines pag. 68. — δωρήσεται. In re quae facta est, fit, fiet, recte etiam futurum tempus usurpari liquet. Vid. Matth. Gr. §. 498. c. Cet. cf. ad Ol. I, 7. — γαμβρῷ, futuro genero. προπίνων, propinans atque ita donans. Exemplum

propinationis Boeckh. affert e Demosth. *περὶ Παραπρεσβ.* p. 384, 10. et vid. de verbo Boeckhii not. ad Schol. et nos ad Demosth. de Cor. p. 437. — V. 4. *οἴκοθεν οἴκαδε*, suavis formula de phiala, quae non in alienam domum venit, sed in eadem fere familia manet propter affinitatem soceri et generi; quem sensum formulae bene hic monstrat Scholiastes v. 6. cf. Ol. VI, 99. — *πάγχρυσον*, auro solidam. *κορυφάν*, Ol. I, 13. — V. 5. *συμποσίου* cett., et convivii gratiam atque hilaritatem et affinitatem honorans iunctam cum genero.— *ἐν δέ*, atque ita simul, cf. Blomfld. ad Aesch. Sept. 965. — V. 6. *θῆκε*, de hac suavi mutatione temporum in comparationibus constat ex Homero. — *ὁμόφρονος εὐνᾶς*, cf. Hom. Od. IV, 181 sqq. — V. 7. Ut comparatio sibi constet, nunc victorialia convivia cogitanda, in quibus poeta carminis dono victores beet. — *καὶ ἐγώ*, pr. *οὕτω καὶ ἐγώ* post praegressum *ὡς*, ut Ol. XI, 86 sqq. *ὥτε — καί*. Add. Nem. II. init. — *χυτόν*, fusum, infusum, tanquam vinum in phialam. Sed Schol.: *τὸ αὐτόματον καὶ ἄκρατον.* — *πέμπων*. Non semper missa esse carmina, sed interdum etiam ipsum affuisse Pindarum constat. Cur igitur *πέμπων* dicit in sententia generali? Nempe hoc nostrum carmen missum et sententia generalis more Pindarico statim e re praesenti colorem ducit seu, quod malim dicere, res praesens mutatur in formam generalem. Ad eandem normam, quum Diagoras in duobus nobilissimis certaminibus Olympiae et Delphis vicisset, nunc Olympicos et Pythios victores se canere dicit in sententia generali, licet alias etiam aliorum certaminum victores canat. Hoc dicendi genus, vulgo non satis perspectum, per totum Pindarum videbimus; cf. supr. ad Ol. VI, 86. Senties nunc, quo iure hoc carmen in convivio cantatum dicamus. — V. 8. *καρπὸν φρενός*, de prudentia Nem. X, 12., de consiliis Pyth. II, 74., hic de carmine, ut *καρπὸς ἀμπέλου* est vinum. [Respondent haec verbis *ἀμπέλου δρόσῳ* v. 2.]. — Porro construe: *ἀθλοφόροις ἀνδράσιν πέμπων, Οὐλυμπίᾳ Πυθοῖ τε νικῶντεσσιν* (h. e. *οἳ ἐνίκων*), *ἱλάσκομαι*, h. e. *εὐφραίνω*. Quum enim *ἵλεως* non solum propitius sit, sed etiam hilaris, ut Plat. Sympos. p. 206. et alias non raro, dubitari nequit *ἱλάσκεσθαι* esse exhilarare, et supplendum esse *αὐτούς*, monstrante sensum etiam comparationis concinnitate. Schol.: *ἱλαροὺς αὐτοὺς καὶ εὐχαρίστους ἀποτελῶ.* Vox meo iudicio hic insigniter apta propter tristem Diagorae casum Olympicum. Similiter *φᾶμαι ἀγαθαί*, h. e. laus et

fama bona per carmina a poeta victori parata, dictum cum respectu ad excusationem Diagorae quam parat. Nam in hac stropha omnia e re praesenti petita sunt. — *κατέχοντι*, cf. ad Pyth. I, 96. et notissimum Hom. Od. I, 95. — V. 11 sq. Quum supra dixisset *ἀθλοφόροις ἀνδράσιν*, plurali numero, nunc sententiae ambitum sic absolvit, ut dicat, contingere enim alio tempore alii victoriam cantumque. Sic antecedentia apte nexâ sententiâ claudit et sequentia bene praeparat. *Χάρις* non solum victoriam, sed etiam cantum epinicium praebet, cf. Ol. IV, 9.; add. Ol. IX, 27. Pyth. V, 42. IX, 3. Isthm. IV, 21. — *ξωθάλμιος*, vitam vigentem faciens hilaritate, cf. Schneid. Lex. [*καθ' ἣν ζῶν τις θάλλει* explicat Eustath. Prooem. p. 7.] — *ἐποπτεύει*, benigne respicit, ornat, ut *ἰδοῖσα* Ol. XIV, 16. *εἶδε* Isthm. II, 18. *δέρκεται* Pyth. III, 85. *ἐποπτεύειν* Anthol. Palat. VI, CCCXIII. cf. laudata a Blomfld. ad Aesch. Sept. 664. Add. Tafel. hic et ad Pyth. III, 85. et Mitscherl. ad Horat. Carm. IV, 3, 1. Dicuntur haec verba inprimis etiam de virtutibus, quas dii adspectu tribuant, cf. Iacobs. Anthol. T. VI. p. 42. — *παμφώνοισι*, Plat. Rep. p. 399: *τί δέ; αὐλοποιοὺς ἢ αὐλητὰς παραδέξει εἰς τὴν πόλιν; ἢ οὐ τοῦτο πολυχορδότατον καὶ αὐτὰ τὰ παναρμόνια αὐλοῦ τυγχάνει ὄντα μιμήματα;* Nempe tibia mature sonos plures habuisse videtur (tibiae multifores, Bartolin.); praeterea unius eiusdemque soni modulationes varias admittebat, vivo spiritu inflata, quum cithara, cuius chordae vulgo non premebantur manu sinistra, modicum sonorum numerum haberet chordis parem. Iam Plato dicit, quum animadversa esset varietas sonorum in tibiis, inde etiam citharae sonos et chordas augeri coeptas, et sic deinceps eam pluribus harmoniis aptatam. Ac philosophus tibias improbat; Pindarus autem lyricus et patria Boeotus laudat *τὸ πάμφωνον* in tibiis; cf. etiam Isthm. IV, 30.

V. 13—19. Transit ad victoris laudem et patris. — V. 13. *ὑπ' ἀμφοτέρων*, cf. Ol, IV, 2. — *κατέβαν*, appuli (Pyth. III, 73.), non vere eo profectus, sed animo et per carmen, ut Isthm. IV, 21. V, 21. — *τὰν ποντίαν — Ῥόδον* bene iungit Tafel, ut *ποντίᾳ ἐν Κύπρῳ* Nem. VIII, 17., in medio positis verbis *παιδ' Ἀφροδίτας Ἀελίοιό τε νύμφαν*, quemadmodum Fragm. Dithyramb. 4: *λιπαραὶ καὶ ἰοστέφανοι καὶ ἀοίδιμοι, Ἑλλάδος ἕρεισμα, κλειναὶ Ἀθᾶναι*, et Ol. VIII, 21: *Σώτειρα, Διὸς ξενίου πάρεδρος, Θέμις.* — V. 14. *ὑμνέων*, h. e. veni laudes canens Rhodi. Demosth. adv. Callicl. init.: *ἐν δὲ τούτοις τοῖς ἔτεσιν*

ἅπασιν οὔτ' ἐγκαλῶν οὐδεὶς πώποτε ἦλθεν οὔτε μεμφόμενος. Eurip. Suppl. 131. ἦλθον ἐξαιτῶν. Matth. Gr. §. 560. c. — Rhodus aliis Neptuni filia est et Haliae Telchinum sororis, aliis Amphitritae, aliis, ut videtur, Tethyis et Oceani, nunc Veneris secundum fabulas Rhodiorum, ut videtur, cf. Boeckh. — Ἀελίοιο νύμφαν, quum Solis cultus inde ab antiquissimo tempore esset in insula, vid. infr. — V. 15. εὐθυμάχαν, conf. εὐθύμαχος atque ἰθύμαχοι ap. Simonid. Anthol. Lips. T. I. p. 62. 65. (Epigr. CLXVI, 1. Schneidew.). — πελώριον, ob ingentem staturam, cf. Schol. 28. — στεφανωσάμενον, qui coronam sibi paravit, ut saepius. Activum est Ol. XIV fin. Cfr. Schneidewin. ad Simon. Cei Reliq. p. 230. Buttm. Gr. max. II, 88. Lob. Rost. Gr. p. 568. ed. sext. — παρ' Ἀλφειῷ quum usitatissimum sit pro Olympia dictum, concinnitatis causa pro Delphis dicit παρὰ Κασταλίᾳ, ut hic et Ol. IX, 17. Nem. XI, 24. [Xenophan. Eleg. 2, 3. et 21. νικᾶν Πίσαο παρ' ὄχθαις.] Ceterum vid. ad Pyth. VIII, 19. Coniunguntur autem hae duae victoriae non tantum ut nobiliores ceteris, sed ut tempore etiam propinquae. Similiter Ol. IX. Prooem. — Porro iunge ἄνδρα αἰνέσω πυγμᾶς ἄποινα, ut Isthm. III, 7., de quo genere constr. cf. Matth. Gr. p. 772 seqq. coll. p. 803. Ceterum inprimis in laboribus pugilatus, pancratii, quinquertii aptum est, ἄποινα ἔργων, μόχθων, νίκας hymnum dicere, ut hic et Nem. VII, 16. Isthm. III, 7. VII, 4. [οὐ τέτριπται εἰς κοινὴν σαφήνειαν οὐδὲ τὸ λέγειν Πινδαρικῶς ἄποινα τὴν ἀγαθὴν ἀμοιβήν, ὅ ἐστιν ἀντίχαριν ἔπαθλον. Eustath. p. 7.] — V. 17. Δαμάγητον, prytanin urbis, ut visum Boeckhio et Müllero. — ἀδόντα Δίκᾳ, ut Isthm. III, 33. Ἄρει ἅδον. cf. Ol. I, 89. Memorat hunc honoris causa, et ut sic ad familiam veniat, quo tendit oratio. — V. 18. Ἀσίας — πέλας ἐμβόλῳ. Peraeam Cariae intellige cum Boeckhio, cunei forma in mare excuntem. — V. 19. Ἀργείᾳ σὺν αἰχμᾷ, h. e. αἰχματαῖς, ut Eurip. Phoen. 445. μυρίαν ἄγων λόγχην. Cum Doriensibus Argivis, ait, in Rhodum olim profectis. cf. Introd. Praeparat, ut vides, sequentem fabulam.

V. 20—76. Antiquitates Rhodi tribus fabulis expositae. Ac primum quidem de Tlepolemo. Nexus hic est: „Repetam altius familiae decora. Lubens conabor (ἐθελήσω) iis a principio inde a Tlepolemo communem exsequi ex veritate laudem, Herculis propagini. Nobilissima enim origine sunt, patrem Iovem, matrem Amyntoris filiam Astydamiam habentes. Ve-

rum mentes hominum tenendum est erroribus innumeris esse obnoxias; nam sic Licymnium occidit huius terrae egregius conditor ira abreptus, quum etiam sapiens non tutus sit a perturbationibus. Hinc adiit deum; hic vero ei hanc praeclaram insulam dedit." Vides scite in fronte et in fine posita iucundiora, in medio vero memoratam caedem praemissis et subiectis verbis ita excusatam, ut nihil nisi communis naturae imbecillitatem deprehendas. Tamen ne haec quidem dixisset sine graviore causa, qui alias talia prudenter tegit, cf. Ol. XIII, 91. Nem. V, 16 sqq.; ista causa quae videretur, diximus in Introd. — V. 21. ξυνόν, communem Ἡρακλέος εὐρυσθενεῖ γέννᾳ. — διορθῶσαι, vulgo emendare, corrigere (Lobeck. ad Phrynich. p. 250.), similiter h. l. est: accuratius tractare. Vix enim dubito respici maxime tractationem piaculi a Tlepolemo commissi, quod verius et correctius narrat, quippe explicans et excusans ex idoneis causis. Ita vero omnino hanc fabulam διορθοῖ, ut solent e graviore re designare totum. — ἀγγέλων, publice nuntians, ut omnes audiant, additum ut Pyth. IX, 2. — Ἡρακλέος γέννᾳ, cum vi appositum. Manifestum est simul nobilitate originis commendari familiam. — V. 23. ἐκ Διός, qui pater Herculis, avus Tlepolemi. Astydamia Tlepolemi mater dicta Hesiodo, Pindaro et genealogo cuidam, cf. Schol., ferentibus ita etiam Rhodiorum fabulis, quae si Astyocham Homericam (II. II, 658.) agnovissent, etiam Pindarus hoc sequi debuisset. Cet. cf. Müller. Dor. I. p. 421. — Amyntor rex Ormenii in Magnesia, quam urbem Hercules expugnaverat. — τὸ δ', partim vero. Sed in primo membro τὸ μὲν πατρόθεν iunges. — V. 24. ἀμφὶ δ' — κρέμανται. Similiter Isthm. II, 43. Comparatio ducta videtur a retibus, quae undique cingant nos, ut irretiamur. — V. 26. νῦν ἐν καὶ τελευτᾷ, quod non solum primo consilii et actionis tempore conducat, sed etiam postea effectus habeat bonos. — φέρτατον τυχεῖν, quod utilissimum sit usu, si consequaris, infinitivo saepissime sic pleniorem reddente orationem; cf. Ol. XIII, 13 et 45. Nem. IV, 94. V, 18. X, 20 et 72. Isthm. II, 37. IV, 50. — V. 27 sqq. Licymnius ex Electryone et eius pellice Midea; cf. Schol. et Apollod. II, 8, 2. De historia cf. Diod. IV, 58. — νόθον, unde ira Tlepolemi. — σκάπτῳ σκληρᾶς ἐλαίας, quum haec arbor baculis et clavis inserviret, Hom. Od. IX, 320. Eurip. Cycl. 454. Nam durum inprimis olivae lignum, cf. Tafel. [Si recte formas θένειν, θένων, θένω, θένε

viri docti nunc iudicant aoristi esse, θενών Pindaro reddendum est, v. Buttmann. Gr. max. II, 197., ubi Lobeckius tamen exemplum praesentis affert Theocr. 22, 66.] — ἐν Τίρυνθι, ubi tum habitabat Hercules ceterique. — V. 30 sq. χολωθείς, erat igitur φόνος ἀκούσιος, quem qui admisissent historica aetate ad tempus exsulabant, donec expiati essent; cf. Müller. Dor. T. I. p. 334. et ad Aesch. Eum. p. 126 sqq. Antiquo tempore non plane incognitam credo fuisse expiationem, at minus vulgatam; quare tunc tales homines ut ἀφρήτορες plerumque in perpetuum abiisse videntur, quemadmodum nunc Tlepolemus et Aeacidae, Nem. V, 16. — παρέπλαγξαν, cf. Hymn. in Ven. 255. Eurip. Hippol. 240. Ad sensum Hom. Il. IX, 553. — V. 32 sqq. Tlepolemum ipsum venisse in Rhodum ibique regnasse, licet etiam apud Homerum legatur in Catalogo, cf. Il. II, 653 sqq., iure negant Boeckh. et Müller. Etenim qui historico tempore regnabant in Rhodo Heraclidae haud dubie erant posteri eorum, qui Argis Doriensium coloniam in insulam duxerant; quare Argis necesse est tum fuerit gens a Tlepolemo originem derivans. Quid igitur, num Tlepolemus in Rhodum abiens partem filiorum in Peloponneso reliquit, qui deinde cum Hercule inde exirent, quorumque posteri cum Doriensibus Argos redirent, ipse autem cum altera parte filiorum in Rhodo vixit, et quum nova colonia venisset, Peloponnesii et Rhodii Heraclidae se agnoverunt eodem patre natos, et se coniunxerunt, et quae sunt alia? Noli credere. Quid multa? Ab Heraclidis in Rhodum profectis inventa videtur fabula, iam olim insulam Tlepolemo ab Apolline datam, ut sic etiam iustius possiderent. Sic postea creditum gentem totam inde a Tlepolemi tempore in Rhodo fuisse, quasi qui postea Argis venerunt Dorienses nonnisi auxerint coloniam priscam. Hoc fere sequitur Pindarus et auctor Homerici loci in catalogo. — Accedimus ad oraculum. Ferebant, opinor, eaedem traditiones Rhodiorum Tlepolemo oraculum datum, ut in insulam navigaret, ubi aurum pluisset in natalibus Minervae. Atque hoc Pindarus nunc ornatius narrat, ceterum nihil in ea re fingens. [ἐς θεόν. Sic Aristoph. Avv. 618: εἰς Ἄμμων' ἐλθών. Charito IV, 4. εἰς Ἀφροδίτην βαδίζειν et quae sunt apud Bernhardy Synt. p. 214. Cf. Sintenin Excurs. IV. Plutarch. Pericl. p. 305 sq. Schoemann. ad Isaeum p. 363.] Χρυσοκόμας, cf. Ol. VI, 41. — εὐώδεος ἐξ ἀδύτου. Separatum erat adytum a ceteris templi partibus septo lapideo, cf. Müller.

de tripod. Delph. p. 14. Herm. ad Eurip. Ion. 1336. In adyto per intervalla suavis odor oriebatur, cf. Plutarch. de oracul. defect. c. 50. Hutt., surgens e sacro foramine, cui tripus impositus. — V. 33. Λερναίας ἀπ' ἀκτᾶς, quadraginta stadiis ab Argis dissitae, cf. Pausan. II, 36, 6. Strab. VIII. p. 566. 570. Qui Lernam accuratius cognoscere cupit adeat praeclaram Buttmanni dissertat. in Act. Acad. Berolin. ann. 1822. p. 331 sqq. sive Mythol. II, 93 sqq. — εἶπε πλόον εὐθύν, imperavit, edixit, ut recta via, fidenter per medium mare in insulam tenderent; felicem enim expeditionem fore, utpote diis probatam. — ἐς ἀμφιθάλασσον νομόν (das weideland im meer), h. e. insulam, in quo Pindarus, qui nusquam inanes circumscriptiones habet, pulcre imitatur oraculorum orationem; cf. ad Ol. VIII, 45. Significat autem sic νομός, ut notum, terram φερέσβιον, pecudibus hominibusque alendis aptam, ut v. 63. dicit πολύβοσκον γαῖαν ἀνθρώποισι καὶ εὔφρονα μήλοις. Sic νομὸς Ἑλλάδος Eurip. Rhes. 477. Aliud est νομὸν (victum) ἐν θαλάσσῃ ἔχειν, ut pisces, Herodot. V, 92., quem εἰνάλιον νομὸν Archiloch. Fragm. 30. p. 101. Lieb. aliique dicunt. — V. 34. ἔνθα ποτὲ βρέχε, ex sua persona narrat quid dixerit oraculum. — πόλιν, habitationes hominum s. terram, civitatem, cf. Boeckh., add. Liebel. ad Archiloch. Fragm. nr. 67. Est saepe de insulis. Erant enim iam tum tres urbes, cf. 73 sqq. — χρυσέαις νιφάδεσσι. De aurea hac pluvia celebratissima cf. locos hic apud Boeckh. et Iacobs. ad Philostr. p. 546. Vere pluisse aurum creditum haud dubie; origo tamen fabulae obscura. Quidam opulentiam insulae priscam vel ante Dorienses significari putant; Muellerus Argis rem traductam suspicatur, ubi constat Iovem in aurea pluvia descendisse. — V. 35 sqq. De Minerva e Iovis capite orta cf. Hesiod. Theog. 924. Hom. Hymn. in Apoll. 308., in Minerv. 5., et Schol. Vide praeterea quos laudat Boeckhius, quibus add. Welckerum de Aesch. Trilog. p. 277 sqq. et ad Philostr. II, 27. Sunt hae Παλλάδος γενέσεις, γοναί. — τέχναισιν, frequentat pluralem, cf. Ol. IX, 52. Pyth. III, 11. VIII, 60. — V. 36. χαλκελάτῳ, exempla vocis habet Tafel. Ceterum alii nonnulli Promethei ope Minervam editam tradiderunt, cf. Apollod. I, 3, 6. et Hemsterh. ad Lucian. Dial. Deor. 8. — V. 37. ὑπερμάχει βοᾷ, bellicoso clamore, quo coelum terramque percutiente magnifice nunc ipsa haec numina horruisse dicuntur.

V. 39—53. Succedit altera fabula de Heliadis, praeparata iam ante. — Ὑπερτονίδας, Sol. De cultu Rhodiorum solari nota omnia, cf. Fabric. ad Dion. Cass. T. I. p. 514. Iacobs. Antholog. Gr. T. VIII. p. 353. T. IX. p. 52. [et C. Fr. Hermanni Antiqq. sacr. §. 67.] — καί, tunc etiam hoc factum, quod nunc narrabo. Tali enim hic transitu opus; quare minus recte de Atheniensibus cogitares, quibus similia dicta. — V. 40. μέλλον χρέος, proxime futurum debitum s. officium ut observarent; χρέος rem appellat, quoniam praecipit eam et iniungit Heliadis ut minime omittendam. — V. 42. ἐναργέα, magnam et conspicuam. — V. 44. Affert virtutem et gaudia hominibus consilii providi, prudentiae reverentia; quod primum propter Heliadas dictum, qui hoc modo artis sollertiam impertitam acceperant et opes, tamen etiam ad viventes pertinet. Similiter, ait Pindarus, ob prudentiam et providentiam etiam postea Rhodus floruit et adhuc floret virtutibus opibusque; tamen, pergit, quum omnia humana imperfecta sint, etiam errores inviti et olim hic admissi sunt, et nunc si fiunt non mirandum. — Προμαθέος, Promethei nomen dictum interdum pro prudentia, providentia, vid. praeter Boeckh. Nott. critt. etiam Welcker. de Aeschyl. Trilogia p. 70. Unde ego maiusculam literam restitui, fere ut sunt Ἥφαιστος, Ἀφροδίτη, alia nomina pro rebus. Atque hoc convenit dignitati sententiae, quam neglexit Heynius nomen pro adiectivo habens et de quocunque prudenter monente explicans. Pyth. V, 25. Ἐπιμαθεύς est. [„Prometheum ut prudentiae principem reverentur ii qui prudentia utuntur, quocirca non est, ut cum Schoemanno ad Aesch. Prom. p. 285. προμηθέα h. l. nomen appellativum esse dicamus." Rauchenstein. Male T. Mommsen πρόμα θεός coniectavit. Nam in προμηθείᾳ vis sententiae constat. Confert Schoemannus Aesch. Prom. 86. Suppl. 681.] — V. 45. λάθας νέφος, ut Pyth. I, 7. νεφέλα de somno; ἀτέκμαρτα adverbialiter, quem usum illustrat Lobeckius ad Aiac. p. 155. — V. 46. πραγμάτων ὁδόν, Pyth. III, 103: ἀλαθείας ὁδός. Eurip. Hecub. 727: ὁδὸς βουλευμάτων, et cf. ad Ol. I, 110. Musgr. ad Soph. Ant. 1251 Wund. Ceterum sententia haec est: Oblivionis nubes circumtegit res et subducit ex animo. — V. 48. σπέρμα φλογὸς est quod σπέρμα πυρός apud Hom. Od. V, 490. — ἀνέβαν, in arcem Lindiorum. — οὗ, magna cum vi postpositum. — V. 49. ἄλσος, h. e. τέμενος, locus deo sacer, etiam

non consitus arboribus, cf. Schol. et Boeckh. Nott. critt. ad Ol. III, 17. et Blomfld. ad Aesch. Pers. v. 115. — ἐν ἀκροπόλει, scil. Lindiorum. Est enim haec Pallas Lindia, de qua cf. Boeckh. ad h. l. et Müller. Dor. T. I. p. 398. Etiam de ἀπύροις ἱεροῖς vid. locos veterum apud Boeckhium. Videntur mihi in hoc cultu victimae dissectae in ara positae esse absque igne iterumque sublatae finitis adorationis ritibus. Nam obliti erant Heliadae nihil praeter ignem; victimas igitur adduxerant, opinor. — κείνοις ὁ μὲν cett., hoc est: Illis contra dedit Iuppiter auream pluviam, Minerva manuum artificiosam sollertiam. De damno ex errore praecedente orto nihil inest; nam etiam in ceteris fabulis damnum non oritur Rhodo ex errore, sed ornamentum tantum, quae ipsa mirifica Rhodi fortuna est. — V. 50. ὧπασε, dedit iis, ut in omni arte homines vincerent. — πᾶσαν τέχναν, quum ligno, lapide, metallo uterentur, opinor. — V. 52. ἔργα κέλευθοι φέρον, viae ferebant, h. e. movebant se in viis opera imitantia vitam gressumque animantium, in quo iam veteres in Scholiis Daedali opera fabulosa compararunt et Homerica Vulcani Il. XVIII, 418. — V. 53. κλέος βαθύ, cf. Pyth. I, 66. Necesse est igitur in fabulis antiquis magna fama fuerit Heliadarum artis; tamen etiam Pindari aetate Rhodios insignes fuisse signorum elaborandorum peritia facile cum Boeckhio credimus, atque ita etiam iucundior est antiquarum rerum commemoratio. — δαέντι δὲ — τελέθει. In his σοφία ἄδολος est ars, peritia artis, quae fraude abstinet, et μείζων τελέθει significat: potior est, praefertur, ut Soph. Antig. 637: ἐμοὶ γὰρ οὐδεὶς ἀξίως ἔσται γάμος μείζων φέρεσθαι, mihi nullum merito coniugium potius erit, quod consequar. Videtur autem Pindarus, ut iudicarunt interpretes, his verbis tangere Telchines, fabulosos istos fabros Rhodios, qui primum ibi ferrum et aes tractabant, celebresque erant ante Heliadarum artem. Vide Hoeck. Creta T. I, 345 sqq. et Welcker. de Aesch. Trilog. p. 182 sqq. Qui quidem fabri quum praestigiis magicisque artibus usi videantur, ut signis suis augustiorem speciem conciliarent, contemnit has fraudes Pindarus prae Heliadarum arte. Magna fuit Heliadarum gloria, ait, et iure quidem; nam ut in omnibus rebus fraus improbanda, sic etiam in arte sciens et intelligens iudex praefert quae sine fraude facta sunt. [„Structura: Δαέντι δὲ καὶ ἄδολος σοφία" — potius ἄδολος σοφία καὶ μείζων — „μείζων τελέθει.

Vox ἄδολος quo magis differtur, eo magis extollitur. Sensus hic: Perito etiam sine dolis ars eximia fit." Heimsoeth. p. 14. Non satis recte. Aliter Welckerus l. c. p. 207. „*Nur dem unkundigen ist grofse kunst zauberei*," δαέντι δὲ καὶ μείξων οὖσα σοφία τελέθει ἄδολος. Sic iam Boeckhius: „doctus et exercitatus in aliqua arte etiamsi maiorem habet prudentiam, tamen sine fraude eam habere potest, nec debet praestigiator haberi." At verissime Dissenius et Welckerus δαέντι ad iudicium peritorum referunt, quod commendatur verbis ἦν δὲ κλέος βαθύ, namque sqq. Ceterum praestigia Telchinum tacite notari frustra negat Lobeckius Aglaoph. II, 1187. Nisi quod cavendum est, ne Telchinibus Heliadas, dolosis artificibus probos, opponi opinere. Nam uni Telchines propter artes celebrantur. Ergo τέχναν ὤπασε σφίσιν eo pertinet, quod Telchines regnantibus Heliadis excelluerunt, v. Welcker. p. 207. Ceterum cf. Muelleri Archaeol. §. 70, 4. Cum Pindari verbis commode comparant fabulam Eustath. Dionys. Perieg. 504., qui apud Rhodios multas fuisse statuas narrat, quae ne aufugerent alligandae fuerint. Addit Welckerus Libanium Vol. II. p. 480: *Πότε δὲ ἔδεισαν ἄνθρωποι περὶ τῶν ἀγαλμάτων, μὴ τοῖν ποδοῖν χρώμενα φύγῃ; Τῶν Δαιδάλου χειρῶν οὗτος ὁ φόβος ἔργον, ὃν ἐκάλυψεν ἐπιγενόμενος Φειδίας μᾶλλον ἢ Δαίδαλος τοὺς πρὸ αὐτοῦ.*]

V. 54—76. Tertia fabula, ut insula Soli data sit. — παλαιαὶ ῥήσιες, quum fabula e Rhodiorum traditione hausta esset, cf. Schol. Ceterum post laudatam artem Heliadarum bene transit ad originem eorum explicandam. — V. 58. ἔνδειξεν, admonuit, ut etiam huius sors in urnam demitteretur. — V. 60. ἁγνὸν θεόν, propter lucis puritatem, ut est ἁγνὸν φάος et πῦρ. Praeterea aliorum deorum epitheton est, cf. Liebel. ad Archil. p. 184. Ac Musarum quidem et Dianae propter virginitatem, Cereris et Proserpinae propter σεμνότητα, denique summo Iovi accommodatur, vid. Herm. ad Philoct. 1273. — V. 62. αὐξομέναν, surgentem et crescentem in altum, ut βλάστε v. 69., metaphora a plantis petita. Cogitantur enim insulae radices habere in fundo maris. — V. 63. πολύβοσκον, quum Rhodus coelum et solum felicissimum haberet. Vinum, frumentum, oleum hodieque ibi proveniunt; in nummis Ceres est, cf. Rasche IV, 1, 1028. Unde Quint. Smyrn. X, 222. πίονα γαῖαν dicit et Nonn. XIV, 47. εὔκαρπον. Praeterea etiam balsamum, fici, galli, pisces Rhodii laudantur. — V. 64. χρυσάμπυκα, apud Pindarum epitheton Musarum et Horarum. ἄμπυξ, quae fronti circumdabatur, illustratur a Boettigero Pictur. Vascul. T. I. fasc. II. p. 87. add. Heyn. ad Il. XXII, 469. Aptissime autem Lachesis adest, quum sortiantur dii. — V. 65. θεῶν ὅρκον μέγαν, non admodum errabis hic quoque intelligens notissimam formulam: Ἴστω νῦν τάδε Γαῖα καὶ Οὐρανὸς εὐρὺς ὕπερθεν, καὶ τὸ κατειβόμενον Στυγὸς ὕδωρ, ὅστε μέγιστος Ὅρκος δεινότατός τε πέλει μακάρεσσι θεοῖσιν, Hom. Hymn. Apoll. 83 sqq. Il. XV, 36. Od. V, 184. — παρφάμεν autem ὅρκον est: simulate dicere, non ex animi sententia, ut Pyth. IX, 43. λόγον παρφάμεν. cf. Boeckh. — χεῖρας ἀνατεῖναι secundum Scholia est manibus sublatis, ἐπιχειροτονίᾳ suffragari; sed gravitati loci convenientius ad iurationem verba referas. Quidni enim in illa formula pronuntianda manus sustulerit? Ceterum eximiam vim habet universi loci verbositas. — ἐᾷ κεφαλᾷ, cf. Ol. VI, 60. — V. 68. Heynius iungit τελεύτασαν πετοῖσαι, h. e. eum finem habuit iusiurandum, ut vere eveniret. Ego vertam: Exitum habuit verborum s. iurisiurandi summa, vere eveniens; in quo minime inutilia sunt verba ἐν ἀληθείᾳ πετοῖσαι, sed recte pluribus affirmat rem gravissimam. Ceterum τελευτᾶν perfici, ut Aesch. Choeph. 523. et ἐν ἀληθείᾳ ut ἐν δίκᾳ. — πετοῖσαι, proprie a tesseris ducta translatione, ut notissimum; cf. Ol. XII, 10. Alia vid. apud Tafel. ad h. l. et ad Tibull. I, 6, 85. — βλάστε, de Rhodo ex mari enata vid. Meurs. Rhod. I, 2., de Heliadis Creuzer. ad Cic. d. N. D. III, 21. et Boeckh. h. l. cum Scholiis. — V. 72 sqq. σοφώτατα — ἐπὶ προτέρων ἀνδρῶν, cf. Matth. Gr. §. 584. a. β. — ὧν εἷς, Cercaphus. πρεσβύτατον addit honoris causa, quum Ialysi canatur carmen. — διὰ — δασσάμενοι iunge. — ἀπάτερθε, seorsim quisque sibi habebant partem urbium ab ipsis conditarum. Ceterum Boeckhius notat divisionem Heliadis tributam proprie Doriam esse; hi enim τριχάϊκες et in potissimis rebus tripartitam divisionem sequuti sunt. — κέκληνται, h. e. ipsorum nominibus vocantur iis sedes, h. e. in eorum honorem.

V. 77—ad finem. Redit ad Diagoram, eius victorias ceteraque supra dicta persequitur. — τόθι, in Rhodo. — συμφορᾶς οἰκτρᾶς, aerumnarum ex illo tristi casu. Repetita res magna cum vi, ut mihi quidem videtur, non sine respectu ad Diagoram. — λύτρον, compen-

satio. — V. 78. *Τιρυνθίων ἀρχαγέτᾳ*, duci et conditori coloniae Tirynthiae, cf. de voce Heindorf. ad Platon. Lys. p. 9. Ephor. ap. Strabon. VIII. p. 562. Sed cur hoc addidit Pindarus? Ut ratio pateret sequentium. Cf. Herod. VI, 38. de Miltiade mortuo: *καί οἱ τελευτήσαντι Χερσονησῖται θύουσιν, ὡς νόμος οἰκιστῇ, καὶ ἀγῶνα ἱππικόν τε καὶ γυμνικὸν ἐπιστᾶσι.* Add. Thucyd. V, 11. Ac vulgo pro heroibus colebantur *οἰκισταί*, Tlepolemus vero etiam pro deo. — *ἵστανται*, instituuntur, habentur in eius honorem Tlepolemia, s. fit, *γίγνεται*, sacrificium sollemne et ludorum concertatio; cf. de his ludis Scholia et Boeckh. [Adde Hermanni Antiqq. Sacr. §. 67, 6.] Post Heraclidarum deminutionem etiam Tlepolemi honos minutus festumque Soli dedicatum videtur. — V. 80 sqq. *νισάεσσα πομπὰ* est nidorosum sacrificium ovium in pompa ductarum. *κρίσις ἀμφ' ἀέθλοις*, pro certaminibus, cf. Nem. X, 23. Praemium fuit *λευκίνος στέφανος*, cf. Schol. 147., quare *ἄνθεσι* est pro coronis simpliciter. — In sequentibus attendes ad artem in enumeratione tot victoriarum collocatam. — *εὐτυχέων*, vincens. — *ἄλλαν ἐπ' ἄλλᾳ*, sc. *εὐτυχέων*, duas geminatas victorias nulla interiecta Nemeade (cf. Schol.) consequutus, *ἐστεφανώσατο*. De ellipsi vocis *νίκη* cf. Lambert. Bos. p. 320. Schaef. — *καὶ — ἐν Ἀθάναις*, repete: *ἄλλαν ἐπ' ἄλλᾳ*, ne, si unam tantum Atheniensem ponas, minus laudetur post maius. Epitheton *κρανααῖς* sollemne, Ol. XIII, 38. N. VIII, 11. Talia epitheta dignitatem habent ex antiquitate et epico usu. Ludos, qui hic habebantur, bene indicat Scholiastes v. 151., coll. Boeckh. not.; sed in quibus Diagoras vicerit, non constat. — V. 83 sqq. *ὅ τ' ἐν Ἄργει χαλκὸς ἔγνω μιν*, h. e. clypeus aheneus Argis in Heraeis praemium dari solitus novit eum, cf. Schol. ad Ol. XIII, 148. et de ludis Schol. Ol. IX, 132. et Nem. X. init. Ceterum vid. doctam Boeckhii notam. Tafel clypeo nomina victorum inscripta censet coniectans, non probans. Denique ad *ἔγνω* cf. Ol. VI, 97. — *τά τ' ἐν Ἀρκαδίᾳ ἔργα καὶ Θήβαις*, noli vertere: facta, quae in Arcadia et Thebis sunt pr. ludis ibi habitis; hoc enim ita dici vix potest, licet in aliis loquutionibus *ἔργον* pro contentione, certamine recte dicatur. Accedit aliud argumentum ex collocatione verborum. Si enim *ἔργα* certamina essent, non potuisset in sequentibus vox *ἀγῶνες* primo loco poni, sed dicendum erat: *καὶ Βοιώτιοι ἀγῶνες*. Nunc autem si *ἔργα* post clypeum memoratum cum Boeckhio interpretaris de aliis artis operibus s. praemiis, quales sunt lebetes, tripodes, crateres, vides primum recte dici *ὅ τ' ἐν Ἄργει χαλκὸς τά τ' ἐν Ἀρκαδίᾳ ἔργα*, quia, quum in utroque commate praemia significentur, oppositio hic in locis tantum est; tum in sequentibus recte *ἀγῶνες* opponuntur *ἔργοις*, quoniam nunc etiam hae notiones differunt, non loca tantum. Sed ad collocationes verborum saepe video non satis attendere viros doctos. Ac *χαλκόν*, vasa ahenea, etiam in Arcadia data, ubi Lycaea, Aleaea, Coreia, Hermaea agebantur, ipse Pindarus ostendit Nem. X, 45 sqq. Thebis vero in Iolaiis s. Heracleis tripus aheneus propositus, cf. Schol. et vid. Boeckhium uberrime haec omnia tractantem. — *ἔννομοι*, legitimi et ordinarii qui dicuntur Boeotorum ludi recensentur a Boeckhio hi: Thespiis Erotidia, Plataeis Eleutheria, Oropi Amphiaraia, apud Delium Delia. — V. 86. *Πέλλανα*, Achaicum oppidum; de ludis cf. ad Ol. IX, 104. — *Αἰγίνᾳ τε νικῶν θ' ἑξάκις*, sc. *οἱ ἀγῶνες ἔγνωσάν νιν*. Nam etiam *Πέλλανα* dicta fere est pro ludis Pellanensibus. Ceterum Aeginetarum ludi sunt Aeacea, Delphinia, Heraea. — *ἐν Μεγάροισιν*. Ludi Megarici sunt Dioclea, Pythia, Nemea, Alcathoea. — Porro Megaris, ut in aliis locis multis, victorum nomina columellae, *στήλῃ*, inscribebantur ex decreto iudicum, cf. Schol. et Boeckh., add. Müller. Dor. I. p. 130. Non est autem verisimile Diagoram Megaris semel tantum vicisse, aut post sex Aegineticas unam Megarensem victoriam laudari. Quare presse verto: Megaris autem habetur inscriptio eundem numerum victoriarum offerens. Pausan. VI, 13, 1: *Ἀνάκειται δὲ ἐν τῇ Ὀλυμπίᾳ καὶ στήλη λέγουσα τοῦ Λακεδαιμονίου Χιόνιδος τὰς νίκας*. Est igitur *λιθίνα ψᾶφος* hic inscriptio columellae, decretas de sententia iudicum singulas victorias Diagorae testans. — *Ἀταβυρίου*, montis Rhodii, in quo colebatur Iuppiter. Strab. XIV, 968, a. E Rhodo nomen cultusque etiam in Siciliam translatum. Vid. Boeckh. h. l. et quae Müllerus habet Dor. I, 398. Aptissime autem nunc invocatur Iuppiter, idem Olympiorum rector et Heraclidarum parens Atabyriusque. — *τίμα μὲν — τέ*, cf. Ol. V, 10. — *ὕμνον τεθμόν*, h. e. hymnum sollemni more institutoque tibi oblatum. *τέθμιον* enim est, ut Iovi gratiae habeantur pro victoriis, quas dedit, et hymni dedicentur epinicii. — V. 89 sqq. *ἀρετάν*, gloriam virtutis, Ol. VIII, 5., cf., si tanti est, laudata ab Herm. ad Soph. Philoct. 1406. — *εὑρόντα*, Pyth. II, 64., et medium Pyth. I, 48. — V. 91. *εὐθυπορεῖ*, recta, nec deflectens, strenue

tenet viam insolentiae oppositam. — σάφα δαείς cett. In his ἐξέχραον pro oracula ediderunt, admonuerunt, non satis Graeca in tali re dictio videtur. Praefero quod etiam Gurlittus indicavit: Probe sciens et observans, quae ei recta mens ex patribus bonis (orta) impertiit. Est igitur Diagoras ἀγαθὸς ἐξ ἀγαθῶν, cf. Pyth. VIII, 45. Verbum χράω pro dare, impertire, habet Herodotus, cf. VII, 38. et Schweigh. Lexic. Add. Buttm. Gr. Gr. ampl. T. II. p. 257. (327. Lob.). — V. 92 sq. κοινὸν σπέρμ' ἀπὸ Καλλιάνακτος, familiam Callianactis, unde Demagetus necesse est originem traxerit. κοινὸν vero addit, ne unum Diagoram intelligas. — μὴ κρύπτε, ne perde, ait Herm. ad Soph. Oed. Col. v. 284., quemadmodum etiam Heynius explicat, cf. Hom. Il. XVIII, 397. Boeckhius autem vertit: obscurare et minuere detrahendis honoribus. — Ἐρατιδᾶν τοι cett. In Eratidarum enim laetis festis convivia habet etiam urbs, h. e. neque enim urbs res suas ab Eratidarum rebus seiungit. Noli igitur committere, ut felix haec coniunctio dissolvatur. — ἔχει θαλίας, vid. Valcken. ad Herod. VIII, 99. et Liebel. ad Archiloch. p. 138. — V. 95. διαιθύσσοισιν, agitantur, discursant. Verbum αἰθύσσειν cum compositis omnino de celerrimo motu dicitur, transitive et intransitive, quum propria significatio ad radios et scintillas diffusas pertineat. Varios usus Tafel illustrat exemplis multis appositis. — μιᾷ, una eademque, Ol. IX, 85. XIII, 37. — αὖραι pertinent ad fortunae vicissitudines. Pyth. III, 104. Isthm. III, 23. Sed lubricae sunt res humanae. In quo, ut saepe alias, non directe loquitur, sed per metaphoram, quod lenius, cf. Ol. VI, 101. — Ceterum qui nonnisi ad ultima haec verba attenderit credat simplicem inesse modestiae admonitionem talem, quales saepe breves sunt in exitu carminum, etiam ubi nulla certa pericula instant; sed nunc plura similia coniuncta habes: Ne perde familiam Callianactis, amati sunt a civibus, verum alio tempore sunt alii venti. Haec igitur in uno loco posita qui consideraverit, si pondera orationis Pindaricae sentire didicit, vix dubitabit fuisse pericula familiae futura, quae poetam moverent.

CARMEN OLYMPICUM OCTAVUM.

INTRODUCTIO.

Victoria haec reportata est Ol. 80. ab Alcimedonte, puero Aegineta, e nobili gente Blepsiadarum. Carmen cantatum Olympiae statim post victoriam, quum pompa duceretur, ut moris erat, in Altin ad Iovis aram, cf. ad Ol. IV. — Post prooemium de fausto oraculo accepto poeta statim ad victoriam Alcimedontis transit. Alcimedon, ait, pulcro certamine luctae victor proclamari iussit Aeginae nomen, quae exin disertius laudatur ex iustitia adversus advenas et ex bellica Aeacidarum fortitudine, Aeaco quondam ante Troiam praedicta. Tum pergit ad Melesiae magistri laudem, quum moris sit, in carminibus pueris dedicatis ut etiam magistri honoris causa nominentur, quod, si cursores exceperis, raro omittitur, ut Ol. X. et N. VII. factum. Ac Melesiae quidem haec Alcimedontis discipuli victoria tricesima erat. Post haec Pindarus ad ipsum victorem redit, qui, tali magistro dignus, ἔφεδρος quattuor victores deiecit; meminit deinde avi laeta re denuo roborati et gentis nunc sexta victoria ornatae, denique etiam ad patrem patruumque defunctos suavem nuntium deferri dicit, ut solet patris quoque et avi mentio in talibus carminibus fieri. — Singulis commemoratis, ut nexum interiorem explicemus, primo loco illud notandum est, redire omnia in hoc carmine ad laudatam coniunctionem summarum virtutum, pietatis iustitiaeque dico cum fortitudine. Similiter in aliis carminibus iustitiam et fortitudinem, modestiam et fortitudinem, prudentiam et fortitudinem, musicas et bellicas artes proponit coniunctas, nec quidquam pulcrius tali virtutum societate, tali laude viri vel civitatis. Iam quod fundamentum carminis esse dixi, paucis demonstrabo. Igitur quum faustum oraculum tulisset Alcimedon e sacrificio, quod Iovi pro eo oblatum erat ante certamen, primum hac re scite in prooemio utitur sic, ut pietati hoc a deo datum significet. Fortitudinis autem laudem illustrat ipsam victoriam praeclaram pueri laudans, qui quattuor victores deiecit ἔφεδρος, et patriam, magistrum, gentem cognatosque pariter ornavit, quae in ultima parte carminis exponuntur. Restat, ut de medio carmine dicam. Scilicet privatas civium virtutes Pindarus

non semel cum publica urbis laude componit, ut peculiaria ad generaliorem formam revocentur propositaque ampliore civitatis imagine illustrentur minores singulorum virtutes. Hoc etiam nunc facit. Praedicatur igitur in medio carmine iustitia Aeginae insulae, ut pietatem Alcimedontis familiae significaverat in prooemio (pietatem et iustitiam constat apud veteres cognatas esse virtutes), tum Aeacidarum monstratur fortitudo bellica, ut Alcimedontis luctatoris gymnicam fortitudinem dixi in fine laudari; in quo etiam illud pulcherrime excogitatum est a Pindaro, quod, quum Alcimedontis avo victoria nepotis praedicta esset oraculo Iovis, similiter Aeacidarum victorias Aeaco nuntiatas narrat fausto ad Troiam omine. Atque ita compositionem carminis vides suavissimam, revocatis Alcimedontis gentisque virtutibus ad illustriorem universae insulae laudem, quemadmodum, ut carmen antecedens comparem, Diagorae privatas res ibi revocatas vidimus ad generale Rhodi fatum. Postremo si reputaveris publice haec cantata in Olympico conventu, quo tempore iam oriri videbantur pericula interitum insulae praeclarae minantia, etiam sic carmen prudenter adornatum senties, nec addi cupies, nisi quod ipse poeta addit in fine: Iuppiter avertat fortunae invidiam et augeat hanc familiam et civitatem.

[Alcimedontis victoriam poeta revocat eo, ut ab omni tempore singularem quandam benevolentiam quum reliquorum deorum tum Iovis conspici et in gentis Blepsiadarum et in universae insulae fortuna doceat. Quae carminis summa sententia est, unde omnia pendent. Nam, ut Rauchensteinii verba ponam II, 31., Iuppiter Blepsiadis deus gentilicius est, v. 15., Iuppiter utrique fratri dedit victoriam, v. 14 sqq. 83., Iovis oraculum Olympicum Alcimedonti victoriam promiserat, v. 3. Dii sanxerunt, ut insula peregrinis esset velut arx quaedam et munimentum iustitiae et hospitalitatis, v. 25 sqq. Diis et Iovi inprimis commendatur Doricae insulae salus, v. 28 et 86 sqq. In insula regnavit olim Aeacus, Iovis filius, qui dignus habitus est ab Apolline et Neptuno, quem socium assumerent moenibus Troiae exstruendis, cui etiam futura filiorum ac nepotum in Troiae expugnatione fortitudo et gloria ex Iovis portento ab Apolline praediceretur, v. 30 sqq. Apparet, quam omnia ad commendandam sanctissimam insulam iam tum periclitantem conspirent.]

EXPLICATIO.

V. 1—14. Prooemium. Dedicatur carmen Olympiae. — Constructio est plane ut Ol. IV. init., iterata et absoluta invocatione in secundo membro: *Μᾶτερ ὦ χρυσοστεφάνων* (de quo v. ad Ol. X, 13.) *ἀέθλων Ὀλυμπία — ἀλλ' ὦ Πίσας εὔδενδρον ἄλσος — δέξαι*, mater ludorum Olympia, te alloquor, age Pisae nemus — accipe. Porro vides carmen cantatum esse Olympiae, non in Aegina. — *μᾶτερ ἀέθλων*, h. e. regio, ubi fiunt certamina et victores coronis donantur, cf. Mureti Varr. Lectt. XVII, 2. Seidl. ad Eurip. Troad. 226. — *χρυσοστεφάνων*, cf. ad Ol. X, 11. — *δέσποιν' ἀλαθείας*, domina oraculi s. veritatis oraculo patefaciendae. Propria vox *τὸ ἀληθές*, *ἡ ἀλήθεια* de iis, quae vere fient aut evenient, vaticinatione et oraculis cognoscendis, cf. Soph. Oed. R. 300. Add. Merrik. et Wernick. ad Tryphiod. v. 641. Aliis in locis est de vero eventu dictorum, cf. Müller. Dor. I. p. 336. — *μάντιες ἄνδρες* sunt Iamidae, Clytiadae, Telliadae, de quibus dixit Müller. Dor. I. p. 253. Quum enim hi omnes Olympiae vaticinati sint, vaticinatio autem Olympica cum Iovis religione, non aliorum deorum, coniuncta fuisse videatur, Müllerus censet etiam Clytiadas et Telliadas in Iovis ara oracula edidisse. Nempe multi erant ludorum tempore sacrificantes, quorum alius alium istorum vatum adhibebat. — V. 3. *ἐμπύροις*, sacrificiis flammaque incensarum hostiarum; cf. Boeckh. add. Aesch. Prom. 502 sqq. cum nott. Blomfld. et Valcken. ad Phoeniss. 1261. [Adde Hermann. Antiqq. Sacr. §. 38, 20.] Poeta pro vulgari formula *δι' ἐμπύρων* adscivit participium *τιμαιρόμενοι*. — *παραπειρῶνται Διός*, Xenoph. Memor. I, 4, 18: *τῶν θεῶν πεῖραν λαμβάνεις θεραπεύων, εἴ τί σοι θελήσουσι περὶ τῶν ἀδήλων ἀνθρώποις συμβουλεύειν.* — *εἴ τιν' ἔχει λόγον*, non est: si rationem habeat, a qua significatione formulae abest *περί*, sed: si quid dicendum, nuntiandum habeat de iis, qui victoriam expetunt, h. e. si quod oraculum faustum iis edere velit. — Mox iunge *μαιομένων θυμῷ*, et *ἀρετὰν λαβεῖν* verte laudem victoriae reportare, ut Ol. VII, 89. — *ἀμπνοάν*, de laetitia victoris compensatrice laborum. — V. 8. *ἄνεται δὲ* cett. Sensus: Ratae autem fiunt preces in gratiam pietatis

virorum precantium, non vatum, opinor, a quorum piis precibus si res penderet, omnes vincerent, sed τῶν μαιομένων ἀρετὰν λαβεῖν. Hi enim, opinor, adhibito popa sacrificant et adstant precantes victoriam omenque bonum. Vates autem non ipsum sacrificium peragit, sed hostias cremantes inspicit et oraculum edit; fere ut Hom. Il. II, 305 sqq. Graeci sacrificant, Calchas autem praesens est ad vaticinandum, nisi quod ibi extraordinaria res accidit, ex qua deinde vaticinatur. — De verbo ἄνομαι cf. Blomfld. ad Aesch. Choeph. 786. Explicabis: Perficitur res rogata et conceditur a deo precibus in gratiam pietatis virorum, nisi potius impersonaliter dictum est ἄνεται λιταῖς pro fit perfectio precibus, ἀνύονται λιταί, audiuntur. [Hoc unum verum.] — πρὸς χάριν, cf. Herm. ad Vig. 865. — Ceterum licet oratio prooemii generalis sit, tamen vere monet Boeckhius omnia dicta esse propter Alcimedontem, ut solet Pindarus ubique talia accommodare praesentibus rebus et personis, cf. ad prooemium Ol. VII. Sacrificabant autem pro puero in tali tempore parentes vel tutores, ut par erat; nunc autem, quum mortuus esset pater, avus, credo, sacrificaverat, praesente tamen Alcimedonte. Atque horum pietati oraculum datum. Fuisse autem avum praesentem colligo e vers. 78. et ex fabula de Acaco. Porro tale oraculum haud dubie etiam alii multi victores tulerant, ais, neque tamen huius rei vestigia apparent in his carminibus. Sed quid hoc ad rem? Est haec profunditas ingenii Pindarici, ut non opus habeat saepe uti iisdem. Valde autem aptum tale exordium videtur in carmine Olympiae canendo, ubi simul laus Olympiae requirebatur. Ac quum Olympia multis modis laudari posset, commode elegit nunc hanc rem, quae etiam ceteris rationibus carminis apta esset. Ceterum aliud omen memoratum notavimus Ol. IV. initio, quod carmen similiter Olympiae cantatum. Iam universo prooemio sententia subest haec: Olympia, domina veritatis, ubi Alcimedon faustum oraculum tulit piis precibus concessum, accipe comissationem gratiarum causa tibi consecratam. Atque haec mutavit in formam generalem. Quare ab interiore rerum nexu aberrant qui ἀλάθειαν v. 2. ad ἀγνὰν κρίσιν Hellanodicarum referunt et cum primo versu iungunt. — V. 10. στεφαναφορίαν. Nempe victor coronam oleagineam in capite gerens petit Iovis aram, ostensurus eam deo et gratias acturus. Simul ceteri comitantes coronati sunt. στεφανηφόρος significat eum, qui gerit coronam et qui reportat; similiter στεφανηφορία duplicem significationem habet, cf. Eurip. Herc. fur. 781. et Electr. 862. — V. 12 sqq. Non ad minuendam laudem Olympicae victoriae haec pertinent, quod absonum esset. Sensus: Alia enim alii bona contingunt multaeque sunt viae felicitatis, quarum rerum etiam tuum donum unum est idque non ultimum. Nempe et Olympicam victoriam laudat et non contemnit alios modos. Hoc autem ita facit propter Timosthenem.

V. 15—20. Orditur victoris laudem, infra demum absolvendam. — Timosthenes, frater haud dubie natu maior, quum prius vicisset Nemeae, honoris causa memoratur. Sic Isthm. V. Phylacidas non sine Pythea maiore fratre laudatur. Atque hoc loco quod non Alcimedontem, sed Timosthenem alloquitur, ob eandem aetatis rationem factum. — ἐκλάρωσεν, vos sors fortunae genitalis attribuit Iovi gentilicio. Colebat igitur gens Iovem ut auctorem et patronum suum. Comparat Boeckh. Pyth. IV, 167. Vid. plura infr. ad v. 30. — V. 16. Quum et Olympiae et Nemeae Iuppiter ludos regeret, commode poeta hac re utitur. [Non fuit, cur de forma πρόφατον, h. e. πρόφαντον, dubitaretur. Nam ut ἀμφάδην et ἀναφανδόν dicitur, illud ab ipsa radice φα, hoc a concreto φαίνω, ita πρόφατος et πρόφαντος. Confer Lobeck. Ῥηματικ. p. 9. not. 13.] — V. 19. καλός, saepe puerorum et iuvenum laus, Ol. IX, 94. XI, 103. — κατὰ εἶδος ἐλέγχων, ut Tyrtaeus I, 9: κατὰ δ' ἀγλαὸν εἶδος ἐλέγχει. Similia Nem. III, 19. Isthm. IV, 22. Scholia afferunt Odyss. ρ, 454. [Cfr. Simonidis Epigr. CCVI, 1 sqq.: Γνῶθι Θεύγνητον προσιδὼν τὸν Ὀλυμπιονίκαν παῖδα, κἀλλιστον μὲν ἰδεῖν, ἀθλεῖν δ' οὐ χείρονα μορφᾶς, quocum cfr. titulum sepulcralem L. Corn. Scipionis: Quoius forma virtutei parisuma fuit. Aesch. Pers. 27: φοβερὸι μὲν ἰδεῖν, δεινοὶ δὲ μάχην. et vide Isthm. VI, 29.] — V. 20. ἐξένεπε, h. e. et digno certamine victor honoravit patriam, proclamari iubens eius nomen, cf. Ol. V, 8. Pyth. I, 31, 2. Ceterum de forma verbi vid. Herm. ad Soph. Oed. R. 330. — δολιχήρετμον, nauticam, Hom. Od. VIII, 191.

V. 21—52. Tractantur Aeginae laudes ex iustitia et fortitudine petitae. Ac primum quidem laudat iustitiam usque ad v. 30. Fuit Aegina opportunitate situs et industria civium florentissima commercio; atque ut ipsi Graeciae portus et oppida cum mercibus suis frequentabant, ita suam urbem emporium fecerant, ubi inquilini et mercatores omnis generis re-

cepti, et aequum promptumque ius in litibus mercatoriis redditum. Simul singulae gentes hospitalitate conspicuae erant. Vid. Müller. Aeginet. p. 74 sqq. Hinc Pindarus plus semel hanc laudem attingit, ut Nem. IV, 12., nusquam tamen disertius quam in hoc carmine, quod quum non in Aegina, sed apud exteros in maxima frequentia Graeciae caneretur, nihil potuit ad commendationem insulae reperiri accommodatius. — V. 21. Ζεὺς ξένιος, in cuius tutela hospites et omne ius circa advenas, unde assidet ei Θέμις. Hanc cum Iove nominat Homer. Od. II, 68., ubi de concionibus agitur; nunc lites mercatorias cum Iove ordinat. Eadem fere loquutio redit Nem. XI, 8., ubi tamen alius sensus. Ceterum comparant Δίκην πάρεδρον Iovis, de qua vid. interprett. ad Soph. Oedip. Colon. 1384. Iunge vero hic Σώτειρα Θέμις, Διὸς ξενίου πάρεδρος. Est Σώτειρα ut Ol. IX, 15. Εὐνομία, Ol. XII, 2. Τύχα, et alibi Ceres, Proserpina, Minerva; cf. interprett. ad Aristoph. Ran. v. 380. Additur a Boeckhio Ἄρτεμις apud Syracusios, et Ζεύς, Νεῖλος Σωτήρ. — V. 22. ἀσκεῖται, h. e. exercetur, confusa aptissime deae et virtutis notione. Ac proprium ἀσκεῖν de virtutibus et vitiis, cf. Blomfld. ad Aesch. Prom. 1102. — V. 23. ἔξοχ' ἀνθρώπων, maxime inter homines, cf. Heindorf. ad Plat. Lys. p. 23., Ast. Animadv. ad Plat. Legg. p. 24. — ὅ τι γὰρ πολὺ cett., quod enim multiplex est (πολύ, ποικίλον, cf. v. c. Plat. Sympos. p. 205. B.) et multifariam inclinat, quales sunt causae mercatoriae. Ipsum mercaturae et cauponariae nomen non nominat, quippe non aptum lyrico carmini; scite tamen per metaphoram lancium, alias aliter inclinantium, similem naturam harum litium indicat, quae plerumque non simplices sunt et varia habent momenta iudicandi. Potest comparari ἀστάθμητον, ὧδε κἀκεῖ ῥέπον, cf. Stephan. Thes. — V. 24. μὴ παρὰ καιρόν, non inscite, sed convenienter. — V. 25. τεθμὸς δέ τις ἀθανάτων cett. Ista diiudicare, ait, difficile est, sed decretum aliquod deorum etiam hanc insulam insigne columen et praesidium omnigenis advenis constituit. — καί me iudice poeta necessario adiecit, quum haec Olympiae canerentur, quae, licet alio modo, et ipsa est δαιμονία κίων παντοδαποῖσι ξένοις, universae Graeciae cives sacro luco suo excipiens securos ἐκεχειρίᾳ et tutela deorum. — ἁλιερκέα, vulgare epitheton regionum maritimarum, cf. Tafel. — V. 28. ὁ δ' ἐπαντέλλων — κάμοι, futurum tempus hoc agere nolit cessare, ut etiam in posterum sit κίων. Sunt verba poetae solliciti. Insula

triennio post ab Atheniensibus capta. — V. 30 sqq. Transit ad alteram laudem ex Aeacidis. — Δωριεῖ λαῷ — Αἰακοῦ. De miro hoc loco mea sententia haec est: Quum Doricum nomen illustre sit, cf. Nem. III, 3. V, 57. Isthm. II, 15. VII, 64., non dubito sensum esse: Quae illustri Doriensium populo ab antiquissima memoria, inde ab Aeaco, gubernata est. Sed quomodo Aeacus, Myrmidonum rex, fuit Doriensis? Mihi Pindarus ex Aeginetarum sententia loqui videtur. Etenim Dorienses constat Achaeos heroes passim pro suis adscivisse, ut, pauci quum essent, etiam sic magis firmarent imperium suum. Herculem Tirynthium confuderunt cum suis fabulis; Tyndaridas Achaeos pro Doriensibus habuerunt Spartani; Aeginetae autem quantopere coluerint Aeacum et Aeacidas, ex toto Pindaro patet. Atque Aeginam quidem olim occupaverant Hellenes Myrmidones, Hellenii Iovis conditores (Müller. Aeginet. p. 18 sqq.); et quanquam Aeacidae discesserant iterum, Aeacus tamen cum parte Myrmidonum remanserat ex Aeginetarum traditione, et sepultus habebatur in Aeaceo, cf. Pausan. II, 62, 6. Manserat sic etiam cultus Iovis Hellenii et Aeaci gentis. Iam quum Dorienses Peloponnesum ingressi et ipsi Hellenicum nomen prae se ferrent et primi ceterorum Graecorum historico tempore se dicerent et haberentur Hellenes, certe non est mirum, si hi, qui cum Triacone in Aeginam descenderant, nominis opportunitate usi, non diversos a se dicerent prima origine mythicos Aeginae Hellenes et Iovem Hellenium patrium etiam sibi deum. Nam etiam Herculis et Telamonis amicitia (Isthm. V.) inventa postea videtur eodem consilio. Quum autem deinde Dorica instituta per totam insulam propagata essent, quum veteres incolae, licet in quartam tribum, ut videtur, recepti (Müller. Dor. II, 77.), magis magisque cum Doriensibus coaluissent et vetera discrimina fere oblitterata essent in insula tota mercaturae dedita, tum vero sine controversia dici et credi potuit in Aegina Doricum populum ab Aeaco ibi fuisse et Aeacum ipsum Doriensem. Atque ita Pindarus his utitur, manifesto commendans, ut dixi, in hoc carmine Aeginam Graecorum studiis. Denique ad Blepsiadas ut veniam, qui Iovem γενέθλιον coluerunt, simplicissimum sit dicere eos Heraclidas fuisse, ut fuerunt Bassidae (Nem. VI.). Boeckhius vero eos ab Aeaco censet originem repetiise; sic ex tribu veterum incolarum fuerunt, quorum sane quaedam gentes illustriores erant, ut Budidae (Müll. Aegin. p. 140.), ac fieri potuit, ut ex his gentibus non-

nullae Aeaci posteros quosdam fabulosos, qui post Aeacum ibi regnassent, pro auctoribus suis ferrent. Utrum praeferas, ad sequentem fabulam explicandam nihil interest, quantum video. Etenim cur posuit hanc fabulam Pindarus? Celebrantur, ait Tafelius, primordia Aeginae; sane, sed quum omnino multis modis hoc fieri posset, v. c. sic, ut factum Nem. VIII., cur nunc hanc maxime rem elegit? Ac primum quidem facile patet bellicam Aeacidarum fortitudinem memorari propter praesentem Alcimedontis victoriam, ut per totum Pindarum luctatores, pugiles, pancratiastae bellica heroum virtute illustrantur. Sed ne hoc quidem sufficit. Cur enim non tam exponuntur haec facta quam praedicuntur ex omine? Sagaciter vero Boeckhius meus perspexit huius rei causam. Nempe ut nunc Alcimedontis avo (avum dico, suadente, ut vides, ipsa concinnitate comparationis) oraculo Iovis praedicta est eximii pueri victoria, sic olim ipsius insulae rex Aeacus in maiori re omen a Iove accepit futurae filiorum fortitudinis. Qua ratione nihil certius et Pindaro dignius. Sed simul inde perspicitur opus non esse, ut Blepsiadas ab Aeaco descendisse statuamus, quemadmodum etiam Isthm. V. in re non absimili nulla cognatio est nec desideratur. Ceterum fabulam de Aeaco Scholiastes notat ante Pindarum non tractatam; quare ex domestica traditione Aeginetarum eam vides acceptam. — V. 32. *στέφανον*, h. e. murum, cf. Pyth. II, 58. — *ἐπί* iunge cum *τεῦξαι*. Ceterum de Apolline et Neptuno muri Troiani conditoribus vid. Hom. Il. VII, 453. ibiq. Heyn. et ad Apollod. II, 5, 9. Euphorio fr. 58. *Ἦ μὲν δὴ Φοῖβός τε Ποσειδάων τ' ἐκάλεσσαν Αἰακόν, οὐκ ἀβοηθὶ πόλιος κρήδεμνα δέμοντες.* — *νιν* Boeckhius monet ad *στέφανον* referri, quum *τεῖχος* quoque flamma vastatum sit, collat. Fragm. 81. Ac non potuisset capi, nisi pars a mortali facta esset. — V. 36. *λάβρον*, Pyth. III, 40. Blomfld. ad Aesch. Pers. 114. — *ἀμπνεῦσαι*, de aorist. post *πεπρωμένον ἦν* cf. Iacobs. ad Anthol. Pal. p. 802. Lobeck. Phryn. p. 745 sqq. — V. 37. *γλαυκοὶ δὲ δράκοντες — οἱ δύο μὲν* cett., schema Homericum quod dicitur in prosa et poesi usurpatum, ubi aptum. Cf. Hom. Il. V, 27. XVI, 317. ibique Eustath., Od. VII, 103. ibiq. Schol. et Apollon. Dyscol. de Constr. p. 35. Thucyd. saepe, ut I, 89. Plat. Theaetet. p. 150. D., cf. Matth. Gr. §. 319. Rost. Gr. p. 484. ed. sext. — V. 38. *πύργον*, murum, Eurip. Hec. 1209. — *αὖθι*, statim in loco sunt mortui. — *ἀτυζομένῳ*, attoniti. — *ψυχάς*, cf. Nem. I, 47. — V. 40.

βοάσαις, ut victor. — Ceterum tres dracones sunt propter tres conditores muri, qui tribus nunc locis tentatur. Ac duae quidem partes divinae sunt, quare hinc decidunt bestiae; tertia pars ab Aeaco facta ascenditur, ac per hanc Troia bis capietur. Cave vero hoc in opprobrium Aeaco vertas, quod mortalis mortale opus fecit. Potius honorificum, quod, quum Troiae excidium in fatis esset, ipse socius assumitur deorum et quod non a quibusvis, sed a suis ipsius filiis fortissimis murus expugnabitur. — V. 41. *ἔννεπε δ' ἀντίον*, statim dixit coram, Hom. Od. XVII, 529. [Scholia: *ἀντίον τέρας, ἐναντίον, ἐχθρόν, οὐ δεξιόν. Ἄλλως· οὐχ ὑπερέθετο στοχάζεσθαι, ἀλλ' ἐξεναντίας ὁρῶν ἔτι εἶπεν.* Prius sequitur Boeckhius.] — *ὁρμαίνων*, animo volvens prodigium. — V. 42. *ἀμφὶ τεαῖς χερὸς ἐργασίαις*, qua parte tu moenia exstruxisti. Iungendum vero arcte *χερὸς ἐργασίαις*, ut vides, quasi una notione, cf. Lobeck. ad Soph. Aiac. v. 809., Matth. et Herm. ad Eurip. Ion. 1352. — Ceterum eximie Boeckhius notat Il. VI, 431 sqq. hanc ipsam muri partem significari, ibiq. Heyn. — *ἁλίσκεται*, de eo, quod in prodigio expressum praesens ante oculos videt; at postea futuro utitur *ἅρξεται*, nam haec accuratiora addit ex mente sua, quum in ipso prodigio nihil nisi expugnatio muri repraesentetur. Ceterum praesens propheticum habes Pyth. IV, 49. Herod. VII, 140. in oraculo. Aristoph. Equitt. 177. Thuc. I, 121, 3. Add. Matth. Gr. §. 504, 3. Wellauer. Aesch. Ag. 125. — V. 43 sq. *πεμφθέν*, non omissa est praepositio, quum genitivus per se indicet, unde quid fiat, cfr. Buttmann. et Hermann. ad Soph. Phil. 3. et Nem. III, 52: *λεγόμενον προτέρων*. — Ceterum vere notat Boeckhius consulto hoc comma positum esse a poeta, ut Iuppiter, et Aeacidis et Blepsiadis genitalis, etiam oraculi utriusque auctor significetur. Sunt hae concinnitates vere Pindaricae, quas non negligere debet qui poetae rationem in fabularum usu assequi cupit. — V. 45. *οὐκ ἄτερ* cett., Pyth. V, 71. — *ἅρξεται*, parebit, veluti *ἄρξονται* passivum est Aesch. Pers. 591.; cf. de his formis Monk. ad Eurip. Hippol. v. 1458. Buttm. Gr. max. II, 86 sqq. Lobeck. Rost. Gr. §. 114. annot. 1. — *πρώτοις*, Telamoni maxime, cf. Isthm. V, 26 sqq. Nem. III, 35. IV, 25., et fortasse etiam Peleo, qui saltem Fragm. incert. 55. additur socius Herculi. Add. Schol. ad h. l. — *τετράτοις*, Neoptolemo, cui adiiciunt Epeum, Phoci nepotem. Quanquam omnino pluralem hic debuit praeferre poeta, quum singularis nimis

tenuis fuisset. Porro vides duplicem numerandi rationem in Graecis scriptoribus obviam hic coniunctam esse, pro τρίτοις posito τετράτοις numeratoque nunc Aeaco etiam, ut Battus Pyth. IV, 65. numeratur, quod cum Boeckhio credo hic consulto admissum a Pindaro, oraculorum orationem ambiguam imitato; cf. Ol. VII, 33. et Pyth. IV, 56. — V. 47. ἤπειγεν — ἐλαύνων, properabat curru, in quo ἤπειγεν intransitivum, ut Eurip. Or. 797. Heraclid. 732. Phoeniss. 1286., et cf. Buttm. Gr. ampl. T. II. p. 47. Tendit autem Apollo ad Hyperboreos, versus septentrionem ad Istri fontes habitantes, cf. ad Ol. III, 14. Neque tamen via brevissima vehitur, sed, ut faciunt dii etiam alias, amica simul loca tangens. Talis primum in ipsa planitie Troiana Xanthus est, haud dubie dilectus Apollini fluvius, cf. Müller. Dor. I. p. 302. — Tum Amazones ad Thermodontem, de quibus cf. Müller. l. cit. p. 389 sqq., sunt sororis Dianae cultrices, ait Boeckhius; ac negari nequit eas nunc amicas Apollini cogitari, quanquam ceteroquin obscura est quaestio de Apollinis et Amazonum sive amicitia sive inimicitia. — V. 49. τάννεν, intendebat, h. e. incitabat, ut Hom. Il. XVI, 375: τανύοντο δὲ μώνυχες ἵπποι, vires suas intendebant, celeriter currebant. Add. Odyss. VI, 83. [„dirigebat" Emperius.] — V. 50. ἀποπέμπων, deducens, notum ex Homero. — V. 51. δεῦρο, ad Aeginam, in quo Boeckhius usum Graecorum notat, δεῦρο de eo loco dicentium omnino, de quo sermo est, etsi qui loquitur alio sit loco. Commode affert Plat. Phaedon. p. 58. B. [Huc, in Graeciam.] — ἀν' ἵπποις, cf. Ol. I, 41. — V. 52. καὶ Κορίνθου δειράδι, et ad Corinthi iugum, quum in Corinthiorum dicione esset Neptuni templum et ludorum sollemnitas. Aliis in locis contentus fuisset Pindarus verbis ἐπ' Ἰσθμῷ ποντίᾳ, qui nusquam temere nomina cumulat; sed hic, quum post ἀποπέμπων — χρυσέαις non posset statim sequi ἑποψόμενος δαῖτα κλυτάν, ob eam ipsam causam novam loci designationem interponere debebat. — ἑποψόμενος, visurus sacrificium sollemne, post quod sequentibus diebus celebrantur ludi, cf. Nem. V, 37 sqq. — Restat, ut cum Boeckhio quaeramus, quid omnino sibi velit hic exitus narrationis, cur tot verbis explicetur quo se receperint dii; nam etiam in talibus non temere versatur Pindarus. — Igitur mihi quidem nihil nisi transitum parare videtur poeta ad ludos et ad rem praesentem: ut Apollo ad Istrum tendit, unde postea oleaster venit Olympiam, cuius nunc etiam Alcimedon coronam fert, sic

Neptunus ad Isthmia et ipsa magnopere tunc frequentata ab Aeginetis; reducimur igitur sensim ad gymnicorum certaminum cogitationem. Neque enim statim a rebus Troianis ad Melesiam transire poterat. Atque hoc mihi satisfacit. Boeckhius meus Apollinis iter tantum concinnitatis causa memoratum statuit omnemque vim in Isthmiorum mentione quaerit, quae suspicatur Alcimedontem aut Timosthenem adire voluisse. Aliis locis hae allusiones non dubiae, ut Pyth. V. Isthm. VI fin. et Nem. V, 37., hic tamen ipsi Boeckhio res videtur incertior.

V. 53—ad finem. Revertens ad rem ludicram poeta primum Melesiam laudat magistrum, tum ad Alcimedontis victoriam redit pluribusque eius laudes persequitur. In fine addit preces. — Ac Melesias quidem, patria Atticus (cf. Schol. Nem. IV, 155.), erat rei gymnasticae magister peritissimus, qui memoratur a Pindaro etiam N. IV. et VI fin., idem vero invidia flagrabat apud Aeginetas, cf. N. IV fin. Hinc Pindarus orditur sic: Iucundum inter homines aeque placens erit nihil, quare etiam quae hoc carmine cecini aut canam non placebunt pariter omnibus. [Scholia quum conferunt Odyss. Ξ, 228. ἄλλος γάρ τ' ἄλλοισιν ἀνὴρ ἐπιτέρπεται ἔργοις, universe de varietate studiorum verba interpretantur poetae. Quibuscum non recte facit Rauchensteinius II, 29. Obstat enim futurum; et sententia h. l. tenuis foret et clumbis.] Si vero nunc Melesiae puerilem victoriam Nemeaeam memoravero, nolim tamen nimis vehementer reprehendi, quasi cupidius eius laudem amplificem; nam praeter hanc puerilem victoriam etiam aliam dicam maiorem ibi inter viros reportatam pancratio. Talis autem debet esse magister, qui alios ad victorias e sacris ludis reportandas rite instituere vult. — V. 54 sqq. Duae explicationes cogitari possunt huius loci difficilioris. Primum sic: Si vero Melesiae laudem e pueris victoribus discipiina sua formatis tractavero, ne quis reprehendat gravius; nam Nemeae simul dicam contigisse ei puerilem victoriam et vero aliam maiorem inter viros pancratiasticam, h. e. nam non solum instituit pueros, sed ipse etiam vicit. Sic fere cum Schmidio Boeckhius. Erit igitur nunc oppositio inter laudem ex institutione puerorum victorum et proprias victorias, inter κῦδος ἐξ ἀγενείων et ταύταν χάριν s. hoc genus laudis, quod Alcimedon habet, h. e. victoriam, quam non docueris, sed ipse tuleris. Sed hac oppositione maxime offendor, quia verba non satis

differunt, quum κῦδος ἐξ ἀγενείων prima et vulgari significatione et ipsum significet victoriam ex pueris, qualem modo Alcimedon tulit. Quare magis placet Heynii explicatio, qui κῦδος ἐξ ἀγενείων intelligit de victoria puerili Melesiae, quanquam totum locum non pertractavit. [Boeckhii potius partes in explicandis verbis κῦδος ἐξ ἀγενείων sequitur Rauchensteinius II, 29 sq. maxime propter versus 65. 66., quibus poeta in eandem sententiam desinit, unde exorsus erat de Melesia dicere. Tum demum apte sententiae sibi opponi videntur: Si quis invidet gravius quod aliptae Melesiae laus ex imberbium adolescentulorum victoriis comparatur, monebo ipsum Nemeae puerum vicisse lucta et postea virum ex pancratio. Ergo usu se probavit esse magistrum. — Aegre tamen desideratur vel levis quaedam significatio, qua Melesiae ipsius fuisse victorias Nemeaeas admoneamur, quanquam res ipsa certissime docet de uno Melesia v. 56 — 59. accipiendas esse. Cui difficultati ita medebatur Rauchensteinius, ut ἀνδρῶν ἔχειν pro ἀνδρῶν μάχαν reponendum opinaretur, coll. Ol. XIII, 37. Pyth. VIII, 78. Iungit autem ἐκ παγκρατίου ἀνδρῶν. Ego in eandem sententiam pro μάχαν coniicio, quod proxime ad ductus literarum accedit, λαχεῖν scribendum esse. Iam apparet Melesiae et ipsi duas contigisse victorias, alteram imberbi, alteram viro, utramque in ludis Nemeaeis.] Ac κῦδος saepe de victoria, ut Ol. IX, 94. Pyth. IV, 66. — ἀγένειοι sunt omnino pueri, non posteriore significatione adultiores puerorum, ut Pausan. VI, 14, 1: ἐπὶ τοῖς παισὶν οὓς ἀγενείους καλοῦσι. Ibid. c. 6, 1: ἐγένετο δὲ αὐτῷ καὶ Νεμείων ἔν τε παισὶ καὶ ἀγενείων ἑτέρα νίκη. Fabr. Agonist. III, 9. — ἀναθρασεῖν est recolere, memorare altius repetita re; conferunt Simonid. Amorg. in Scholiis ad Eurip. Phoeniss. 215: τί ταῦτα διὰ μακρῶν λέγων ἀνέθραμον; Add. Schweighaeus. Lexic. Polybian. v. ἀνατρέχειν. Praeteritum, quod hic per futurum exactum verti potest, similiter positum Nem. VII, 75. — V. 55. μὴ βαλέτω cett. De hoc loco, qui insigniter placuit imitatoribus, vide Schneiderum in vita Pindari p. 117. et Boeckhium h. l. Ego hoc addiderim: Quum in promptu esset etiam alia metaphora τοξεῦσαι, τοξεύματα, βέλη ἀφεῖναι pr. dicta acerba in aliquem iacere, cf. Wyttenb. ad Plut. d. S. N. V. p. 5., Pindarus hanc praetulit, quia, in magna invidia quum esset Melesias, dicere volebat: Si probare nolunt, tamen ne nimis graviter irascantur neve inhumanius sermonibus me reprehendant, cui sententiae nihil aptius lapidis simi-

litudine. Ceterum comparabo maxime κακοῖς βαλεῖν Soph. Ai. 1244., ψόγῳ βαλεῖν Aristoph. Thesmoph. 902., cf. Wyttenb. l. c. Denique φθόνος est pro invidis, ut facile patet. Cave enim cum nonnullis personificationem statuas; cf. Nem. VIII, 23. Soph. Ai. v. 157. — V. 56 sqq. Haec ita intelligo, ut minoris victoriae mentionem excusari credam subiecta maioris laude. Verto: Nemeae enim simul dicam hanc ei laudem contigisse (κῦδος ἐξ ἀγενείων, qualem etiam Alcimedon habet), sequentem vero virorum pugna e pancratio, h. e. dicam enim simul et hanc laudem et praeter hanc s. sed praeter hanc etiam aliam maiorem: in quo notabis formam dicendi. Quum enim aliis in locis dixeris: simul hanc et aliam, ut Nem. X, 10, 11. post οὗτος, quod ubique emphasin habet, τέ ponitur in secundo membro, contra nunc oratio in oppositionem transit, ut saepe leguntur τέ — δέ, cf. Matth. Gr. p. 1502. Boeckh. ad Platon. Min. p. 86.; et recte quidem hic ac necessario, quum non coordinetur victoria secunda priori, sed tanquam maior et illustrior opponatur. Denique Νεμέᾳ est Nemeae partam, ut infr. v. 83., cf. Ol. I, 94. et vid. ad Nem. IX, 42. — V. 59 — 61. Praeparat nunc per sententias generales laudem, quam ex his victoriis reportatis elicere vult ad docendi peritiam Melesiae illustrandam. — διδάξασθαι vulgo discere, aut erudiendum dare, nunc active docere, sich schüler heranziehn, cf. Boeckh. h. l. add. Elmsl. ad Eurip. Med. p. 131. Lips. Hermann. ad Arist. Nubb. 782. Schaefer. ad Long. p. 346. Schneidewin. ad Sim. Cei Ep. CCII, 3. p. 191. — ἄγνωμον, ἀνόητον. — κουφότεραι, solidiore peritia carentes. — V. 62. Hinc ad Melesiam redit, cuius praestantia nunc, post praemissas sententias generales, maior apparet. — κεῖνα δὲ — ἔργα, scil. τίς τρόπος ἄνδρα προβάσει sqq., illas autem exercitationes et artes certaminis, quibus usque eo pervenias, ut in sacris certaminibus vincas, κεῖνος, Melesias, indicabit, docebit melius aliis. περαίτερον, nempe sapit ulterius aliis aliptis. — γέρας, decus, honor. Comprobatur his verbis veritas antecedentis sententiae. Atque ita ad Alcimedontem transit, qui se plane dignum praestitit hoc magistro, huius victoriae laudes in principio inceptas iam disertius persequuturus. — V. 67. τύχᾳ δαίμονος, comparat Boeckh. Pyth. VIII, 53. Nem. IV, 7. VI, 25. — ἀνορέας δ' οὐκ ἀμπλακών, non destitutus, carens, qui usus verbi e tragicis maxime notus; cf. Blomfld. ad Aesch. Ag. 336. Notum etiam ἁμαρτάνειν sae-

pissime similiter dictum, velut Eurip. Alc. 328. Adde πλανᾶσθαι Nem. VIII, 4. — V. 68. ἐν τέτρασιν παίδων γυίοις. Locum verto: Et fortem se exhibens in quattuor deinceps puerorum corporibus, veluti Soph. Ai. 366. ἐν ἀφόβοις μὲ θηρσὶ δεινὸν χέρας, add. ibid. 43. 453. Hic aptissime dictum de lucta. Quod verbum finitum ἀπεθήκατο interpositum est, ne te offendat; hoc enim saepe fit, et hic recte factum ad vocem τέτρασιν magis extollendam. — γυῖον, corpus, Nem. VII, 73. Ceterum ἔφεδρον fuisse Alcimedontem patet. — ἀπεθήκατο, a se removit, ut rem invisam, cf. Ol. XI, 41. — V. 69. νόστον ἔχθιστον — οἶμον. Nempe victus homo redit in patriam tristis sine pompa, nec laeto vultu a suis exceptus; oratio eius non est gloriosa, sed tacet (bene comparat Boeckh. Fragm. 149. Pyth. IX, 92.), nec multum conspicitur in locis frequentioribus, sed remotiores a conspectu vias sequitur, cf. Pyth. VIII, 86. Boeckhius ἐπίκρυφον οἶμον explicat vitae viam obscuram cum Eustathio, in quo tamen significantiorem vocem exspectes. Ac recte Tafelius notare videtur, quum νόστος de ipso reditu sit, ceteris describi quomodo se gerat deinceps post adventum. — V. 70 sqq. ἐνέπνευσεν μένος, θάρσος, quis non novit ex Homero? Videtur affuisse praesens avus, ut supra dixi. Nam carmen statim post victoriam Olympiae canitur, quo tempore vix acceperat nuntium avus, in Aegina si erat; quodsi Olympiae nepotis victoriam praesens vidit, omnia clara. — ἄρμενα πράξαις, h. e. εὖ πράξαις, ut ἀντία πράξει Pyth. VIII, 52. add. πράξειν τι κιδνόν pr. εὖ πράξειν Eurip. Troad. Seidl. 700., vid. plura ap. Wüstemann. ad Eurip. Alc. 621. 819. — V. 74 sqq. μναμοσύναν ἀνεγείροντα, etiam praeteritarum rerum memoriam excitantem. — φράσαι χειρῶν ἄωτον ἐπίνικον, decus, laudem (Ol. III, 4.) manuum dicere, quibus olim vicerunt, victoriae huius celebrandae causa. χεῖρες, oppositae pedum cursui, ad luctam, pugilatum, pancratium pertinent, veluti Pyth. X, 23. De lucta dicuntur N. VI fin. — φυλλοφόρων, h. e. στεφανηφόρων, cf. N. I, 17. — περίκειται, ut ἀμφιθεῖναι στέφανον Eurip. Ion. v. 1449., περιθέσθαι Med. 984. — V. 77 sq. Sensus: Veniunt vero etiam mortui in partem laudis, quae iis rite persolvitur, ut inferiae, quum moris sit, ut in hymnis epiniciis puerorum etiam defunctorum parentum memoria recolatur. Ceterum ἕρδειν ἱρά, ἑκατόμβας, notum ex Homero. — V. 79 sq. κόνις constat frequentari de terra tegente mortuos. Haec non

prohibet, quominus cognoscant viventium laudem. — V. 81. Ἑρμᾶ θυγατρὸς Ἀγγελίας. Noli de inani fictione poetica cogitare. Posse ad mortuos nuntios deferri e superis regionibus credebant veteres; talis est Echo, de qua vide ad Ol. XIV fin., talis nunc Ἀγγελία, χθονίου, ut notat Boeckhius, Mercurii filia, ideoque ut pater descendens in Orcum. Est dea ut Ὄσσα apud Homerum, quum veteribus velox divulgatio famae, rumoris, nuntiorum per daemonicam vim fieri videretur. Ingeniose vero Müllerus addit Ἀγγελίαν deferre κήρυγμα praeconis, qui ἀγγέλλει (ut Pyth. I, 32.), ac Mercurius praecst etiam praeconibus. In quo κηρύγματι quum patris nomen proclamatum esset cum filio, vides, quod etiam Scholia perhibent, Iphionem patrem esse, qui propterea solus accipit Ἀγγελίας nuntium, eumque ad Callimachum deferre debet. — V. 83. λιπαρὸν κόσμον, victoriae decus. — Ὀλυμπίᾳ, cf. ad 54. — σφι γένει, cf. ad Ol. II, 14. — Ceterum Callimachus fortasse et ipse, dum vivebat, luctator fuerat et victor. — V. 84. ἑσλὰ δ' ἐπ' ἐσλοῖς, alia super aliis, cf. Matth. Gr. §. 585. γ. — ὀξείας νόσους admodum probabile est, quod Boeckhius censet, memorari, quum hi talibus morbis, fortasse pestifera lue, occubuerint. Teneamus modo Pindarum ubique orationem praesentibus rebus accommodare nec inania verba loqui. — V. 86. εὔχομαι cett. De Asyndeto in precibus cf. Excurs. Tom. I. p. 341 sq. Sensus vero loci hic: Precor Iovem, ut Nemesin ob pulcrarum rerum fortunam ne infestam reddat; sed consulto, leniore voce διχόβουλος utitur, dissentiat ab iis, pr. irascatur. ἀμφί, ob, Matth. Gr. §. 583. b. β. — καλῶν, ἑσλῶν, τερπνῶν, εὐδαιμονίας μοῖρα, usitata phrasis Pindaro. Porro nota est sententia veterum de invidia deorum in magna felicitate, cf. Creuzer. de Arte Graecor. Historica p. 150. E Pindaro vid. Ol. XIII, 25. Isthm. VI, 39. Add. Monk. et Wüstem. ad Eurip. Alc. 1154. Ceterum quaeras, cur Iuppiter Nemesin hic adhibeat nec simpliciter rogetur ipse, ut ἀφθόνητος sit, veluti Ol. XIII, 25. Nempe videtur Nemesis in Aegina aram habuisse.

CARMEN OLYMPICUM NONUM.

INTRODUCTIO.

Victoria haec Olympica reportata videtur Boeckhio Ol. 81.; ex antiquitate nihil de ea re traditum. Epharmostus, oriundus a regibus priscis Opuntiorum, erat luctator singularis, non institutus, sed natus ad certamina, qui praeter alias victorias non paucas ter Isthmia vicerat, aliquoties Nemea, Ol. 80, 3. Pythia, nunc denique Olympia, ut in omnibus sacris ludis clarum esset eius nomen. In tanta igitur excellentia viri carminis consilium nullum aliud esse potuit, quam ut ipsa haec *ἀνδρία* declararetur quam luculentissime. Quod quomodo factum sit, nunc videamus. Post prooemium, in quo nuntiat carmen Epharmosto urbique canendum, iam ipsam victoriarum laudem illustrius celebraturus magnos in suo genere viros divinitus exsistere dicit, idque Herculis, heroum luctatorum principis, exemplo comprobat, qui nonnisi sic ad Pylum Neptuno, Apollini, Orco resistere potuerit. Tum haec abrumpens ad Locrenses fabulas transit, orsusque a Deucalione et Pyrrha, qui post diluvium ibi sedem fixerant, eorumque progenie lapidea, narrat, ut hinc descendente Protogenia natus et Iove Opus huius urbis rex factus sit, unde ceteri deinde reges Opuntiorum, bellici Epharmosti maiores, originem traxerint. Idem Opus etiam advenis multis receptis auxit urbem, inter quos distinguitur Menoetius, pater Patrocli; sic ad Patroclum transiens narrat, ut is solus cum Achille in Mysia Telepho restiterit atque ita probaverit virtutem Achilli, ut is in posterum illum semper iuxta se dimicare voluerit. Expositis his fabulis ad praesentia redit, persequiturque primum victorias omnes Epharmosti, deinde sententiis quibusdam eximiis naturae vim divinitus insitam laudat, cum qua etiam Epharmostus egregius luctator exstiterit. — Vides ex his Epharmosti virtutem gymnicam ipsam in priore carminis parte tractari et in posteriore; ita quidem, ut, quod in principio mythice Herculis comparatione significatur, in fine directa oratione declaretur enumeratisque omnibus victoriis comprobetur Epharmostum esse luctatorem divinitus factum. Atque hac sententia nititur poetica vis huius carminis. Spectant eodem quae in medio carmine leguntur. In medio enim carmine quae

habentur fabulae antiquo tempore et regiam stirpem illustrem Opunte ostendunt fuisse et heroes celeberrimos, Epharmostum autem robustis et bellicosis maioribus ortum simili virtute pollere; ut saepe a Pindaro praesentes civium virtutes ad mythicas urbis traditiones referuntur, nec quidquam laudabilius habetur quam patriae antiquitatibus et maiorum heroicae virtuti non dissimilem esse. Quare nunc collectis his omnibus imaginem habemus viri in certaminibus luctae divinitus insita virtute principis, qui priscam vim et fortitudinem gentis et publicorum urbis heroum praeclare refert. Quemadmodum autem hoc modo Epharmosti laus absolvitur, ita ab altera parte etiam urbi nihil honorificentius est quam habere talem civem, habuisse tales reges et heroes. Atque ita praestitit quod in prooemio est: *αἰνήσαις ἓ καὶ νίόν*. — Post haec omnia quaeras, quomodo cantatum sit. Ac Boeckhius quidem in convivio cantatum censet, quod ipse etiam probarem, nisi antecessisse viderentur epulae ad Aiacis aram. Suspicor igitur, quum victor post dedicationem coronae ab ara Aiacis reduceretur, tum vespere inter faces ardentes publice in celebri aliquo urbis loco carmen cantatum. [De artificio carminis suo more exposuit Rauchensteinius Introd. p. 141 sqq.]

EXPLICATIO.

V. 1—20. Prooemium. Nuntiantur laudes Epharmosti et urbis Opuntis. Archilochi, ait, simplex hymnus Olympiae ad praeviam laudem Epharmosto sufficiebat, nunc autem maiori carmine opus ad celebrandas victorias viri etiam urbe clara nati. Canam igitur hunc et urbem, quae bonis institutis legibusque floret et victoriarum laude e ludicris certaminibus reportata. — V. 1 sqq. Principium vides duarum rerum oppositione niti. Quum enim insignis esset vir Epharmostus, ampliore carmine vel maxime dignus, opponit minus et simplicius, ut sic quae nunc parantur laudes fortius extollantur; de quo usu oppositionis quum alibi, tum in prooemiis, cf. dicta ad Ol. I init. — *τὸ Ἀρχιλόχου μέλος* fuit hymnus nobilis in Herculem Callinicum, ex quo hi duo trimetri in Scholiis servati sunt: *Ὦ καλλίνικε χαῖρ' ἄναξ Ἡράκλεες Αὐτός τε καὶ Ἰόλαος, αἰχμητὰ δύο.* Ac *Καλλίνικος* quidem Hercules est suo iure ob innume-

ras victorias (Eurip. Herc. fur. 581. et Boeckh. h. l.), Olympiae autem maxime propter Augiam debellatum, quum victor rediens ex isto bello ludos instituisset, cf. Ol. XI. Habebat hymnus ter interpositum ephymnium *Καλλίνικε* (s. *ὦ Καλλίνικε*), unde ter divisus *τριπλόος* Pindaro dicitur. Obtinuit autem, quum victores ludorum post victoriam reportatam vespere pompam ducerent in Altin ad gratias Iovi agendas, cf. Ol. IV. et VIII., ut, si cui musicae operae deficerent, hic hymnus caneretur. Ac canebatur ad tibiam aut ad citharam; ubi autem etiam instrumenta deessent, tum vero chori praefectus eo loco, ubi ephymnium erat, canebat *Τήνελλα*, ad imitandum instrumentorum sonum, ut in Aristophanis Pluto *θρεττανελό* est, post quam vocem quum chorus succineret *Καλλίνικε*, ita demum ortum est coniunctum illud *Τήνελλα Καλλίνικε*, accuratissime tradente Eratosthene in Scholiis ad h. l. pag. 208. Cet. cf. Boeckh. Expl. et Liebel. Archil. p. 178. ed. sec. — *φωνᾶεν*, quod cani solet Olympiae. — *καλλίνικος* dicebatur etiam ipse hymnus; sic vox est N. IV, 16. et cf. Elmsl. ad Eurip. Bacch. 1158. — *κεχλαδώς*, *πληθύων*, de plena ac forti voce laete canentium accipe; cf. Passow. Lex. v. *χλώζω*. Originem Buttm. Gr. ampl. II. p. 255. (326 Lob.) ab antiqua voce *χλήδω*, turgere, derivat, *χλιδή* comparans; ac similis videtur apud ipsum Pindarum *χλιδῶσα μολπά* Ol. XI, 84. Cet. add. Pyth. IV, 179. et Fragm. Dithyramb. 6. — *ἀγεμονεῦσαι*, in pompa. — V. 5 sqq. At nunc longe iaculante Musarum ab arcu Iovem Olympium et Cronium collem pete hisce talibus telis. Nempe ut Archilochi hymnus canitur in honorem Iovis et Olympiae, sic etiam hic hymnus, sed ibi levioribus melici carminis telis, ut e propinquo, uti licebat, nunc maioribus ac fortioribus opus est et longe iaculante arcu. Sic pulcre significatur, quod ratio postulat, nunc maiori arte, magnificentiori carmine opus esse. — V. 6. *φοινικοστερόπαν*, potentem, cf. ad Ol. IV init., nisi quod simul eligi potuit hoc epitheton cum respectu ad cultum Iovis fulminantis, cf. v. 45. et ad Ol. XI, 80. — *ἀκρωτήριον Ἄλιδος* est Cronius mons paulo magnificentius dictus. Cronium autem dicit pro Olympia, et hic quidem aptissime, quia mons telis commodius petitur quam planities. — *ἐπίνειμαι*, secunda persona se exhortans utitur plerumque, raro prima. De verbo autem cf. Blomfld. ad Aeschyl. Agam. 469. — V. 8. *τοιοῖσδε*, hisce talibus, maioribus. —

τὸ — Ἱπποδαμείας, h. e. locum nobilissimum, ubi Pelops olim certavit et regnavit. — V. 11 sqq. Pythiam victoriam addit, paulo ante, ut Boeckhio videtur, partam. Accedit nobilitas ludorum. Similiter utriusque loci victoriae coniunguntur et iisdem de causis, ut videtur, Ol. VIII, 15 sqq. — *γλυκύν*, quis enim non novit *πικρὸν ὀϊστὸν* ex Homero? — *χαμαιπετής*, inutilis, irritus, successu carens; cf. Pyth. VI, 37. N. IV, 41. Scholia: *χαμαιπετῆ κυρίως ἐστὶ δόρατα ἢ βέλη, ὅτε ἀποτυχόντα τοῦ σώματος χαμαὶ ἔπεσεν.* Sensus: non ages nihil, ut vertit Boeckhius, h. e. non perdes operam in homine indigno. — *ἐλελίζων*, Buttm. Lexil. I. p. 138. Similiter Pyth. I, 4. et *κιθάρην ἐλέλιζεν* Nonn. Dion. X, 337. *ἀμφί*, Pyth. II, 62. Matth. Gr. §. 583. b. β. — V. 14. *αἰνήσαις*. De optativo cf. Ol. II, 91. — V. 15 sqq. *Θέμις*, quae bona instituta et leges condit, unde eius filia Eunomia est. — *λέλογχε* de diis notissimum, cf. XI, 1. Plura habet Tafel. — *οἱ*, vid. Ol. I, 57. Ceterum videmus hinc etiam Opuntios Locros bene ordinatam rempublicam habuisse bonasque leges, quod de Epizephyriis notissimum, cf. ad Ol. XI, 13. Regebant apud omnes Locros civitatem optimates, quorum sub imperio Graecae reipublicae tranquilliores fuerunt. — *θάλλει*, Isthm. III, 22. Pyth. XI, 53. Dicere omnino vult etiam certaminum studio Opuntem claram; Pythia et Olympia nominat instar omnium, quoniam his nunc Epharmostus vicerat. — V. 19 sq. *ὅθεν* unde reportata coronarum decora, *στεφάνων ἄωτοι*, praestantissimae coronae, Buttm. Lexil. II. p. 17. — *ματέρα*, patriam, veluti Isthm. I, 1. — *ἐπαείροντι*. Alias *αἴρειν* dicendo extollere, ut Eurip. Heracl. 323. Aristoph. Ran. 380. Nunc conf. Ol. XII fin.

V. 21—41. Celebratur Epharmosti virtus gymnica, natura insita, comparatione Herculis. — V. 21 sqq. Sensus: Ego vero caram urbem eximio cantu illustrans celerrime simul hunc nuntium victoriarum Epharmosti in omnes partes divulgabo, si modo poesin divinitus calleo. Vides poetam illustria et eximia promittere. — *φίλαν*, cf. v. 83. — *μαλεραῖς*, ardentibus, splendentibus, vox propria de igni, cf. Blomfld. ad Aesch. Pers. v. 62. — *ἐπιφλέγων*, cf. Pyth. V, 42. Nem. X, 2. Isthm. VI, 23. Videmus ubique Pindarum metaphoras suavissime accommodare praesentibus rebus; quodsi, ut supra conieci, hoc carmen vespere canebatur in urbe publice

inter faces ardentes, quid pulcrius et felicius hoc loco, ubi ab ipso luminum splendore per noctem diffuso imago petitur cantus, dictorum splendore urbem illustrantis et nuntium victoriarum in omnes partes equo navique celerius divulgantis? cf. similem locum Isthm. III, 60 sqq. — V. 24. ὑποπτέρου, propter remos, quae πτερὰ νηὸς sunt apud Homer. Od. XI, 124. XXIII, 272. Hesiod. Opp. 625. aliosque, ut aliis in locis vela. — V. 26 sqq. Suavis dictio de horto, prato, agro Musarum aut Gratiarum (quas ap. Pindarum poesin epiniciam curare supra iam vidimus) a poetis possesso, culto, floribusque inde decerptis, cf. Pyth. VI init. Nem. VI, 33. X, 26. inprimisque praeter Boeckhium Iacobs. ad Anthol. Gr. V, 1. P. 1. p. 1. Valcken. et Monk. ad Eurip. Hippol. 72. Tafel. ad h. l. — σύν τινι μοιριδίῳ παλάμᾳ, non praeter fatum, h. e. natus, natura factus ad poesin; in quo τινὶ modestiae causa adiectum. Idem statim κατὰ δαίμονα, et δαιμονίᾳ infr. v. 110. Contra ἄνευθε θεοῦ sunt quae tantum didiceris, infra 103. Quemadmodum autem Pindarus natura valebat, sic alio modo etiam Epharmostus; quare ἀγαθοὶ hic memorantur propter hunc, ut σοφοὶ sunt poetae. Perspicitur nunc Herculis comparatio, qui quod ad Pylum pugnans a Minerva adiutus fertur Pausan. VI, 33., alienum videtur ab hoc loco; nam de naturae vi divinitus innata Pindarus loquitur, qua re nititur totus locus. — V. 29 sqq. De nobilissima Herculis pugna ad Pylum adversus deos vid. Boeckhium h. l. et Müller. Dor. I. p. 445. II. p. 479. — V. 30. σκύταλον, h. e. ῥόπαλον, conf. Suid. Constat primum a Pisandro et Stesichoro clavam Herculi tributam; cf. Heinrich. ad Scut. Hercul. Prolegom. p. LXIX sqq. Müller. Dor. II. p. 475. 6. Welcker. Bulletin. Archaeol. Rom. 1831. p. 132 sq. — V. 31. ἀμφὶ Πύλον σταθείς, ut defensor ante muros dilectae urbis, in quo Homerica περιβῆναι, ἀμφιβῆναι comparabis. — ἤρειδε, premere, urgere, sed bene utitur vocabulo etiam luctae apto. — V. 33. ῥάβδον, baculum, quo defunctos in Orcum compellit, qualem apud Homer. Od. XXIV, 5. Mercurius habet. — V. 34. βρότεα σώματα iunge cum θνασκόντων, in quo βρότεα pr. βροτῶν dictum, et σώματα sunt inania corpora, Virg. Aen. VI, 306: defuncta corpora vita. — κατάγει (Hom. Od. XXIV, 100.), deducit, compellit sub terram s. ad viam subterraneam (κοίλαν ἀγυιάν), quae in Orcum fert. — V. 37 sq. λοιδορῆσαι θεούς, h. e. βλάσφημα de iis loqui. — καυχᾶσθαι παρὰ καιρόν, gloriari intempestive, ut nunc laudare Herculem, dum laedas

dignitatem deorum. — V. 39. ὑποκρέκει. Proprie κρέκειν λύραν, κιθάραν est pulsare fides idque plectro, ut φάλλειν digito, nunc ὑποκρέκειν neutrali sensu de cithara voci respondente, ut ὑπᾴδειν, ὑπαυλεῖν, ὑπηχεῖν, cantu, tibia respondere, succinere; unde nunc explicant per συμφωνεῖν, consonare, convenire cum, similem esse. — V. 40. λαλάγει, temere loquere obtrectando, cf. Ol. II, 97. — ἔα πόλεμον cett., seiunctam a diis sine pugnam, h. e. seiunge et remove a diis. — Singulis explicitis iam de universi loci tractatione dicendum est plane admirabili. Quum Epharmostus athletica vi paene Herculea esset, necessario se offerebat poetae huius herois comparatio, nec levius aliquod facinus, sed ingens, in quo vis et audacia Herculis enormis quam maxime conspiceretur. Tamen hoc facinus erat contra deos, quod si Hercules ausus erat, non item poetae recolere debent. Nihilominus facit hoc Pindarus, amans ille audacia poesios tentamina, quum parem etiam audacissimis se sentiret. Ac vide nunc, quomodo rem impiam tractaverit felicissime. Primum igitur vix effatus eam, statim se revocat, ἀπό μοι λόγον τοῦτον, στόμα, ῥῖψον, quasi oblitus sui eo delapsus sit, sententiisque gravissimis ita damnat impios poesios conatus, ut hactenus religioni plane satisfactum sit. Attende nunc etiam ad initium loci. Etenim cur poeta Epharmosti laude occupatus non directa via ad Herculem tendit, cur suam in hac re personam addit, poetas immiscens, ubi de lucta sermo? Nempe Epharmostum illustraturus Herculis narrando facinore audacissimo, sed eodem contra deos suscepto, tectius agere debebat, ne iure reprehenderetur ab Opuntiis, quod Epharmosti virtutem nimis aperte cum tali hic pugna comparasset. Ferebant veteres etiam audaciora, bene illi intelligentes, quid poeta vellet; at ut caute, decenter, non nimis aperte talia tractarentur, postulabant. Hinc nunc a se ipso orditur, atque ἀγαθοὺς et σοφοὺς coniungit, tum demum subiicit locum de Hercule, qui nunc ad universam sententiam antecedentem pertinet, nec magis ob Epharmostum positus videtur quam ob ipsum Pindarum et poetas. In quo illud pulcherrimum, quod simul etiam praestat se talem, qui nunc ipsum difficillimam rem eximie tractans insignis apparet luctator et ipse, par iis, quos canit. Atque ita patet interior praestantia huius loci. Non perficias talia διδακταῖς ἀρεταῖς, Pindarus ait, sed ingenio innato; quare qui cognoscere volunt τὸ εἶ-

δέναι φυᾷ quale dicat Pindarus, non solum ad dicta praeclara sententiasque singulas sublimes attendere debent, sed inprimis etiam ad has tractationes rerum ingeniosissimas.

V. 41—79. Antiquitates Locrenses. Locus memorabilis, quum Pindarus ipsam domesticam Locrorum traditionem expresserit. — V. 41. γλῶσσαν φέρειν, ut Μοῖσαν φέρειν Nem. III, 27. — Πρωτογένειαν Boeckhius hic intelligit Deucalionis et Pyrrhae filiam (Apollod. I, 7, 2.), quae cum parentibus primum Opunte habitaverit, postea in Elide ex Iove pepererit Aethlium; videri tamen eam etiam Opuntem maiorem in Elide peperisse. Ab hac distinguendam esse Opuntis mox memoratam filiam, probabiliter tamen et ipsam Protogeniam ab avia dictam. In qua sententia ego illud laudo, quod duas mulieres distinguit Boeckhius, Protogeniam tamen credo hic nominari Opuntis filiam. Etenim Deucalionis et Pyrrhae filia excessit Opunte in Elidem, et hic nonnisi indirecte significatur, vid. κορᾶν v. 56. At Opuntis filia Locro nupta vera regina est urbis et mater huius, de qua Pindarus loquitur, regiae gentis, eiusque filius urbi nomen dedit Opuntis. Notanda etiam loquutio Πρωτογενείας ἄστυ, inde explicanda, quod apud Locros magno in honore erant heroinae centum, nobilium gentium matres. Ac Protogenia regum erat mater. — V. 42. ἀλολοβρόντα, potentissimi. Vid. tamen supra v. 6. et ad Ol. XI, 81. — V. 44. ὁμόδαμον, consimilem; sed ὁμόγονον, ὁμογενῆ dicere non poterat. — V. 46. Λαοὶ maiuscula litera scribendi. Sunt enim hic filii filiaeque Deucalionis et Pyrrhae lapidei, nobile genus, ut Sparti Thebani, unde Opuntia traditio gentes nonnullas urbis derivabat, ut Epharmosti domum, non vero universum populum, cf. v. 67. [Scholia: κατηκολούθησε τοῖς μυθογράφοις εἰρηκόσι λαοὺς τοὺς ἀνθρώπους παρωνομάσθαι διὰ τὸ ἐκ λίθων γενέσθαι· Ἐκ δὲ λίθων ἐγένοντο βροτοί, λαοὶ δὲ καλεῦντο, v. Hesiodi fr. 35 Goettl. et Bergkii Comm. Critt. spec. I. p. 2., ubi Callimachi versum in Crameri A. O. I, 264. ita explet: Λαοὶ Δευκαλίωνος ὅσοι λάων γενόμεσθα.] — V. 47. οἶμος ἀοιδῆς proprie est via, ratio cantus, cf. Passow. Lexic. et Hom. Hymn. in Mercur. 451. ἀγλαὸς οἶμος ἀοιδῆς, ut ὁδὸς λόγων Ol. I, 110., in quibus loquutionibus, quum non prima viae notio, sed metaphorica regnet, recte εἰπεῖν, ᾄδειν, ἰαχεῖν ὁδὸν λόγων, ἐπέων, ὕμνων dicitur, cf. ad Nem. VII, 50. Sic nunc Pindarus λιγὺν οἶμον ἐπέων ἐγείρειν dixit, sonorum, eximium genus cantus, eximiam laudem ex-

citare, ut alias λιγυρὴ ἀοιδή, λιγυρὴ οἶμη est. [Sed v. not. crit.] — σφίν, Opuntiis, Πρωτογενείας πολίταις; cf. Nem. VII, 10. Nisi ad Laos pronomen pertinet; nam hos et ab his descendentem regiam gentem canit. — V. 48. Fabulae de diluvio et Deucalione Pyrrhaque notissimae; at quae poeta canere vult de origine regum Opuntiorum a Lais, ea nondum videntur tractata esse ante Pindarum, unde ἄνθεα ὕμνων νεωτέρων dicit. Adde ad Ol. III, 4. Denique verba: αἶνει παλαιὸν μὲν οἶνον non ad fabulas nescio quas hic pertinent, sed rhetoricum usum habent: Vetusta laudamus in aliis rebus, in poesi nova, inaudita, ut vi oppositionis magis extollatur id, quod nunc canere vult; cf. supr. ad prooemium. [Grammaticis veteribus Pindarus videbatur dictum Simonideum impugnasse, ἐξελέγχει δ' ὁ νέος οἶνος οὐ τὸ πέρυσι δῶρον ἀμπέλου, ὁ δὲ μῦθος ὅδε κενεόφρων, fr. CXXIV., ubi vide p. 121. Aliter auctor prologi Casinae 5: Qui utuntur vino vetere sapientes puto Et qui lubenter veteres spectant fabulas. Homericum τὴν γὰρ ἀοιδὴν μᾶλλον ἐπικλείουσ' ἄνθρωποι Ἥτις ἀκουόντεσσι νεωτάτη ἀμφιπέληται afferunt Scholia: adde Xenoph. Cyrop. I, 6, 38.] Ceterum propter vini mentionem Boeckhius in convivio carmen cantatum suspicabatur, cuius rei sane multa apud Pindarum exempla sunt; sed ut etiam in pompa, statim sequente convivio, talia admittebantur, cf. Nem. IX, 48 sqq., sic idem fieri potuit in reditu ab epulis. — V. 49 sqq. Narrationis ordo, non sine arte institutus, hic est: Tradere vult ortum regiae Opuntiorum gentis. Quare deducta oratione ad Opuntias fabulas primum memorat a Deucalione et Pyrrha ortos ibi Laos, et recte quidem; nam ab his ipsis regia gens originem traxerat. Tamen antequam pergat, subsistit paululum, et excitat attentionem ad ea, quae dicturus sit; esse enim rem novam. Hoc et per se commodum et propter celerem transitum ab Herculis fabula paene necessarium erat. Exin continuatur narratio; quum autem iam non posset statim ordiri a κεῖνον, necessario praemittenda erant quaedam, quibus nexus rerum restitueretur. Hinc dicit: „Fertur nempe magna fuisse inundatio; sed Iovis artibus subito tamen ea absorpta est. Ex illis autem Lais tum ortis geniti sunt vestri maiores." Quare nihil non suo loco hic positum. Vides etiam illud, κεῖνον necessario ad Laos pertinere. Quodsi Deucalionem et Pyrrham intelligis, ita ut praeter lapideam gentem fuerit alia ab his parentibus per concubitum genita, mire Pindarus lapideam

commemoravit, quae sic aliena erat, tacuit autem eam, unde oriundos dicit Opuntiorum reges. Immo aliam Deucalionis et Pyrrhae gentem praeter lapideam hic quidem locus non novit. — V. 52. ἀνάπωτις est fluidi ἀναχώρησις εἰς βαθύ, cf. Foës. Oecon. Hippocrat. et Bekk. Anecd. p. 215, 9. Spanh. ad Callimach. in Del. 130. Valcken. ad Herod. VIII, 129. — V. 53. ἄντλος, aestus aquarum, ut passim poetae omnino de aquis et mari. Cf. ceterum de v. Elmsl. ad Heraclid. 169. — V. 54. χαλκάσπιδες, bellicosi, utpote lapideo robore instructi; atque hoc robur, hanc virtutem nunc Epharmostus refert. Haec vera mens Pindari, et propter hanc causam dixit de maioribus Epharmosti. ὑμέτεροι enim plane non dubium est ad Epharmostum pertinere, cuius familia a regibus Opuntiis descendebat. Universos Opuntios quo minus credamus eum sic alloqui, et oratio accuratior vetat et ipsa res; neque enim profecto omnes fuerunt e regia gente oriundi. — V. 55. Ἰαπετιονίδος φύτλας κοῦροι κοραῖν cett. Difficilior locus, de quo sic habe: Orti erant Opuntiorum reges proxime a Iove et Protogenia, Opuntis Elei filia, quod nunc ad maiorem laudem consulto effatur magnificentissime sic, ut pro duobus hisce parentibus gentes eorum nominet, pro Iove magnorum Cronidarum gentem, cf. ad Olymp. VI, 68. Pyth. II, 25. IV, 72., pro Protogenia mulieres gentis Iapeti. Nempe Protogenia Opuntis descenderat ab illis Lais, non tamen a viro, sed a femina aliqua lapidea, cuius nomen Pindarus, ut hic inutile, tacet. Boeckhius aliique Protogeniam maiorem fuisse putant. Nunc vide Graeca: Ex illis Lais, ait, erant vestri maiores, materno illi genere filii mulierum Iapeti generis (Protogeniae Opuntis eiusque inter Laos aviae), paterno filii Cronidarum (h. e. Iovis). Denique, ut totum locum penitus perspicias, attende ad adornationem narrationis. Orsus a Deucalione Pyrrhaque et Lais simplex narrator perrexisset sic: Lai partim in alias terras abierunt; una eorum fuit quae in Elidem venerat avia Protogeniae Opuntis filiae; Protogenia a Iove compressa peperit minorem Opuntem, regiae gentis sequentis conditorem. Sic vos estis materno genere a mulieribus Iapeti generis, paterno a Cronidis. Pindarus autem magnificentius invertit ordinem, ultimum locum quasi quoddam splendidum aenigma praemittens, priorem vero pro explicatione subiiciens, atque ita differt poetica ratio a vulgari. — V. 57. De constructione θύγατρα ἀναρπάσαις μίχθη (αὐτῇ) cf. Stallb. ad

Plat. Euthyphr. p. 42. Matth. Gr. §. 428, 2. — V. 58. ξεναλος, cf. Buttm. Lexil. I. p. 144. — De Locro vid. Boeckh., qui notat antiquissimam eius memoriam exstare ap. Strabon. VII. p. 496. A., Hesiod. edit. Dind. p. 75. fr. 35 Goettl. — V. 60. αἰών, vitae tempus procedens, χρόνος. — ἐφάψαις, afferens, imponens ei mortem sine liberis, Hom. Il. II, 15. VII, 402. XX, 513. — V. 61. Conceptum ferebat gremio summum s. divinum semen Iovis, Pyth. III, 15. — V. 62. θετόν, ποιητόν, adoptivum. — V. 63. ἐκάλεσσε — ἔμμεν, cf. Matth. Gr. §. 420. annot. 1. Ex Opunte avo dicitur Opus. — V. 65. ὑπέρφατον, singularem, μορφᾷ τε καὶ ἔργοισι, manifesto iterum dictum cum respectu ad Epharmostum, qui maioribus similis. — V. 66 sqq. Adiicitur narratio de Patroclo. Qui artem Pindari ab omni parte cognoscere cupiunt ad illud etiam attendere debebunt, quam concinne diversos rerum ordines nectere sciat. Quod saepe fit sententiis generalibus; hoc loco aliter. Etenim dixerat de regia gente; nunc commode subiiciens nonnulla de populi incremento, qui minime totus descendebat a Lais, sic transitum sibi parat ad narrationem de Patroclo. Urbs post diluvium initio tenuis erat, tunc augetur advenis plurimis atque ita conditur populus Opuntius. De singulis populis Boeckhius annotat, Thebanis suaviter simul significari a poeta suae patriae cum Opuntiis coniunctionem; Arcades memorabiles esse propter Maenaliam Iovis cum Protogenia consuetudinem, Pisatas propter Opuntem memorari et priscam Opuntiorum et Eleorum cognationem. Atque ibi nunc vicerat Epharmostus. — De Actore Phthiota, qui ex Aegina genuit Menoetium, vide Müller. Aeginet. p. 22. pulcre disputantem. Menoetius Opunte suscipit Patroclum. Patroclus autem una cum Achille in Mysia pugnaverat ad Caicum adversus Telephum, de qua re quae hic narrantur ab aliis notatum est ex Cypriis fluxisse, docentque id Excerpta ex Procli Chrestomathia. Pindarum vide iterum Isthm. IV, 41. VII, 50. — Teuthras fuerat rex illius terrae, maritus Auges, quae, antequam in Mysiam deferretur, ab Hercule Telephum susceperat. — V. 74. ὥς τ' ἔμφρονι δεῖξαι cett., h. e. ut iis, qui mentem haberent, ostenderet Patrocli virtutem, qualis esset; in quo Patrocli nomen cum emphasi pronuntia, veluti est Ovid. Met. XIII, 17. 18. Aiacis et Ulixis nomen positum, Sil. Ital. II, 29. Hannibalis. — δεῖξαι μαθεῖν, usitatus post haec verba infinitivus ad pleniorem orationem, Pind. N. VI, 8. Soph. Oed. R. 792. Electr.

1458. — V. 77. παραγορεῖτο, hortaretur, rogaret. — Denique restat, ut de consilio huius narrationis moneamus. Ac Boeckhius quidem, quum poeta post haec ad Lampromachum transeat, respici putat pugnam aliquam, in qua Ephormostus et Lampromachus una stetissent. At enim si Epharmostus Patroclo similis, uti non dubitamus, videbitur Lampromachus Achilli comparari, quod incommodum. Omnino de bellico aliquo facinore Epharmosti cogitandum non videtur. Pindarus dicit: Patroclus statim in principio expeditionis Troianae tam fortem se praestitit, quum ceteri plerique Danai fugerent, ut inde ab hoc tempore Achilles maximis eum rebus parem haberet. Haec autem eximia laus heroïs domestici quomodo ceteris rationibus huius carminis optime conveniat, in Introductione declaravi ad normam aliorum Pindari carminum.

V. 80 — ad finem. Ultima pars carminis. Redit ad Epharmostum, eiusque victorias et virtutem athleticam uberrime pertractat. — V. 80 sq. εἴην εὑρησιεπὴς cett. Sensus: Plura invenire liceret, possemque ulterius progredi in heroicis hisce rebus, et audacia ac larga vis sequeretur (quum praeter inventionem audacia et dicendi facultate opus sit ad res magnificas digne eloquendas); sed avocat me proxenia et virtus Lampromachi, cuius Isthmiacam victoriam laudare nunc debeo, quum eodem die cum Epharmosto ibi vicerit. εἴην, omisit ἄν hic et ad ἔσποιτο, cf. Ol. III fin.; et recte, quum confidentius loquatur. Neque enim de voto hic cogitem, cf. similem transitum Nem. VII, 50. — εὑρησιεπὴς malo sensu est apud Aristoph. Nub. 447., ubi vid. — ἀναγεῖσθαι, ulterius provehi. Porro de Μοισᾶν δίφρῳ, qui manifesto ad res heroicas hic pertinet, cf. supr. ad Ol. VI, 22. — V. 81. πρόσφορος, Blomfld. ad Aesch. Choeph. 699. Musgr. ad Eurip. Heraclid. 481. Pind. Nem. VIII, 48. IX, 7. accommodatus, idoneus s. accommodato habitu, digno modo. — V. 82. τόλμα, Ol. XIII, 14. Nem. VII, 50. — ἀμφιλαφής, cf. Spanh. Callim. Apoll. 42. Cerer. 769. Blomfld. ad Aesch. Agam. 985. Tafel ad h. l. — V. 83 sqq. Lampromachus est proxenus Thebanorum, quo munere a Thebanis ei delato simul Pindaro Thebano conciliatur. Simul patet eum fratrem vel propinquum Epharmosti esse. — προξενίᾳ δ' ἀρετᾷ τ' ἦλθον, sed propter proxeniam et virtutem veni Lampromachi victoriae laudator,

non ipse, sed per carmen (Ol. VII, 13.). De dativis cf. Matth. Gr. §. 398. b. Ceterum vera causa, quare abrupit mythica, haec erat, quod dixerat quae volebat. Sed sunt hae suaves formulae apud Pindarum, quibus quod relinquat fabulas excusare solet, nunc quidem bene duobus substantivis iunctis et proxenia memorata, ut satis idonea causa videretur, quae eum avocasset. — V. 84. τιμάορος, h. e. ἐπίκουρος (Ol. XIII, 97.), vindex; cf. praeterea Nem. IV, 73. τιμωρεῖν et βοηθεῖν, τιμωρία ac βοήθεια. — μίτραις, h. e. taeniis laneis. Significantur Isthmiae coronae, quibus hae imponi solebant, cf. Isthm. IV fin. Vide omnino Boeckhium. — V. 85. ἔργον, certamen, Pyth. VIII, 80. Lampromachus igitur, eodem die in Isthmo vincens cum Epharmosto, non certaverat lucta, sed alio genere. — V. 86. ἄλλαι δὲ δύο cett. Aliae duae in Isthmo contigerunt iis postea victoriae, non uno die, ut ante, sed diversis temporibus. Ut enim etiam hic Lampromachum in partem vocem, moveor eo, quod Epharmosti nomen in sequenti demum versu legitur, quare tum demum ad hunc solum redire censendus est. — V. 87. ταὶ δέ, aliae, non dicit quot. — Νεμέας κατὰ κόλπον, in valle Nemeaea, Ol. XIV, 23: κόλποις Πίσας de valle Olympica. Soph. Antig. 1120: Ἐλευσινίας Δηοῦς ἐν κόλποις, in valle Eleusinia, ubi perperam de sinu Saronico cogitant. — De Argivis et Atticis ludis vid. Ol. VII, 82, 3. et Scholia. — Marathone fuerunt Heraclea, cf. Schol. et Boeckh., add. de cultu Herculis in illis regionibus Müller. Dor. I. p. 438. — V. 89. σὺν λαθεῖς ἀγενείων, modo ereptus per aetatem ex pueris, quorum decus fuerat. Etiam Boeckhius puerili aetate maiorem, sed admodum adolescentem intelligit. Furtim egressum e pueris et maiorem aetatem mentitum si indicare voluisset Pindarus, verbum ἐκκλέπτειν, ὑπεκκλέπτειν, simile exspectassem. Nunc sibi opponuntur παῖς et σὺν λαθεῖς παίδων. Ceterum de v. ἀγένειος cf. Ol. VIII, 54. — V. 90. πρεσβυτέρων, quum forte ceteri certatores aetate provectiores longeque validiores essent. — ἀργυρίδες, χρυσίδες Atticis maxime dicuntur phialae argenteae, aureae, cf. Boeckh. h. l. Ac tales in his ludis dabantur, cf. Schol. v. 34, et plures quidem, ut Sicyoni Nem. IX, 51., binas puta. — V. 91. ὀξυρεπεῖ δόλῳ, suaviter de luctatore, qui celeribus motibus adversarium fallit. — V. 92. ἀπτῶτι, non labente, firmo, certo, corruere nescio. παλαίσας ἀπτῶς Anthol. Pal. IX, 588. Inprimis honorificum, si quis per tria certamina

luctae non ceciderat, quanquam pancratiastae etiam iacentes luctabantur. Nunc ad δόλον traductum epitheton. Plat. Rep. VII. p. 534: ἀπτῶτι τῷ λόγῳ. Aristoph. Nub. 1231: τὸν ἀκαταβλητον λόγον, coll. Heind. ad Plat. Euthydem. p. 354. — V. 93. κύκλος, Boeckhio cum Schol. est area, in qua lucta fuit, palaestra Herculi Marathonio dicata; ego coronam spectantium malim, coll. Ol. XI, 72. — V. 95. τὰ δέ, ex alia parte, Ol. XIII, 53. Pyth. VIII, 28. — Apud Parrhasiorum populum celebrantur Lycaea, cf. ad Ol. XIII, 108. Nem. X, 48. et vid. Boeckh. ad Ol. VII, 83. — V. 96. ἀμφί, Matth. Gr. §. 583. c. — V. 97 sq. Ludi Pellanenses fuerunt Theoxenia et Hermaea Apollini et Mercurio dicata, praeterea Iovialia; in quibus omnibus olim laenas pro praemiis datas suspicatur Boeckhius, quum hae ibi optime fabricarentur. Diserte traduntur in Hermaeis datae; in Theoxeniis Pausaniae tempore argentum reportatum, sed statuit Boeckhius postea laenarum praemia obsolevisse. Pindaro laenae iterum memorantur Nem. X, 44. — φάρμακον αὐρᾶν, confertur Hipponact. Fragm. p. 34. ed. Welck. χλαῖναν Δασεῖαν, ἐν χειμῶνι φάρμακον ῥίγεος, tum Quint. Smyrn. IX, 359. Hom. Od. XIV, 529. — De Iolaiis s. Heracleis Thebanis cf. Boeckh. Ol. VII, 84.; habebantur ad Iolai tumulum, qui idem Amphitryonis et Alcmenae, ante portas Proetides, in stadio s. gymnasio Iolai; cf. ad Pyth. IX, 84. Nem. IV, 20. Praeterea etiam curulia certamina habita, ut etiam hippodromus ibi fuerit; cf. ad Pyth. II, 3. — σύνδικος, patronus causae, h. l. pr. μαρτυρεῖ, testatur eius victoriam. — Eleusinia duplicia notissima; maiorum die septimo ludi acti. Praeterea Demetria Eleusine habita. Vid. Boeckh. — ἀγλαΐαισιν, Ol. XIII, 14. Isthm. II, 18. Non superflua vox, licet logico suffecerit αὐτῷ, sed laudis causa addita. — V. 100. Denique sententiis quibusdam eximiis declarat naturae praestantiam in Epharmosto. Quicquid natura obtigit, ait, optimum; multi vero disciplina acquisitis virtutibus gloriam quaesiverunt, sed frustra; sine deo, nulla naturae indole, peracta res omnis aeque bene tacetur quam praedicatur, h. e. sive taceas, sive laudes perinde est, quum interna praestantia careat. — V. 103. De constructione σεσιγαμένον οὐ σκαιότερον cf. Nem. V, 16. Frequens inprimis apud Atticos genus, cf. Lobeck. ad Soph. Aiac. p. 315. Matth. Gr. §. 555. annot. 2. — V. 104 sqq. Sunt enim plurimae viae aliae aliis longiores, nec possumus omnes eidem rei studere; excellere vero in aliquo genere arduum quidem est, sed huius rei laudem Epharmostus habet, s. sed hoc nunc affe-

rens praemium elata voce clama fidenter, hunc virum divinitus exstitisse luctatorem singularem. — Verba: ἐντὶ γὰρ ἄλλαι cett. posita sunt, ut gradatio adesset. Vult dicere Epharmostum esse in suo genere perfectum; quare praemittit haec: Esse quidem vias alias aliis longiores, perfectionem tamen esse difficilem. Cf. de hoc oppositionis usu ad prooemium. Exspectaveris igitur: σοφίαι δὲ αἰπειναί, sed quum haec simul sequentibus opponenda essent indeque penderet vis sequentium, melius praetulit μέν, oppositione adversus antecedentia sensu et collocatione indicata. [Sed cfr. Tom. I. p. 342.] — σοφίαι, excellentia in aliquo genere artis quocunque. — V. 108. τοῦτο ἆθλον, h. e. σοφίας ἆθλον, pulcre dictum de excellentiae laude tanquam praemio victori exhibita. — V. 109. ὄρθιον, magna voce. [De hac voce vide quae suspicatur O. Müllerus ad Aesch. Eum. p. 93.] — ὦρυσαι, sexcenties poeta de se loquitur per secundam personam. Et hic quidem exhortatione nihil aptius. — θαρσέων, ut in re verissima. — V. 111. ὀρῶντ' ἀλκάν, Blomfld. ad Aesch. Sept. 53. Matth. Gr. §. 409, 2. Posidippus Anth. Pal. II, 661: πῦρ τοι ὁ χαλκὸς ὁρῇ, cf. Herm. Eur. Iph. Aul. 1127. — V. 112. Sensus: Qui victor coronavit Aiacis aram; quum moris fuisse videatur, ut victores in ara domestici huius herois deponerent coronas. Cogitabis autem τέμενος cum ara; ibi sacrificatum heroi et epulum habitum sub divo, inter haec corona dedicata. Eodem die carmen cantatum credo cum Boeckhio; et hic quidem in literis ad me datis, „dum καθαγίζεται, ait, ara coronatur, in epulo statim sequenti canitur carmen. Δαΐς vero tota comissatio est." Mihi incommoda videntur verba ἐν δαιτί, si adhuc erant in convivio, atque ita demum apta, si distinguitur convivii tempus ab eo, quo carmen canitur. Quare post has epulas dixi mihi carmen videri cantatum. [Consentit in scriptura loci Rauchensteinius II, 32., nisi quod τ' delet, quo alacrius feratur oratio et ὅς applicari sentiatur ad vv. τόνδ' ἀνέρα. Tum haec ita intelligenda: Pronuntia audacter deorum maxime munere hunc virum esse membrorum et oris tanta praestantia, qui die festo Aiacis aram victor sertis cinxit —, ut victoria in Aeanteis aliquando reportata quasi casu supra a poeta praetermissa in fine commode suppleatur. De Aeanteis Opuntiis scholia: ὡς τὰ ἐν Ὀποῦντι Αἰάντεια νενικηκότος καὶ ἐστεφανωκότος τὸν Αἴαντος βωμόν· ἄγεται δὲ ταῦτα τῷ Λοκρῷ Αἴαντι ἐν Ὀποῦντι. Cfr. Boeckh. C. I. nr. 1431.]

CARMEN OLYMPICUM DECIMUM (UNDECIMUM).

INTRODUCTIO.

Agesidamus, Archestrati filius, Locrus Epizephyrius, vicit puer pugilatu Ol. 74. Monente Boeckhio Pindarus Olympiae tum praesens (cf. fin. sequentis carminis) statim post victoriam hoc carmen scripsit in vespertina comissatione ibi canendum, quum alium maiorem hymnum suscepisset in Italiam mittendum ad sollemnia epinicia apud Locros post reditum Agesidami celebranda, quem licet sero, postea etiam misit, carmen dicimus sequens. Interim praeludit his strophis, quarum summa eo redit, ut nuntietur hymnus maior; ac quum Agesidamus trans mare in longinquis regionibus habitaret, quid aptius quam pignus dari promissi abituro? Atque hoc voluit esse propositum carmen.

EXPLICATIO.

V. 1—6. Principium. In rebus gestis ait carmine opus esse. De forma loci, qui oppositionem duorum membrorum habet, ut magis extollatur id, quo tendit oratio, cf. ad Ol. I init. [Ad formam exordii simillimum est Threnor. fr. 10.] — V. 1 sq. constructio: ἔστιν ὅτε ἀνέμων πλείστα χρῆσις, ἔστιν ὅτε οὐρανίων ὑδάτων. cf. Herm. ad Vig. p. 919. De sententia tenebis Pindarum, ut solet proximis uti et praesentibus, non longe petitis, quum Agesidamo per mare redeundum esset, commode a ventis ordiri naviganti necessariis, quibus deinde pluviam addit agricolis utilem, ipsa concinnitate ductus. Legitime enim navigatio et agricultura componuntur, cf. v. c. Soph. Antig. 334 sqq. — V. 3. παίδων, cf. ad Ol. II, 32. — V. 4 sqq. Sensus: res gestae autem carmine opus habent, pro quo pulcrius dicit sic: Res autem qui bene gessit, ei hymni sunt fundamenta et initia futurae memoriae (quum per eos notae fiant res gestae), et pignus magnarum virtutum (quum testentur virtutem posteris fide firmissima). — σὺν πόνῳ, ut in pugilatu. — V. 5. ὑστέρων λόγων, futurae apud posteros mentionis et laudis. — V. 6. τέλλεται. De schemate Pindarico vid. Boeckh. ad Ol. VIII, 8. Nott. critt., Hermann. ad Soph. Trachin. 517. Matth. Gr. Gr. §. 303, 1. Quum verbum in hac constructione in principio ponatur apud Atticos, Hermannus etiam hic nunc iterum post λόγων interpungi vult, quod valde ieiunum. [Male Phil. Wagnerus Quaestt. Virg. IX. p. 406. ὕμνος scribendum arbitrabatur, quo schema illud Pindaricum obscuraretur. Nempe ipsa collocatio verbi τέλλεται arguit assimilari id sequenti πιστὸν ὅρκιον, unde ἀπὸ κοινοῦ elici potest τέλλονται ad ἀρχαί.]

V. 7 — fin. Significata generaliter utilitate carminum, nunc paulatim ad Agesidamum transit et hymnum epinicium ei promittit. — V. 7. ἀφθόνητος cett. Merentur autem, ait, omnium iudicio inprimis Olympionicae hanc per carmina laudem. ἀναπείσθαι nosti vel e Pausania de statuis aliisque sacris donariis pretiosis in ludorum locis. Quodsi igitur Olympionicis factorum per carmina monumentum exstat, sacrum illud et intactum habetur et ἀφθόνητον est, h. e. nemo non meritum dicit. — V. 8. τὰ μέν, quae quidem, h. e. tales Olympicas laudes, ego canere volo. — V. 9. ποιμαίνειν, regere, gubernare, ducere, inprimis autem curare, fovere, alere significat, similiterque ποιμήν, dux, aut possessor et dominus est aut curator; cf. Ol. XI, 88. Nem. VIII, 6. Isthm. IV, 14. Add. Plat. Lys. p. 209. A. Anacreon Carm. LX. Long. Pastor. II, 5. Abresch. ad Aeschyl. T. III. p. 9. Iacobs. ad Anthol. Gr. XII, p. 150. Tafel ad h. l. Denique cf. βουκολεῖν, de quo vid. laudata ap. Blomfld. ad Aesch. Agamemn. 652. — V. 10. ἐκ θεοῦ cett., a deo enim adiutus vir nunquam caret inventionis sollertia, sed floret semper sapienti ingenio, ut fidenter tale carmen in se recipere et promittere possit. [Heimsoethius p. 16. „Canam, si dii volent, ex quibus homo sapienti semper floret ingenio. Itaque religiosum poetae additamentum est dicentis: ἐν θεῷ γε μὰν τέλος, vel: spero autem deum, in quo uno omnis sapientum res nititur, conservare mihi ingenii vires ad promissum hoc digne perficiendum." Scholiasta: Καὶ ἡμεῖς καὶ οἱ ὕμνοι καὶ οἱ ἐγκωμιάζοντες τῆς τῶν θεῶν ἐπινοίας δεόμεθα.] — V. 11. ἴσθι νῦν cett. Scito igitur, Agesidame, me, quum tu praeclare steteris in pugilatu, dulce cantus ornamentum additurum coronae aureae a te reportatae, in quo ἐπί est praeter, insuper, cf. Matth. Gr. §. 585. γ. Cave enim vertas: propter ornamentum coronae reportatum canam ornamentum carminis tibi. Ceterum

κόσμος de carmine non uno modo, cf. Fragment. Pind. 103. Fragm. Parmenid. ed. Brandis v. 113. Plat. Phileb. p. 66. — χρυσέα dicitur ἐλαία pro pretiosissima, pulcherrima, unde χρυσοστέφανοι ἄεθλοι Ol. VIII, 1. et φύλλα χρύσεα Nem. I, 17., et δάφνη χρυσῆ Pyth. X, 40. — V. 15. ἀλέγων, fovens, ornans, cf. Alcaeum in Schol. οὐκ ἔγων Λύκον ἐν Μοίσαις ἀλέγω. — V. 17. μή μιν φυγόξενον στρατόν cett. Spondeo vos non venturos ad eam gentem tanquam ad inhospitalem populum, sed poesios gnarum et bellicosum. De construct. μιν — στρατόν cf. Herm. ad Vig. p. 637. Suspicatur Boeckhius ξενηλασίαν Doricam, ut in Aegina, hic minus severam fuisse. Ceterum pulcre hac re utitur poeta exhortans Musas, ut eo tendant ad epinicia; cf. simil. Nem. III, 2. IV, 12. — V. 18 sq. μηδ' ἀπείρατον καλῶν, ἀκρόσοφον, ad musicas Locrorum artes pertinent, de quibus docte ad h. l. exposuit Boeckhius. Fuerunt poetae apud eos plures, ut Xenocritus, Erasippus, Eunomus, Theano femina, alii, inprimisque nota Λοκρικὰ ἄσματα molliora et amatoria, Sapphicis Anacreonticisque ingenio similia. Denique notanda harmonia Λοκριστί, qua nonnulli Pindari et Simonidis aetate utebantur. Ceterum ad ἀκρόσοφον cf. Wessel. Herod. V, 124. [Voce ἀκρόσοφος utitur poeta lyricus incertus Plutarchi Morall. 1096. A. χορὸς εὐρύοπα κέλαδον ἀκροσόφων ἀγνύμενον διὰ στομάτων φθεγγόμενος, qui Simonides fuerit. Adde Meinekii Com. Poett. III. p. 622. Boeckhius quidem fr. inc. 135. (238.) Pindaro ipsi vindicat.] — αἰχματάν, cf. de rebus gestis Locrorum Heyn. Opusc. T. II. p. 55 sqq. Suavis autem coniunctio musicarum et bellicarum artium, laudata etiam Ol. XI, 14. 15. — τὸ γὰρ ἐμφυὲς cett. Non degenerasse dicuntur Epizephyrii, licet procul habitantes, a virtutibus et institutis patrum suorum, Ozolarum et Opuntiorum Locrorum, cf. Müller. Dor. II. p. 227. Boeckh. h. l. et Fr. Iacobs. *Leben und Kunst der Alten* III. p. 539. Inprimis Ozolae clari fortitudine. Pindari proverbialis loquutio de vulpe et leonibus fortitudinem et ingenium callidum et sollers significare videtur. — V. 20. αἴθων, Blomfld. ad Aesch. Sept. c. Theb. v. 444. — V. 21. διαλλάξαιντο, sine ἄν, cf. ad Ol. III fin. Denique ad universum locum de laudibus Locrorum illud notes velim, Olympiae haec cani in publico Graeciae conventu.

CARMEN OLYMPICUM UNDECIMUM (DECIMUM).

INTRODUCTIO.

Quum Pindarus carmen antecedens Agesidamo puero proxime post victoriam Olympiae profligaret, promiserat simul maius post reditum victoris, sed oblitus erat, ut ait. Hoc nunc mittit longo tempore post, quum Agesidamus aetate iam senior esset, ut caneretur in redeuntibus victoriae sollemnibus, fortasse singulis Olympiadibus repetitis. Solent autem victoriae plerumque cani a poetis recenti memoria, quum victor domum redux primum ibi epinicia celebrat, idque legitimum tempus est; sed multis demum annis post olim exspectatum carmen epinicium mitti absonum quodammodo posset videri et praeter rem, nisi ita id componas, ut, etsi sero missum, aptum et commodum veniat. Pindarus duo huiusmodi carmina fecit, Nem. III. et hoc. Igitur post prooemium, quum primum urbem laudasset et victoriam, tertium accedit ad certamen Olympicum, quod tractat uberrime. Narrat igitur primum, ut Hercules Cteatum et Eurytum devicerit, Augiae socios, post Augiae vastaverit urbem et ipsum regem occiderit, tum venerit Pisam ibique condiderit Olympia. Nempe Olympicum festum, ait Pindarus, Hercules sollemniter condidit καλλίνικος, praesente toto victore exercitu cum universa praeda, et fuerunt sic prima Olympia Herculis epinicia. Exin poeta institutionem ipsam et primae sollemnitatis rationem describit. Designavit igitur Hercules Altin diis duodecim, campum extra Altin comissationibus epiniciis, et Cronium collem nominavit; tum prima sacra fecit e primitiis praedae, ludosque habuit, quinquennalem simul reditum festi imperans. Adstiterunt sollemnitati Parcae, institutionem Olympiorum immutabili lege sancientes, et Tempus veram memoriam rei posteris traditurum, ut rite observarentur omnia prout acta essent primum. Ita vero nos quoque novimus universam primae sollemnitatis rationem, certaminum genera, nomina victorum et comissationem ludicram vespere fulgente luna laetis cantibus habitam. Atque ad hanc normam etiam nunc canamus victoriam; sero venit carmen, sed ut natus senili patri puer hereditatem

servaturus. Haec hactenus. Victoriam autem ipsam laudat in principio, ut dixi, et suaviter in fine iterum recordatur temporis illius, quum vidit Agesidamum Olympiae victorem iuventutis decore florentem. — Vides ex his Pindarum pulcherrime omnia consequutum coniunctim, quae postulari ab eo poterant. Canit aeternum Olympiorum institutum ritumque, eoque haec epinicia revocat. Quemadmodum igitur Olympia sacro ritu etiamnunc celebrantur quinto quoque anno, sic etiam privata singulorum victorum epinicia cantu ad normam priscae Olympicae comissationis recoli debent stato tempore, cf. Boeckh. ad Ol. I. p. 106. Venitque carmen commode hodie non minus quam olim. Quo quidem praeclaro posito fundamento carminis ornat simul victoriam ipsam, ut in vetusto hoc et nobilissimo ludo reportatam, ornat virum callinicum Herculis callinici tacita comparatione, qui omnibus Olympiae victoribus athletis summo exemplo suo praefulget; ornat denique urbem huius civis patriam. Ceterum cantatum est carmen in vespertina comissatione, opinor, lucente luna, ut olim Herculis tempore.

EXPLICATIO.

V. 1—9. Prooemium. Poeta carmen olim promissum oblitus memoriae lapsu, non consulto fracta fide, nunc mittit, debitum cum usuris se redditurum significans. — V. 1. *Τὸν Ὀλυμπιονίκαν* cett. constructio notissima, cf. Matth. Gr. §. 296. Tu illud notabis, necessarium esse hoc genus, ubi accusativus ob vim sententiae primo loco poni debet. — V. 3. *γέγραπται*. Scholia afferunt Sophocl. Triptol. fr. 8. *Θὲς δ' ἐν φρενὸς δέλτοισι τοὺς ἐμοὺς λόγους*. Cf. de *δέλτοις φρενῶν* Boeckh. h. l. et Tafel. add. Blomfld. ad Aesch. Prometh. 814., ubi est: *ἦν ἐγγράφου σὺ μνήμοσιν δέλτοις φρενῶν*. Ceterum ratio loci haec est: Poetae subito in mentem venit se debere hymnum olim promissum, credit autem Agesidamo eum deberi, sed quum primo momento nondum clare recordetur, certone is sit, anxie quaerens, alloquitur iam forte adstantes, ut afferant tabulas et nomen recitent, h. e. adiuvent memoriam suam. Suavissimum hic ethos est. — At mendacii et malae fidei reprehensionem fortissime repulsam vult. *Ἀλάθειαν* invocat ob pollicitationem factam, *Μοῖσαν*, quum

pollicitatio ad poesin pertineat. — V. 4. *ὀρθᾷ χερί*, Schol. *δικαίᾳ*, sed praestat, opinor, propria significatio, erecta, h. e. minante manu, fortiter repellite, si quis talia dicere audeat. — V. 5 sq. *ψευδέων ἐνιπὰν ἀλιτόξενον* vertas: reprehensionem mendacii adversus hospitem, pr. *ἐνιπὰν ψευδέων ἀλιτοξένων*. Nam quum verba *ψευδέων ἐνιπὰν* quasi in unum nomen cogitatione contracta sint, sic subiicit *ἀλιτόξενον*, veluti Pyth. VI, 5. *Πυθιόνικος ὕμνων θησαυρός*, et *ὑμετέρα ἀκτὶς ὄλβου* Pyth. IV, 225.; cf. Lobeck. ad Aiac. 7. et Matth. Gr. §. 446, 3. not. c. Sed meo iudicio hic illud obstat, quod est alius personae *ψεῦδος*, alius *ἐνιπά*. Quare potius explices mendacii reprehensio dicens peccasse me in hospitem. Nisi Pindarus revera voluit *ἀλιτοξένων*, quod suspicor. — V. 7. *ὁ μέλλων χρόνος* videtur a veteribus dictus esse solutionis tempus promissae (*der zahlungstermin*), quod quum diu praeterierit, nunc e longinquo superveniens incessit eum et accusat. Ceterum ne quis hic lusum videat, lusus alienus est a re seria, nec unum tantum usum habent oxymora. Et hic quidem cum brevitate magnam vim quaesivit acuta hac oppositione praeteriti et futuri temporis. Haec ipsa enim subito in mentem veniens repugnantia tantopere perculit eum, ut nunc statim ad cantum accedat. — V. 8. *καταίσχυνε*, h. e. *ἔλεγξεν, ἐπονείδιστον ἔδειξεν, αἰσχύνης ἀξίαν μηνύει τὴν ὑπόσχεσιν*. — V. 9. *τόκος ὀνάτωρ, ὀνήσιμος, ὄνησιν φέρων* Hesych., proba, commoda, apta usura, h. e. hymnus promisso magnificentior. — *λῦσαι*, levare, minuere, tollere, ut *μελεδήματα, ἄλγεα, ἀνίαν, πόνους, φόβον, μίασμα*, alia.

V. 10—24. Ad rem ipsam accedit. Nunc, ait, videamus, ubi initium capiat oratio, et quomodo communem laudem bene solvamus. Nam propter virtutes egregias urbs laudanda est; Agesidamus autem victoriam tulit; denique, certamen Olympicum ut canamus, leges Iovis postulant. — Est igitur similis hic orationis forma ac supra Ol. II, 3 sqq., ubi pariter tria memorantur canenda, nisi quod ibi breviora commata, atque ut ibi in tertio membro est *γεγωνητέον*, sic hoc loco *ἀεῖσαι* (v. 24.), etiam antecedentibus membris applicandum. — V. 10. *Νῦν — ὅπα — ῥέον*; Constructionem optime expediunt Scholiastae: Nunc videamus (*σκεψώμεθα*), qua lapidem volutatum unda fluens deferet, h. e. quorsum feretur oratio fluctuans? — *κατακλύζειν* est proluere, nunc pro-

luendo provolvere, deferre. Comparationes fluminis in poesi ex ipso Pindaro notae, cf. Nem. VII, 12. Isthm. VI, 19. Vid. praeterea Mitscherl. ad Horat. Carm. IV, 2, 5. et Tafel. h. l. Sensus tamen non ubique plane idem. Et nunc quidem copia magna laudum significatur, ut quasi in flumine undis permittere debeas, quorsum orationem ferant. Neque enim probanda est Scholiorum explicatio, vituperationem undis diluendam intelligentium, in quo et repetitio antecedentis sententiae ieiuna et minime Pindarica inest, et gloriatio iniucunda. Hermannus autem ad Sophoclis Ai. v. 789. *νῦν ὅπα* cum *νῦν ὅτε* comparans videtur sic intelligere: Nunc lapidem volutatum unda provolvet; quod num commodiorem sensum habeat eo, quem supra posui, ipse videris. [In Boeckhii Disseniique difficilioris loci explicatione offendit primum, quod cum scholiis vett. interrogationem statuunt ab omisso verbo *σκεψώμεθα* suspensam. Sed id consimili exemplo caret. Deinde quum Boeckhius *ψᾶφον* materiem carminis iam motam, *κῦμα* poesin ipsam intelligit, poetae obtrudere non claram atque perspicuam imaginem videtur; quae in Dissenii interpretatione multo etiam magis obscuratur. Postremo durum a Boeckhio *ὅπα* diverso intellectu accipi, nec Dissenii qua satisfacit. Ex his angustiis nos expediemus, quum *ὅπα* utrumque i. q. *ὅπως* significare statuimus, ut poeta sese exhortetur ipse: Nunc age, lapillum volutatum fluens unda ferat, quo ferendus est — hoc inest in v. *κατακλύσει* — et communem rationem in iucundam gratiam persolvamus. Sic *ὅπα* i. q. *ὅπως* est vers. 56., conf. Ahrentem de Dial. Dor. p. 371. Particulam autem *ὅπως* in enuntiatis cohortativis sic usurpari notum est, velut dicitur: *Ὅπως οὖν ἄνδρες ἔσεσθε, Ὅπως μηδεὶς πεύσεται* etc. Verum ne sic quidem lapilli provoluti imago satis apta et illustris videtur; interpretes certe suo quisque modo lapillum varie accipiunt. Quidni igitur sequamur scholia, quorum haec est explicatio: *ὡς ψῆφον ἐπ' αἰγιαλὸν κυλινδουμένην ἐκβρασσόμενον τὸ κῦμα κατακλύζει, τὸν αὐτὸν τρόπον κἀγὼ τὴν ἐπικυλιομένην καὶ ἐπιφερομένην μοι μέμψιν ἐκκλύσω καθάπερ ψῆφον.* Certe comparationem carminis sui cum lapide hinc, opinor, licet sumamus. Nihil enim aptius videtur hac sententia: Nunc, ut proiectum lapillum facile haurit unda, sic rationem nostram nullo negotio iucundam in gratiam solvemus. Quae sententia restituetur verbis sic emendatis: *νῦν ψᾶφον ἑλισσομέ-*

ναν ὅπα κῦμα κατακλύζει ῥέον, ὅπα δὲ κοινὸν λόγον κτλ. Et ita veteres quosdam vel intellexisse vel legisse et ex circumlocutionibus apparet et ex scholio hoc: *οἱ μὲν ὅπου, οἱ δὲ ὅπερ, τινὲς ἀντὶ τοῦ ὡς.* Qui autem prius *ὅπα* sonare *ὡς* volebant, eos alterum pro eo q. e. *οὕτως* accipere consentaneum fuit. Sic Callimachus aliique relativis formis utuntur, velut: *Ὀκκόσον ὀφθαλμοὶ γὰρ ἀπευθέες, ὅσσον ἀκουὴ Εἰδυλίς.* Conferas quodammodo Nem. IV, 4. et vid. Wüstemann. ad Theocr. IV, 39. Quod autem *κατακλύζει* posui, feci, quia et optimus quisque codex *κατακλύσει* offert et scholia praesenti ipso utuntur. Quanquam ne futurum quidem a comparatione alienum. Alia molitur Rauchensteinius II. p. 34.] — V. 11. *ὅπα τε* cett.: Et qua communem laudem (quum tria canenda sint) iucunde solvamus. Igitur *ὅπα* bis proprie est qua. [*λόγον* verissime admonuit Kayserus p. 27. dici summam pecuniae debitae. Rectius *κοινὸν λόγον* dixeris rationem inter Agesidamum et Pindarum contractam.] — V. 13. *Ἀτρέκεια*, veritas iudiciorum, dictorum et conventorum, s. fides et iustitia publice privatimque. — De republica Locrorum Epizephyriorum eorumque legibus a Zaleuco conditis cf. Müller. Dor. II. p. 227 sqq. De poesi et bellica fortitudine (Nossis Anth. Pal. VI, 132.) cf. supr. Ol. X fin. — Nunc ad Agesidamum transire vult. — V. 15. *Κύκνεια μάχα.* De Cycno Martis et Pelopiae filio, quum victimas Apollini Delphico destinatas raperet, in luco Apollinis Pagasaei ab Hercule occiso vid. Hesiod. Scut. Herculis et Boeckh. ad h. l. add. Müller. Dor. I. p. 205. Herculem initio pugnae recessisse tradiderat ante Pindarum Stesichorus in Cycno, cf. Schol. et Müller. Dor. II. p. 480. Nunc vide poetam. Quum Pindarus in transitu pulcre cavere soleat, ut omnia nexa sint, cf. ad Ol. IX, 67., ego haec verba primum ad Locros traham, sive in bello adversus Anaxilaum, cf. Pyth. II., sive alio tempore hoc iis acciderit, deinde ad Agesidamum, qui similiter adversario primum cessisse videtur. Neque enim talia reticentur, cf. Nem. IV, 28 sqq., immo iucundam post victoriam recordationem habent. Quodsi solos Epizephyrios intelligas, non eleganter civitati opponetur hac in re Agesidamus, ac difficile eius certamen fuisse v. 22. prodit. Sin de Agesidamo tantum cogites, ut vulgo fit, quum bella gesserint Locri, sine causa quae de fortuna bellorum dicuntur divellis ab horum bellicis rebus. Iam nexus hic: „Sunt etiam

bellicosi. Sed ut cedat paullisper, etiam fortissimo proeliatori accidere potest; in pugilatu vero quod Olympiae vicit et superior discessit adversario ingruenti, Ilae institutioni debet Agesidamus." [De forma *Κύπνεια* cf. Addend. p. 352. et A. Heckeri comm. Anth. Gr. p. 215. Mehlhornii que Gramm. I, 139. Ad rem pertinet quod Welckerus sagaciter observavit Scrr. Min. I. p. 150., subtili iudicio poetam Cycneum potissimum praelium commemorare. Nam licet hoc propter solius Agesidami popularium ve aliquem casum videatur positum, simul tamen quum Stesichoriae poesis admoneat poeta, Locrensibus *μέλειν Καλλιόπαν* subindicatur. Fuit enim Stesichorus origine Locrensis.] — V. 17. *Ἴλᾳ φερέτω χάριν*, haec verba, quae Boeckhius de exhortatione magistri inter certamen intelligit videntis cedentem discipulum, Tafelius melius de institutione capit. Nam exhortationes aliptarum ante certamen novi, cf. Fabr. Agonist. II. c. 31., sed inter certamen nihil huiusmodi licuisse probare videtur ibid. laudatus locus Chrysostom. Homil. 42. — V. 19. *ὡς Ἀχιλεῖ Πάτροκλος*, h. e. ut Patroclus ab Achille quasi magistro grandia facta didicit, quum in consortio eius viveret et semper iuxta eum pugnaret, conf. Ol. IX, 75 sqq. Patroclum, Opuntiorum heroem domesticum, etiam ab Epizephyriis cultum videri bene monet Boeckhius. — V. 20. *θήξαις* de alipta docente, cf. Isthm. V, 73. Sensus: Docendo potest aliquis hominem natura ad virtutem factum ad ingentem gloriam impellere. Cet. cf. *θήγειν τὰς ψυχάς* Xenoph. Cyrop. I, 2, 10. 6, 41. nec non *θήγειν τὸ φρόνημα* ibid. II, 1, 13. Add. Wyttenb. ad Plutarch. Apophth. Lacon. p. 235. [Cf. Addend. p. 352.] — V. 22. *ἄπονον* cett. Hermannus: „Pauci quidam sine labore eam adepti sunt gloriam, quae prae quibusvis praeclare factis vitam reddere iucundam posset, ita ut qui ea frueretur ne opus quidem haberet ulla exercitatione virium et contentione." — *φάος* est igitur iucunditas, felicitas, ut saepe. [Rectius Heimsoethius p. 17. „Pindarus Agesidamo non sine laboribus victori hanc sententiam cecinit: Sine labore vix ullus victoriae gaudium adipiscitur, quo non maius ex ullo hominibus existit opere. Quibus illi una dicit operae pretium esse, pro tanto bono labores etiam gravissimos laborasse."]

V. 24—75. Tertium accedit ad certamen Olympicum eiusque institutionem persequitur. — V. 24. *Θέμιτες Διός*, sacrae leges, decreta, instituta Iovis. Nam ut omnia circa Olympia aeterno ordine constituta esse sequentia docebunt, sic etiam laus et honor ludorum in epiniciis a Iove praescriptus est, quanquam non ubique data opera hoc fit, ut Ol. I. III. et hic, sed plerumque breviter aut indirecte, celebrata victoria; cf. Boeckh. Cur autem omnia hic ad *θεσμόν* referantur, Introductio ostendit. — *σάματι*, Ol. I, 93. — [V. 25. Rauchensteinius II. p. 34. *ἐξάριθμον* cum Kaysero ad *ἀγῶνα* refert, qui ipso Pindaro auctore sex generibus antiquitus constabat, stadio, lucta, pugilatu, quadrigis, iaculo, disco, vide v. 67—75. Quae certamina quum postea varie mutata sint, Pindarum opinatur voluisse tradere, qui fuisset ab initio numerus, quae ratio certandi. Suspicatur igitur poetam scripsisse: *τὰ πρώθ' ἐξάριθμον ἐκτίσσατο*, scil. *Ἡρακλέης*. Hoc vero durissimum est, ex v. 30. subiectum huc arcessi.] — V. 26 sqq. De Cteato et Eurvto Molionidis vid. locos ap. Boeckh., inprimis Sturz. Pherecyd. p. 178. Oppressit eos Hercules prope Cleonas ad Isthmum per inducias proficiscentes ex Elide, quum antea Herculi causa fuissent infausti exitus expeditionis contra Augiam susceptae propter mercedem pro stabulo purgato negatam. Sublatis igitur iis iterum copias duxit contra Augiam. [De Molionidis cf. quae dixi ad Ibyc. Rheg. p. 175 sq.] — V. 28 sqq. *λάτριον μισθόν*, operariam mercedem. — V. 29. *ὑπέρβιον* cum *Αὐγέαν* iunge. — V. 30. *ὑπὸ Κλεωνᾶν*, cf. Müller. Dor. II. p. 433. et Strab. VIII, 6., qui dicit esse urbem *ἐπὶ λόφου περιοικουμένου παιταχόθεν*. — *καὶ κείνους*, ut alios plurimos. [Neque Dissenius *καὶ κείνους* recte explicat nec qui cum *δάμασε* iungunt. Potius hoc voluit poeta: *καὶ κείνους ἐφ' ὁδῷ*, h. e. *ἐπὶ λόχῳ* vel *ἐνέδρᾳ*, domuit, ut ipsi antea *μυχοῖς ἥμενοι Ἄλιδος* exercitum Herculis adorti erant. Scholia: *Ὅτι ἐν τῷ πρὸς Αὐγέαν πολέμῳ ὁ Ἡρακλῆς ὑπὸ τῶν Μολιονιδῶν ἁλοὺς ἔφυγε, διὸ μηνίσας αὐτοῖς τὸν περὶ Κλεωνὰς συνεστήσατο λόχον, φησὶ Μνασέας ὁ Παταρεύς.* Ad *ἐφ' ὁδῷ* cf. Il. *Λ*, 151: *ἢ ὁδὸν ἐλθέμεναι ἢ ἀνδράσιν ἶφι μάχεσθαι*, coll. v. 225 sq. et Demosth. Aristocr. §. 53. ibique Weberum p. 223.] — V. 32. *στρατόν*, adversus Augiam ductum, Epeorum regem. Ad *ἔπερσαν* cf. Nem. III, 37. — V. 33. *ἥμενοι*, insidiati. — V. 34. *Μολίονες*, de forma v. Buttm. Gr. ampl. II. p. 333. (435 Lob.). — *ξεναπάτας*, cf. Eurip. Med. 1392. — V. 36. *πατρίδα* iunge cum *πόλιν*. — V. 37. *εἰς ὀχετὸν ἄτας*. Notae sunt loquutiones, tragicorum maxime, *κακῶν πέλαγος*, *κύματα συμφορᾶς*, *ἄτας*

κλύδων, cf. Monk. ad Eurip. Hippol. 824., et ipsum βάθος κακῶν Aesch. Pers. 718. Eurip. Helen. 310. Pindarus hic ὀχετὸν ἄτας videtur quasi fossam perniciei dicere a Tirynthiis factam. — V. 38. ἵζοισαν εἰς, nolim pro ἐν dictum accipere; quum enim ruentem videat urbem et ruentem in profundam perniciem, motus notio aptissima. Ceterum cf. Virg. Aen. II, 624: Tum vero omne mihi visum considere in ignis Ilium. Vides post haec omnia totum locum a Pindaro ornatissime tractatum, quod propter Herculem factum et ad augendum splendorem victoriae. — V. 40. ἀποθέσθαι, cf. Ol. VIII, 68. — V. 41 sq. Quare etiam ille mortem non effugit, quum temere (Aesch. Sept. 747. ἀβουλίαις γείνατο μόρον αὐτῷ) postremus captioni occurrisset, deprehendi se passus esset. [ἀβουλία est universe stultitia Augiae, ex qua improbus fuit fortiorisque sibi iram excitavit; ὕστατος e. i. quod τέλος, τελευτῶν nec de tempore obsidionis dictum est; ut sententia loci haec sit: Contentionem fortiorum amoliri difficile: et ille imprudentia sua postremo captus et necatus est. Cf. Heimsoeth. p. 18.] — Absolvimus hic primam partem narrationis mythicae, quae in victoria Herculis versatur. Etenim Hercules Olympia instituit victor e bello contra Molionidas et Augiam, quemadmodum Pythia condita sunt propter Apollinis de Pythone victoriam, atque, ut alia omittam, etiam Panathenaea suspicatus est Müllerus dissertat. tert. de Phidiae vita et operibus in Commentatt. Societ. Gotting. ann. 1827. ad certamen Minervae contra Neptunum referenda esse. Sic igitur Olympia prima origine fuerunt epinicia Herculis καλλινίκου, qua quidem re nihil hic dici potuit illustrius et ad ludorum et ad victorum laudem, qui Herculis exemplum imitantes, heroum athletarum principis, et ipsi facinora edunt Olympiae prisca rerum memoria et origine sollemnitatis non indigna. Atque hoc quidem loco etiam Boeckhius monet Agesidami simul respici certamen, qui primum cesserat, tum vicerat adversarium, ut Hercules, primum victus ab hostibus suis, postea victor eorum exstitit luculentissimus. Vides interiorem rationem huius loci.

V. 43—75. Sequitur altera pars narrationis mythicae de institutione Olympiorum ipsa. Locus non uno nomine memorabilis. Exponitur autem primum de dimensione et partitione loci, deinde de institutione festi, tertium de prima ludorum celebratione. — V. 43. ἕλσαις, cf. Buttm. Lexil. II. p. 146. — V. 45. ξάθεον ἄλσος mecum ne dubita hic esse universum τέμενος, quod circumscribit Hercules et Iovi dedicat. Arbores in illo templo tum nondum erant, cf. ad Ol. III, 18. Complectebatur autem hoc τέμενος tria loca, ut hic videmus, ubi Pindarus accuratissime loquitur et loqui debebat, Altin, campum huic adiacentem versus meridiem et orientem, denique a septentrione Cronium collem. Atque haec fuit Olympia. — περὶ — πάξαις, septo muniens separavit primum Altin, de quo nomine cf. Boeckh. Ceterum quod Pausan. V, 10, 1. Altin appellat τὸ ἄλσος τὸ ἱερὸν τοῦ Διός, h. e. lucum, eo ne decipiaris, ut hoc loco ἄλσος et Ἄλτιν confundas. — ἐν καθαρῷ, Hom. Il. XXIII, 61. VIII, 491. X, 199. Liv. 24, 14: purus et patens campus. — V. 47. δόρπου λύσιν, h. e. campum destinavit ad vespertinae comissationis requiem post ludos. Fuerunt enim ibi populorum privatorumque hominum οἰκηναὶ et ἑστιατόρια, hospitia et tabernacula, in quibus habitarent advenae et epularentur; cf. Boeckh. Idem λύσιν cum Scholiis explicat hospitium, deversorium, κατάλυσιν epulis; Hermannus autem persolvendas diis epulas sacrorum. Male. — V. 48. τιμάσαις πόρον Ἀλφεοῦ cett., h. e. consecrans haec loca Alpheo cum ceteris diis. Erat igitur Altis et adiacens campus duodecim diis sacer, ut Cronius Saturno et totum τέμενος Iovi. Hic verus sensus. Ad θεοὺς ἄνακτας cfr. Simonid. Cei fr. 51: θεῶν ἐξ ἀνάκτων ἐγένονθ' υἷες. — V. 49. μετά, cum, ipso incluso. De duodecim diis συμβώμοις cf. Schol. ad Ol. V, 8. — De Cronio cf. ad Ol. I, 111. II, 12. — V. 51. ἅς, ἕως. Sensus: Antea nomine carens tegebatur nivibus; nunc Saturni cultum accepit, et tectus est arboribus. Si enim non accepit arbores, sed vacuus et apertus mansit, sequetur eum antea sine nomine rigatum nive, nunc idem pati cum nomine, quod nihili. Immo antea plane neglectus et incultus erat, quod nunc mutatum. Ac dicitur εὔδενδρος Nem. XI, 25., ubi vide. Hactenus de locis. — πρωταγόνῳ τελετᾷ. Ut in puerorum eximiorum partu Parcae ipsae adstant, vitae cursum illustrem praesentes daturae et firmaturae, sic hoc loco adsunt, ut Olympiorum illustrem per tempora fortunam et ordinem statum immutabili lege sanciant, quod, per se clarum, ex universae narrationis consilio apparet certissime. Tempus quid velit, ipse poeta subiicit, ut mireris non ab omnibus animadversum; adest, cf. Boeckh., ut memoriam harum rerum servet et posteris tradat, qui aliter non possent rite observare omnia.

Atque ex hac traditione Olympica Pindarus etiam victorum primorum nomina suscepit. — V. 53. ἐξελέγχων, indicans, declarans. Simonid. fr. 156: *Οὐκ ἔστιν μείζων βάσανος χρόνου οὐδενὸς ἔργου.* — V. 55. τὸ δὲ σαφανὲς cett., perspicuam autem rei rationem tempus progrediens indicavit, quomodo omnia acta sint. — V. 56. ὅπα τὰν πολέμοιο δόσιν cett., h. e. quo pacto belli dona primitias sacrificarit dividens duodecim diis (cave cogites de praeda sociis divisa, quod alienissimum): sacrificium sollemne, offerendum postea ab Eleis similiter; tum quomodo una cum primo hoc sacrificio (*Ὀλυμπιάδι πρώτᾳ*) et ludis institutis (h. e. iudicio, certaminum ratione, ordine, praemiis) etiam reditum sollemnitatis quinquennalem imperaverit, praescriptis haud dubie mensibus statis et diebus. Sic nihil hic superfluum ex poetae mente; nam haec omnia tum ordinavit Hercules secundum Olympicam traditionem, ceterum fabulosam, ut apparet. Cf. Boeckh. ad Ol. III. p. 138. Müller. Dor. I. p. 252. — Illud restat, ut moneam Pindarum, supra partitionem locorum directa oratione narrantem, nunc indirecta usum esse. Etenim quae prosa oratio praemittit in principio aut subiungit in fine ad universum aliquem locum pertinentia poetarum ars saepe pulcrius in medio collocat. Licet igitur etiam locorum partitionem sanxerint Parcae, tradiderit tempus, tamen aptius de Parcis et tempore in media demum narratione dixit, quum ad ipsam sollemnitatis rationem venisset. Sic igitur hic proxima commode per obliquam orationem subiungit. Sed obliqua oratio in poesi nunquam continuari potest diutius. Quare in sequentibus, ubi certamina narrantur, suaviter ad directam orationem redit. — V. 63. ἀγώνιον ἐν δόξᾳ θέμενος εὖχος, h. e. ludicram gloriose sibi parans victoriam, ut Boeckhius vidit. εὖχος, κῦδος, δόξα de victoria sunt notissima; sed minus est εὖχος quam κῦδος et δόξα, unde hic recte ἐν δόξᾳ addi potuit. — θέμενος, sibi parans, cf. Herm. ad Vig. 761. Inprimis frequens βουλήν, θυμόν, νόον, al.; cf. Nem. X, 89. Blomfld. ad Aesch. Prometh. 169. Infr. Ol. XIII, 54. Sed nota satis etiam alia, ut πρόσοψιν θηκάμενος Pyth. IV, 29., ut proprie ὅπλα τίθεσθαι quis dicitur. [Emperius ἐν δόξᾳ θέμενος explicat: animo concipiens, sperans. Sane tum facilius intelligitur, cur ἔργῳ καθελὼν additum sit.] — ἔργῳ καθελών, ut Pyth. V, 20. εὖχος ἑλών. Ceterum qui tautologiam hic queruntur, obliti sunt multa apud omnes scriptores cumulate dici, non perspicuitatis causa,

sed ad vim et ornatum. — Victores, qui nunc nominantur, fuerunt heroes in Herculis exercitu, sed ex diversis Peloponnesi urbibus, ut statim prima Olympias quodammodo πανήγυρις esset, Hercule nunc quasi universae Peloponnesi duce; cf. Müller. Dor. I. p. 445. — V. 64. De Oeono Licymnii filio et de Echemo Tegeata cf. Boeckh. — V. 65. ποσσὶ τρέχων. Ut semel moneam quod notari non video, ποσσί ad vim oppositionis adiectum, quum πάλᾳ sequatur, quemadmodum etiam alias non vacant haec addita substantiva, ποσσί, χερσί, ὀφθαλμοῖς, οὔασιν, al., sed suis locis vim habent. — V. 66. στρατὸν ἐλαύνων, copias adducens Herculi. — Ἔχεμος, scil. ἦν. — V. 67. Doryclus ignotus. Sed de Semo Halirrhothii filio cf. Diphili choliambos in Scholiis h. l. (Meinek. Babr. p. 147.): τρέψας δὲ πώλους, ὡς ὁ Μαντινεὺς Σῆμος, ὃς πρῶτος ἅρματ' ἤλασεν παρ' Ἀλφειῷ. Adde Boeckh. Nott. critt. Erant Mantinenses Neptuni equestris gnavi cultores, et Halirrhothius Neptunius heros, ut monet Müllerus. Ceterum supple ἔφερε τέλος. — V. 72. [Ἐνικεύς nomen inauditum et vix Graecum. Quare verissime Meinekius in Annall. philoll. Bergkii et Caesaris a. 1845. p. 1066. δὲ Νικεύς emendavit. Quod ipsum Scholiastam legisse suspicor, qui ascripserit: ὄνομα κύριον ὡς Τυδεύς. Nam si Ἐνικεύς ob oculos habuisset, poterat notum nomen Ἐνιπεύς aptius comparare.] — ἔδικε πέτρῳ, Isthm. I, 24. Nem. I, 18. — ὑπὲρ ἁπάντων, cf. Nem. IX, 54. Isthm. II, 36. — χέρα κυκλώσαις, ut Hom. Od. VIII, 189: περιστρέψας δίσκον. — συμμαχία, socii militares. — V. 73. παραίθυξε, excitavit; cf. ad Ol. VII fin. Ceterum pro ultimis duobus generibus postea quinquertium institutum. Traditio fabulosa nomina quidem horum victorum servaverat, sed non patriam. Quae praeterea de toto hoc loco disputari possunt, vide in Excursu de certaminibus Olympicis. — V. 75. σελάνας φάος, luna illustravit vesperam, cf. Ol. III, 20. et ad ἔφλεξεν Ol. IX, 22. — V. 76. ἀείδετο, personabat cantu, veluti est αὐλεῖται πᾶν μέλαθρον Eurip. Iphig. Taur. 367.; cf. plura ap. Elmsl. ad Sophocl. Oed. R. 1094. Schaef. ad Longum p. 334. et Bernhardy Synt. p. 431. — πᾶν τέμενος, totus locus sacer, πᾶν ἄλσος, cuius partem vides esse τὸ κύκλῳ πέδον supra dictum. — V. 77. τὸν ἐγκώμιον ἀμφὶ τρόπον, modo qualis adhibetur laudibus victorum in comissationibus.

V. 78 — fin. Redit ad victorem carmenque absolvit. — Primum locum verto: „Primordia prisca sequuti

etiam nunc dignum victoria eximia ornamentum canemus tonitru et ardenti manu vibratum telum Iovis, fulmen in omni victoria praesens." — V. 78. *ἐπωνυμίαν* cum emphasi dictum. Nempe hymnus epinicius nomen habet a *νίκη*, nunc autem cantum canere vult, qui iure habeat nomen a victoria, h. e. qui par sit ei et plane dignus; ac statim sequuntur magnificentissima verba. Quare accusativum, *ἐπωνυμίαν χάριν*, vides appositionem esse sequentium *κελαδησόμεθα — ἀραρότα*, cf. Matth. Gr. §. 432, 5. — V. 79. *ἀγερώχου*, cf. Buttm. Lexil. II. p. 98. — V. 80. *πυρπάλαμον* (*das geschoss der feuerhand*), quum ardere videatur fulguratoris manus, dictum ut Aesch. Choeph. 21: *ὀξύχειρ κτύπος* et Eurip. Phoeniss. 1370: *λευκοπήχεις κτύποι χερῶν* (*die handschläge der weifsen arme*) aliaque multa tragicorum. E Pindaro cf. *μαλακόχειρα νόμον* Nem. III, 55. Boeckhius intelligit fabrefactum artificiose Vulcano et Cyclopibus, quod mihi hic longius petitum videbatur; propius est quod ego posui et magnificentius. Minus audax Horatius rubentem fulguratoris dextram dicit Od. I, 2, 2.; *βέλος* autem de fulmine notissimum, cf. Valcken. ad Eurip. Hippol. p. 225. Herod. IV, 79. VII, 10. — Verba: *ἐν ἅπαντι — ἀραρότα*, verti fere, ut Hermannus. *κράτος* victoria, ut saepe, v. c. Ol. I, 78. Isthm. VII, 5. *ἀραρότα* autem mihi dicere videtur nexum, iunctum, omni victoriae, h. e. inseparabile a victoriis, quum nulla victoria esse possit, nisi annuente Iove potenti fulmine suo. [Lobeck. Pathol. p. 268. comparat *κάλλει ἀρηρώς*, *ἀπηνείησιν ἀρηρώς*.] Boeckhius meus explicat: summae potentiae Iovis aptatum; ego vero pro generali notione definitius victoriarum auctorem significari malo. Universum locum ne quis tumidum dicat, praeclare Boeckhius in nummis Locrorum Epizephyriorum fulmen haberi notavit; huic igitur magnifico telo debetur Agesidami victoria. Simul Boeckhius fulmen omnium Locrorum commune insigne fuisse, eoque etiam Ol. IX, 5 et 12. pertinere acute suspicatur, quod in medio relinquo. Denique idem in prytaneo carmen nostrum cantatum coniicit, ubi propositum esset Locrorum insigne, fulmen. Quod ut non nego, tamen non necesse habeo statuere. — V. 84. *χλιδῶσα*, non mollis, sed plene sonans, cf. ad Ol. IX, 2. — *ἀντιάξει*, obviam ibit, respondebit tibiae. — V. 85. *φάνεν*, cf. Ol. II, 84. — V. 87. *ἵκοντι νεότατος τὸ πάλιν ἥδη*, qui iam venit ad aetatem iuventuti contrariam, h. e. senectutem. De loquutione

τὸ πάλιν, *τὸ ἔμπαλιν*, *τὰ ἔμπαλιν*, *ἔμπαλιν* c. genit. Boeckh. laudat Ol. XII, 11. Pyth. XII fin. Eurip. Herc. fur. 773. et Valcken. ad Hippolyt. 388. Aesch. Pers. 223. Add. Herod. VII, 58. Anthol. Palat. IX, 250. — Ceterum sententia veteribus valde frequentata. Exempla nonnulla attulit Tafel. Nihil Graecis antiquioribus tristius quam non habere progeniem, cf. Herod. VI, 86 fin. add. Müller. Dor. II. p. 192. — V. 88 sqq. Confer cum his laudatum a Boeckhio Menandri dictum p. 230. Meinek. et Gatak. ad Antonin. Phil. p. 248. D. et Eurip. Ion. v. 275. 491. — *ποιμένα*, dominum, possessorem, cf. ad Ol. X, 9. — *ἐπακτὸν ἀλλότριον*, non interpretandi causa alterum alteri subiicit, sed ut magis extollat id, in quo tristitia rei inest. — V. 91 sqq. *καί* pr. *οὕτω καί*, cf. ad Ol. VII, 7. Comparatio haec est: Ut filius patri senili desideratus venit, sic etiam victori carmen, quamvis sero missum; sed quum interiecta sint verba: *ἐπεὶ πλοῦτος — συγγερώτατος*, mortis cogitationem continuans dicit in hunc modum: Ita etiam qui post res bene gestas sine carmine discessit, brevem habet hilaritatem. Faciunt talia saepe scriptores, non obliti quae dixerant, ut multis videtur, sed scientes et consulto, ne abruptius cogitatio et oratio ad priora redeat, sed continuo omnia flumine decurrant. — Ceterum ex Pindari hoc loco colliges Agesidamum in seniorum certe aetate tum fuisse. — V. 93. *κενεὰ πνεύσαις*, vana conatus, coll. Nem. III, 41. Pyth. II, 61. Is inutili conatu, ait, brevem fructum consequutus est. — *ἔπορε — τερπνόν*, labori brevem iucunditatem pro praemio paravit, in quo cave *μόχθον* personam credas esse, cf. ad Ol. II, 17. 19. Ceterum ad universum locum cf. Horat. Carm. IV, 8, 21. ibiq. Mitscherl. — *τὶν δ'* cett. Tu non eris tam infelix, tibi dulcissimus cantus paratur. — V. 94. *ἀναπάσσει*, adspergit. — V. 95. *τρέφοντι*, augent autem gloriam factorum Musae, et fit celeberrimum quod canitur a Musis. — *εὐρύ*, ut ampla fiat, cf. Ol. I, 68. — V. 97. *συνεφαπτόμενος*, scil. *τοῦ ἔργου*, una cum Musis operam navans huic rei studiose laudavi populum Locrorum et Agesidamum. Exempla significationis cfr. apud Baehr. ad Plut. Philop. p. 14. — V. 98. *ἀμφέπεσον*, amplexus sum, proprie dictum Hom. Od. VIII, 523., nunc pro colui amice et rebus eorum lubens me dedi. Sic *ἀμφαγαπάζειν*, *ἀμφαγαπάζεσθαι* est fovere, benigne, amice tractare. Add. etiam ad Ol. I, 8. — *μέλιτι καταβρέχων*, Isth. V, 21: *ῥαινέμεν εὐλογίαις*. — V. 101. *βωμὸν παρ' Ὀλύμπιον*,

h. e. in stadio Olympico, Pindaro Olympiam designante a potiori, quum ara maxima Iovis dignitate prae reliquis Olympiae locis emineret. Apud Xenoph. Hist. Gr. VII, 4, 29. sensus videtur hic, stadium relictum propter hostes appropinquantes, et luctatores versus aram regressos inter stadium et aram certasse, ne turbarentur. Ceterum distat ara a stadio ex Müller i ratione nonnisi CC pass. Roman. — V. 104. ὥρᾳ κεκραμένον, μιχθέντα, Pyth. X, 41. add. Blomfld. ad Aesch. Choeph. v. 732. — ἅ ποτε cett. Sensus: Quae non levis dos est, sed pretiosissima, et quae immortalitatem adeo paraverit interdum pueris. Tecte, sed eximie comparat puerile decus Agesidami cum pulcritudine Ganymedis. — V. 105. ἀναιδέα, Theogn. 207: θάνατος ἀναιδής. — Denique universi huius loci admirabilis pulcritudo in eo inest, quod omnem viri laudem pristinam in fine complectens Pindarus ex diu praeterito tempore tam clare et luculenter resuscitat, praeclare nitens, ne quid detrimenti cepisse videatur gloria viri, diu cantu carens, ut nunc recentibus coloribus quam integerrima posteritati tradatur. Atque ita eximio exitu finitur carmen.

CARMEN OLYMPICUM DUODECIMUM.

INTRODUCTIO.

Ergoteles Himeraeus, vir eximius, Cnoso Cretae intestina seditione pulsus, Himeram in Siciliam venerat ante Ol. 72, 3., ubi quum civitatem consequutus esset et alios honores, exin, ut par erat, in certaminibus Himeraeum renuntiari se voluit. Atque haec quidem Olympica victoria reportata est Ol. 77. Ante in Pythiis vicerat bis, et in Isthmo; post Ol. 77. autem iterum vicit Olympiae alio tempore, et bis Nemeae, ut praeclarum cursorem eum appareat fuisse. Cfr. praeter Pindarum Paus. VI, 4, 7. Acciderat autem paulo ante hanc, de qua nunc agitur victoria, ut Himera Agrigentino Theroni (Ol. II.), tum filio eius Thrasydaeo subiecta immiti hoc tyranno suo liberaretur, qui exeunte anno Ol. 76, 4. gravi proelio ab Hierone fusus imperio exciderat pulsusque perierat apud Megarenses: quo facto Agrigentini pacem fecerant cum Hierone et libertatem confirmatam acceperant, quod etiam

Himerensibus contigisse videtur. Quum igitur et urbs mirificam Fortunae vim experta esset et Ergoteles civis, carmen totum in huius deae potentia celebranda versatur, quod cantatum videtur in ipso fano quodam Fortunae, offerente Ergotele deae coronam suam. Pindarus tum erat in Sicilia. Docuit haec omnia Boeckhius uberrime.

EXPLICATIO.

V. 1—12. Fortunam invocat pro salute urbis. — V. 2. Τύχα, aliis poetis Oceanis habita, a Pindaro apud Paus. VII, 26, 3. (in Fragmentis ap. Boeckh. p. 565.) eximie Parcarum una dicta est. Parcae autem a multis et haud dubie a Pindaro etiam Iovis filiae habitae, summi fatorum rectoris. — Σώτειρα, cf. Ol. VIII, 21. add. τύχη σωτῆρ Aesch. Agam. 672. Soph. Oed. R. 80. Videtur Himerae fanum deae fuisse, ut Syracusis et aliis in locis. — Ἐλευθερίου Iovis honores in aliis Graeciae urbibus Boeckhius monet alienos esse ab hoc loco, ubi de Himerensium rebus agatur. Esse autem proxima cogitanda, libertatem anno antecedente probabiliter recuperatam post expulsum Thrasydaeum et pacem cum Hierone factam; antiquiorem esse quam quae huc referri queat expulsionem Terilli, tyranni ante Theronem urbi imperantis, et pugnam adversus Carthaginienses a regibus Siculis ad Himeram pugnatam. In qua sententia illud certissimum videtur, si huius carminis tempore Himera serviisset Thrasydaeo aliive tyranno, Pindarum non loquuturum fuisse de Iove Liberatore, etsi prius a Terillo et ab Afris liberati erant; unde vere monet Boeckhius tunc liberam fuisse urbem. Sed florente nunc libertate quidni etiam priorum temporum simul redeat memoria, si quid olim ab eadem dea simile contigerat, certe nobilissima illa de Carthaginiensibus reportata victoria sponte propemodum se offert. — ἀμφιπόλει. Comparat Tafel Anthol. Palat. T. II, p. 699. Epigr. 142, 8. Orph. Hymn. 55, 77. Et ἀμφιβαίνειν Homer. Il. *A*, 37. Callim. Del. 27. ibiq. Spanh. — V. 3. τὶν γὰρ cett. Quum poeta dicat: Tibi in mari gubernantur naves, in terra autem bella, vides eum de navalibus pugnis hic non cogitare, quales vix gesserat Himera. Est autem oratio tota Himerensium rebus accommodata. Potius de mercatura cogitandum urbis ad mare sitae. Ceterum conferunt Horat. Carm.

I, 35, 6., ubi vid. interprett., add. Iacobs Anthol. T. 12, 117. Tafel ad h. l. — πόλεμοι, ut olim pugna adversus Carthaginienses, nunc Thrasydaei et Hieronis. — V. 5. ἀγοραὶ βουλαφόροι, quales nunc Himerae sunt libertate restituta. Ceterum res externas et internas quum opponat, noluit πόλεμοι et εἰράνα dicere, et nulla hic est inaequalitas orationis vituperanda. — αἴ γε μὲν ἀνδρῶν cett. Hominum de rebus futuris cogitationes fluctuant nec quidquam certi in se habent, sursum deorsum feruntur in medio mari errorum; his igitur certo confidere non licet. — V. 6. πολλὰ — τὰ δέ, ut Nem. IX, 43., cf. Herm. Vig. p. 701. — ἄνω — κάτω κυλίνδονται, de iis, quae in mari feruntur. Inprimis frequens loquutio ἄνω καὶ κάτω μεταστρέφειν, μεταβάλλειν, ἕλκειν, μεταπίπτειν apud Platonem, cf. Ast. ad Phaedr. p. 378., quae modo turbare et confundere significat, modo in omnes partes versare, modo huc illuc fluctuare, ut ἄνω καὶ κάτω τὰς δόξας μεταβάλλειν Rep. VI. p. 508. Add. Phaedon. p. 90. C: πάντα τὰ ὄντα ἀτεχνῶς ὥσπερ ἐν Εὐρίπῳ ἄνω καὶ κάτω στρέφεται καὶ χρόνον οὐδένα ἐν οὐδενὶ μένει. — τάμνοισαι, percurrentes et agitantes vana rerum simulacra, ut naves fluctus maris secant, v. Pyth. III, 68. Hom. Od. III, 175. Horat. Carm. I, 1, 14. μεταμώνια Scholia explicant μετέωρα καὶ αἰρόμενα. — V. 7 sqq. Nec signum a diis quisquam certum consequutus est de eventu aliquo futuro. Nempe obscura sunt et variam interpretationem habent oracula, vaticinia ceteraque signa et omina deorum; cf. Nem. XI, 43. Eurip. Herc. fur. 62. add. Tafel. h. l. — V. 9. τῶν δὲ μελλόντων cett., sed, ait, futurarum rerum obcaecata, caeca est cognitio, prudentia. φραδαί, γνώσεις. — V. 10. ἔπεσεν, cf. ad Ol. VII, 69. — V. 11. ἔμπαλιν, Ol. XI, 87. — V. 12. βαθύ, ingens, ut κλέος, πλοῦτος, al. — πεδάμειψαν, nacti sunt; cf. Wunderl. Observatt. critt. in Aesch. p. 182.

V. 13 — fin. De Ergotele loquitur. — V. 15. τιμὰ ποδῶν, praeclara vis pedum. — κατεφυλλορόησε, defluxisset, consenuisset, interisset. — ἐνδομάχας ἅτ' ἀλέκτωρ, h. e. ἅτε ἐνδομάχου ἀλέκτορος τιμά, brevitate in comparationibus notissima eademque aptissima, quum plena oratio iciuna esset. Cet. cf. Ol. I, 7. [De certaminibus gallorum apud Graecos et Romanos uberrime exposuit Nieberdingius ad Ion. Chii Frr. p. 59 sqq.] — Sensus: Cretae tantum in patria certasses, non in sacrorum ludorum lucem progressus

esses, ut quum gallus domi pugnat, non in publica certamina producitur. Igitur Cretenses ea aetate non videntur ad sacros ludos profecti esse. Nisi credas hoc ad Ergotelen ita trahendum esse, ut eum Himerae feliciorem condicionem nactum esse statuas. Cretae autem si mansisset, eum non peregre abire potuisse. — De certaminibus coturnicum et gallorum (Lucian. d. Gymnas. c. 37.), ut apud Athenienses ex bello Persico, constat; laudat Boeckhius Ael. V. Hist. II, 28. et intt. Petit. legg. Att. p. 84. Dicuntur tales ἀλεκτρυόνες μάχιμοι, ἀθληταί, πλῆκται. Inprimis Tanagraeorum galli celebres, cf. Babrii fab. 5. et Columell. d. R. R. VIII, 2. Denique Heynius et Boeckhius monent gallum gallinaceum in nummis Himerensium haberi, ut facile in hanc comparationem inciderit poeta, praesertim quum etiam certamina gallorum in Minervae honorem ibi fuisse videantur. De domestico gallo confer Aesch. Eumenid. v. 846. — [V. 16. στάσις ἀντιάνειρα ab Eustathio Prooem. p. 8. inter λέξεις δριμεῖς censetur.] — V. 17. στεφανωσάμενος, cf. ad Ol. VII, 81. — V. 18. δὶς ἐκ Πυθῶνος, h. e. Pythiade 25 et 29., docte demonstrante Boeckhio. Hinc etiam in Isthmo bis vicerat. — V. 19. θερμὰ Νυμφᾶν λουτρά, h. e. Himeram, claram Thermis eximiis, quas Nymphae in Minervae gratiam Herculi ibi aperuerant; cf. Boeckh. h. l. et Müller. Dor. I. p. 427. — βαστάζεις, ὕψοις, Isthm. III, 8. ἐπαείρειν Ol. IX, 20. — ἁμιλέων παρ', ut Hom. Od. XVIII, 382. Sensus: Civitati adscriptus et habitans in propriis bonis, quippe domum et agros possidens ut civis; cf. Boeckh. Oecon. civ. Athen. I. p. 154 sqq. Universe de aquis Himerensibus et Thermis optime egit Cluverius Sic. Ant. II, 280 sqq.

CARMEN OLYMPICUM DECIMUM TERTIUM.

INTRODUCTIO.

Xenophon Corinthius, e nobili gente Oligaethidarum, stadio et quinquertio in iisdem ludis vicit Ol. 79. Etiam pater eius Thessalus cursu Olympiae vicerat Ol. 69., unde hic οἶκος τρις-ολυμπιονίκης dicitur. Praeterea etiam aliae victoriae non paucae

huius familiae fuerant, Xenophontis, patris, avi, aliorumque; gens autem paene innumerabilem copiam coronarum habebat, ut vix quidquam in hoc genere maius et illustrius exstitisse in Graecia credas. Videamus nunc rationem carminis. Post prooemium, in quo cum familia victrici Corinthum se cantaturum significat, ad singula urbis ornamenta accedens, dicit eam et ludicris victoriis plurimis et inventionibus ingeniosis conspicuam, ut dithyrambi, domiturae equorum, aquilae in aedibus, et poesi pariter ac bellicis studiis florentem. Quibus tractatis ad victorem transiens huius et familiae victorias recenset. Exin ad mythica tempora progreditur, Sisyphique et Medeae prudentiam memorat, et eorum qui ad Troiam steterant fortitudinem partim in Graecorum partim in Lyciorum exercitu. Lyciae res deducunt orationem ad Bellerophontem, quo loco data opera domituram Pegasi tractat a Minerva monstratam, tum bellorum mentionem facit, quae Pegaso insidens Bellerophontes gessit. Denique ad praesentes res rediens Oligaethidarum victorias laudat, loca enumerans omnia, ubi vicerint. — Perlustratis his omnibus, si de carminis compositione interiore quaerimus, primum perspicue patet Pindarum Corinthi decora potiora complecti voluisse, ita ut et fortitudinem ac rerum gerendarum studium et ingenii prudentiam et sollertiam doceret in hac urbe inde ab antiquo tempore floruisse. Ac fortitudo quidem urbis partim probatur rei gymnasticae studio insigni ludicrisque victoriis plurimis a Corinthiis reportatis, quo pertinent in hoc carmine Xenophontis familiae et Oligaethidarum laudes, — non minus vero eadem elucet bellicis rebus, quum et nunc Mars vigeat in urbe et olim Troiano in bello clari fuerint Corinthii, denique prius etiam Bellerophontes post inventam domituram mirabiles pugnas pugnaverit audax Pegaso per aerem vectus. Atque haec quidem de fortitudine; ingenii vero vis et sollertia mythico tempore conspicitur in Sisyphi et Medeae prudentia, historico autem inventionibus ingeniosis pluribus et poesios studio. Vides igitur quae leguntur in hoc carmine omnia duabus hisce virtutibus contineri. Quemadmodum autem in singulis hominibus nulla est pulcrior virium coniunctio, quam si ingenii sollertia et elegantia pariter ac robore et fortitudine valent, sic etiam in civitatibus, ubi duo haec ornamenta coniuncta sunt, nihil potest illustrius cogitari; ac quod suaviter supra Epizephyrios Locros

praedicari vidimus ἀκροσόφους et αἰχματάς, apud quos et Mars coleretur et Calliope, hoc nunc plenius et luculentius conspicimus in Corinthi laude propositum. Nec brevia haec et ad tempus, sed semper et per omnia tempora talis fuit Corinthus. Ac primum de historico maxime tempore et praesentibus rebus dicit, tum in medio carmine ad mythica assurgit, quo loco in Bellerophontae historia inventionis et fortitudinis laudem coniunctam exhibet; denique in fine carminis mihi quidem non magis de prioribus quam de futuro tempore dicere videtur. Etenim agitabatur a familia Xenophontea etiam alia victoria, ut ibi significatur; quam si ponimus equestrem fuisse, et praecedens locus de equi domitura per Bellerophontem nova luce collustratur, et exitus carminis plane magnificus exsistit, ubi mihi luculentum augurium novae maioris victoriae proponere et ipsum δαίμονα γενέθλιον excitare velle videtur gentis priorum decorum omnium conferta enumeratione. Atque ita cum optima spe futuri temporis absolvitur carmen, cui, credo, deesset aliquid sine tali exitu. Denique ut ad principium redeam, tot decora urbis praesentia, praeterita, futura quis credat contingere potuisse sine diis? Quo maiora enim et pulcriora bona sunt, eo magis necessaria ex ingenio veteris poesios est derivatio eorum a diis. Sic causam vides, cur in prooemio ordiatur ab Horis Corinthi cultis, quae prosperitatis civitatum auctores omnia etiam haec ornamenta per decursum temporis maturarunt. — Post haec restat, ut de sollemnitatis ratione dicam, in qua carmen cantatum. Atque in privata domo non cantatum esse plane certum, quum publica urbis decora eo contineantur, privataeque laudes hic nonnisi pars sint publicarum et ad has referantur. Neque vero in templo cani potuit aut in pompa ad templum, veluti Iovis; quae enim sic canuntur carmina, ea omnia necessario e deorum invocatione initium capiunt. Quae quum ita sint, ego cantatum suspicor, quum victor sollemniter introiret in urbem, et pompa victorialis duceretur per nobiliora urbis loca; ac publice etiam Boeckhius cantatum statuit. Post cantum ad ἑστιατόριον publicum aliumve locum perventum, ubi Oligaethidarum omnium paratum esset convivium.

EXPLICATIO.

V. 1—10. Prooemium. Cum familia victrici Corinthum se celebraturum significat praeclaram, ubi Horae habitent prosperitatis civitatum auctores. — V. 2. *οἶκον ἅμερον ἀστοῖς*, quum ex optimatibus esset familia. Nempe forma reipublicae aristocratica fuit, gentibus nobilibus *γερουσίαν* obtinentibus, populi concione iisdem fere legibus circumscripta quibus Spartana, ut Müllero videtur Dor. II. p. 151. — V. 3. *ξένοισι δὲ θεράποντα*, ut plurimum laus nobiliorum et ditiorum gentium; de Corinthiorum autem hospitalitate cf. Müller. Dor. I. p. 414. Ceterum nota laudis formula, civibus hospitibusque inservire; [epigr. in Pindarum Anth. Pal. VII, 35: *Ἅρμενος ἦν ξείνοισιν ἀνὴρ ὅδε καὶ φίλος ἀστοῖς*, v. de Hierone Pyth. III, 71. et] cf. Iacobs Delect. Epigramm. p. 271. — *γνώσομαι* active pr. notam faciam, celebrabo, ut vulgo explicant, sine exemplo est, nec aptum rei: neque enim recte Pindarus dicere potuit, se notam facturum cantu Corinthum, quasi ante eum nondum innotuerit eius laus in tot victoriis ludicris reportatis. Verto: Domum victricem laudans contemplabor mihi simul Corinthum praeclaram, qua loquutione nihil aptius in carmine, quod totum versatur in decoribus urbis. Ac quum Pindarus amet translationes a re praesenti ductas, adde in pompa per nobiliora urbis loca incedente carmen cantatum videri, ipso fortasse poeta praesente. Cf. cognoscere Athenas Propert. I, 6, 13., quod ibi quidem pro adire dictum. [Ego sic intelligam: Celebrans victricem familiam Oligaethidarum cognoscam Corinthum, quae pulcra prole gaudet, h. e. cognoscam, quo iure Corinthus tanquam *ἀφνειά* et *ἀγλαόκουρος* in laudibus sit. Ait igitur poeta confirmari nobilissimae familiae laudibus vetustam gloriam Corinthi. Ad *γνώσομαι* cf. Ol. VI, 97.] — V. 4. *τὰν ὀλβίαν — ἀγλαόκουρον*, divitiis virisque egregiis florentem, sed pro *εὔανδρον* iuventutem maluit dicere propter Xenophontem. De opulentia Corinthi nota omnia, Hom. Il. II, 570. Thucyd. I, 13. Müll. Dor. II. p. 27. 213. — V. 5. Verba *Ἰσθμίου πρόθυρον Ποτιδᾶνος* (vid. Addend. I. p. 352.) situm indicant in introitu Isthmi, sed magnificentius dicta sunt ob Isthmum Neptuno sacrum, cuius dignus introitus praeclara haec urbs. Ut igitur

Isthmus *τέμενος*, *ἕδος* Neptuni, sic Corinthus *πρόθυρον*. Eandem respexit Bacchylides, *ὦ Πέλοπος λιπαρᾶς νάσου θεόδματοι πύλαι*, in Scholiis. Appellabant enim vulgo ianuam Peloponnesi Corinthum, cf. Iacobs. Animadv. in Eurip. p. 100. Dicit igitur opulentam Corinthum, quae Isthmi magnificum vestibulum est aedificiorum praestantia, et cives eximios alere. De copula omissa v. ad Pyth. IX, 5. — V. 6 sqq. De Horis vid. Manso *Versuche über einige Gegenstände der Mythologie* p. 373 sqq. — *βάθρον πολίων ἀσφαλές* licet etiam Eunomia dici possit, hic inprimis *Δίκα* et *Εἰράνα* dicuntur, quoniam bonae leges et instituta stare non possunt, sed evertetur etiam optima forma reipublicae, ubi pro iustitia vis et iniustitia irrepserit et pro concordia civium dissensio. Abstractum *βάθρον* sine causa displicebat Heynio, quanquam *κίων*, *πύργος*, *ἔρεισμα*, columen, subsidium, alia dicuntur. [Hesiodus Theog. 901: Themis *τέκεν Ὥρας Εὐνομίην τε Δίκην τε καὶ Εἰρήνην τεθαλυῖαν*. Bacchylides fr. XII: *Τίκτει δέ τε θνατοῖσιν Εἰράνα μεγάλα πλοῦτον κτλ.* Idem fr. XXX. iungit *Δίκαν ὁσίαν, ἀγνάν, Εὐνομίας ἀκόλουθον καὶ πιννυτᾶς Θέμιτος*. Maxime autem dignus est qui comparetur egregius locus lyrici poetae apud Stobaeum Ecl. Phys. I, 1. p. 172. Heeren.: *Κλωθὼ Λάχεσίς τε — πέμπετ' ἄμμιν ῥοδόκολπόν τ' Εὐνομίαν λιπαροθρόνους τ' ἀδελφεὰς Δίκαν καὶ στεφαναφόρον Εἰράναν πόλιν τε τάνδε βαρυφρόνων συντυχιᾶν λελάθοιτε*. Quae Bergkius Poett. Lyr. p. 220. ad Pindari hymnum in *Τύχαν* revocabat; mihi ex carmine aliquo Thebanis scripto repetita videntur. De Horis autem nunc dignissimus est qui legatur perelegans commentariolus K. Lehrsii in Scriptis Popularib. de Antiq. fascic. 2. Regimont. Pruss. a. 1846. editus.] — Ad *ὁμότροπος*, moribus par ac conveniens, Tafel laudat Theophr. Char. XXVI. ibiq. interprett. — V. 7. *ταμίαι*, de feminina forma *ταμία*, nota ex Homero, cf. Ol. XIV, 9. et Boeckh. h. l. Ad rem cf. Valcken. ad Theocrit. p. 394. Inprimis *Εἰρήνη* audit *ὀλβοδότειρα, βαθύπλουτος*, coll. Pausan. I, 8, 3. IX, 16, 2. [*ταμίαι ἀνδράσι* (⏑ ⏑ — ⏑ ⏑) per synizesin coalescere putavimus omnes. Quod fieri posse qui negat Ahrens de crasi et aphaer. p. 17. aut syllabas *ιαι* in unam syllabam positione correptam coire existimat, ut in *χρυσέῳ ἀνὰ σκήπτρῳ, δενδρέῳ ἐφεζόμεναι*, aut licuisse Pindaro in nominativo declinationis primae elidere diphthongum pariter atque Iliad. *A*, 272. in *ὀξεῖ' ὀδύναι*. Confer ad Pyth. XI, 54.] — V. 9 sq.

ἐθέλοντι, cf. ad Ol. II, 97. — ὕβριν et κόρον nolim hic pro personis haberi, cf. ad Ol. II, 32. Sensus: studiose avertunt insolentiam demagogorum, qui verbis violentis excitant in populo fastidium, ut sua contemnat, aliena iura appetat. Apte Tafel confert Solonis locum XV, 7. (II, 7 sqq. Del.). Hic plebeiam insolentiam intelligit etiam Boeckhius. Prohibent hanc a Corinthiis Horae, per εὐβουλίαν puta, quam civibus impertierunt et studiose conservant. [Minus apte Rauchensteinius Introd. p. 58. „*Die töchter der Themis halten auf seite der regierenden ferne die gewaltthätige gesinnung.*"] Ceterum ut hic ὕβρις κόρου μάτηρ, sic Herod. VIII, 77: κόρος ὕβριος υἱός. Vulgatius contrarium τίκτει κόρος ὕβριν, Theogn. 153., ubi cf. Welcker. p. 93. — Denique universi loci sensus hic: Canam Corinthum, ubi Horae bonam rempublicam iustitia et concordia civium nixam fundarunt cum opulentia, avertunt autem insolentes turbatorum conatus, h. e. ubi praeclara fundamenta prosperitatis publicae ab Horis sunt constituta, ut mirum non sit optima quaeque ibi effloruisse. Ac de ceteris his ornamentis mox dicet; de bona republica, ut de matre ceterorum, nunc dicit. — Cultas esse Horas Corinthi recte coniecit Boeckhius ex hoc ipso carmine; nam hic omnia ab Horis ipsis derivantur, ac frigeret universum carmen, si de abstractis notionibus tantum, non de diis cogitares.

V. 11—46. Decora Corinthia historici maxime et recentissimi temporis. Ac primum quidem generatim laudes urbis tractat, deinde Xenophonteae familiae victorias, tanquam recentissimam publicarum laudum partem. — V. 11. τόλμα. Confidentiam et audaciam suam praedicat in splendidis et difficilibus argumentis, cf. ad Ol. IX, 82. — V. 12. εὐθεῖα, ut in εὐθυμάχας, pro fortis. — V. 13. ἄμαχον δὲ κρύψαι, cf. ad Ol. VII, 26. [ἄμαχον i. q. δυσκαταμάχητον, Bekk. Ann. I, 386, 27.] — τὸ συγγενὲς ἦθος Pindari est, quod gaudet difficilibus rebus. — V. 14. ὕμμιν δέ, quos et ipsos τὸ συγγενὲς ἦθος stimulat. — παῖδες Ἀλάτα. De Aleta Doriensium duce et conditore regni Dorici in urbe Corinthi vid. Boeckh. h. l. et Müller. Dor. I. p. 86 sqq. παῖδες autem non sunt ἔκγονοι, quum non physicus esset Corinthiorum pater Aletes, quippe nonnisi Bacchiadarum auctor, sed politicus, h. e. conditor civitatis praesentis. Similiter qui pater patriae appellatur, eius non ἐκγόνους, sed παῖδας dixeris cives. Callimachus Fragm. 103. Ἀληϊάδας

Corinthios nominavit, quod non videtur dicturus fuisse Pindarus. Patronymica enim forma antiquitus nonnisi de vera aut credita origine usurpabatur, veluti Ἐρεχθεῖδαι proprie sunt Pelasgi, veteres Attici ab Erechtheo oriundi, quibus mixti postea Iones eodem nomine comprehendebantur, quia displicebat Ionicum nomen, ut contrario modo in Doricis civitatibus, quales Aegina, Corinthus, Dorienses omnes audiunt, licet pars ex veteribus incolis esset. Sed ab Alexandrinorum tempore patronymica forma etiam de regibus et politicis conditoribus usurpari coepit, unde Latinis Romani Aeneadae dicuntur, Cyrenaei Battiadae in utraque lingua. — νικαφόρον ἀγλαΐαν, ludicrum decus, cf. Ol. IX, 99. — V. 15. ὑπερελθόντων, pendens a v. ἀγλαΐαν, superantium, a cursu petitum ut ὑπερβάλλεσθαι a iaculatione. — V. 16. ἐν καρδίαις, oppositum membrorum robori in antecedente versu significato. — V. 17. σοφίσματα, inventa ingeniosa, Aesch. Prom. 469. Aristoph. Nub. 206. — πολυάνθεμοι, ut in Orphico hymno XLII. Ceterum vides Horas, quum anni praesides essent et quicquid tellus ferret maturarent, deinde ampliore vi etiam civitatum florem et hominum vitam esse complexas, quo pertinent nomina supra posita, primum lecta apud Hesiodum. Sic non solum bonam reipublicae formam constituunt, sed etiam cetera quae in civitatibus bene constitutis haberi solent praeclara maturant, qualia hic sunt robur et ludicra decora; tum artium inventa ingeniosa, et quicquid in mentibus gignitur pulcri. Unde feliciter Pindarus omnia Corinthi decora ab uno Horarum numine derivat. — ἅπαν δ' εὑρόντος ἔργον, licet alii postea emendent, augeant, perficiant. [Dioscorides Anth. Pal. VII, 410. (Meinek. Delect. p. 81. XVI.) de Thespide tragoediae inventore: μυρίος αἰὼν Πολλὰ προεξευρήσει χἄτερα, τἀμὰ δ' ἐμά.] — V. 18. ταὶ Διωνύσου χάριτες, Dionysiaca festivitas venustior ob inventum dithyrambum per Arionem, de quo vid. Herod. I, 23. Müller. Dor. II. p. 569. Conferri potest Ἑρμία χάρις cum choris tibiaeque cantu Aristoph. Nub. 310. — V. 19. βοηλάτης, quum praemium victoris bos esset, vid. Bentl. Diss. Phalar. p. 321. Lips. Athen. X. p. 456. D. [„Verius Welckerus sacrificia boum intelligit," ascripsit Dissenius. Welckerus in App. Trilog. Aesch. p. 241 sq. βοηλάταν intelligebat dictum διὰ τὸ ἐλαύνεσθαι διὰ βοῆς, collato Aesch. fr. 409: μιξοβόας διθύραμβος. Quippe taurum dithyramborum victoribus poetis (vel chorodida-

scalis) praemium fuisse negabat. Quod refutavi ad Simonidis Cei epigr. CCII. p. 191., ubi est: *Ἐξ ἐπὶ πεντήκοντα, Σιμωνίδη, ἤραο ταύρους καὶ τρίποδας.*] — V. 20. Verto: quis frenis equorum moderamen indidit, s. frena moderantia invenit. *Μέτρα* enim sunt vis moderatrix freni, inprimisque *στόμιον*. Similiter Boeckhius: iustus modus, recta demensio ac commoda ratio. Ceterum *ἔθηκε* supplebis e sequenti *ἐπέθηκε*. — Sequitur aquila duplex (*οἰωνῶν βασιλεὺς δίδυμος*) deorum in templis. Quum enim ante quattuor latera tecti fuissent, videtur Corinthi primum fastigium triangulare in fronte posticoque factum et imposita aquila Iovis ex opere fictili. Vid. Boeckh. h. l. et Müller. Dor. II. p. 258. Archaeol. p. 34. Inest igitur loco architecturae et plasticae laus, unde docte Boeckhius de Corinthiorum artibus agit. Mercaturam et talia omittit poeta ut vulgaria. — V. 22. *ἀδύπνοος*, Ol. VI, 83. Prius urbs Eumelum viderat epicum poetam celeberrimum, sed non dubium est postea etiam lyricos ibi plures fuisse, e quibus Scholia Aesonem (Simonid. fr. XCV.) memorant; aliorum nomina perierunt. Erant enim plurimi lyrici inter Dorienses, clari in sua quique patria, non item omnes per totam Graeciam, veluti Pindarus Nem. IV. duos Aeginetas lyricos ex una gente laudat. Cf. Müller. Dor. II. p. 375. — Denique etiam bellica laude Corinthii videntur insignes fuisse terra marique, unde etiam multa ad bellicum apparatum invenerunt, ut galeam Corinthiam et triremium fabricationem; cf. Boeckh. [De Sparta similiter Terpander apud Plut. Lycurg. 23: *Ἔνθ' αἰχμά τε νέων θάλλει καὶ Μοῦσα λίγεια καὶ Δίκα εὖ ἀραρυῖα.* Laudes Corinthi his complectitur Strabo VIII, 585 sq.: *ἡ πόλις τῶν Κορινθίων μεγάλη τε καὶ πλουσία διαπαντὸς ὑπῆρξεν, ἀνδρῶν τε ηὐπόρησεν ἀγαθῶν εἴς τε τὰ πολιτικὰ καὶ εἰς τὰς τέχνας τὰς δημιουργικάς· μάλιστα γὰρ καὶ ἐντανῦθα καὶ ἐν Σικυῶνι ηὐξήθη γραφική τε καὶ πλαστικὴ καὶ πᾶσα ἡ τοιαύτη δημιουργία.*] — V. 24 sqq. Transit ad ludicra decora. Sed post tantas laudes orditur hunc locum ab ea sententia, quae Graeco poetae non poterat non necessaria videri: Utinam, Iuppiter, per omne tempus invidia absit ab his, quae cano, h. e. utinam nunquam minuas et deprimas praeclaram hanc prosperitatem, sed urbem serva et Xenophontem. Ceterum cf. ad Ol. VIII fin. — V. 28. *Ξενοφῶντος δαίμονος.* Unumquemque hominem habere genium suum nota est Orphicorum, mysteriorum, philosophorum doctrina, cf. Heind. ad Plat. Phaedon. p. 219. Meineke ad Menandr. Fragm. p. 203. Cuius rei initia haud dubie hausta erant e religione populi, qui in rebus gestis, in fortuna aut infortunio maiori singulorum hominum aut gentium non poterat non *δαίμονα* agnoscere s. vim divinam peculiarem, proprie in his ipsis versantem. Vid. Creuzeri Mythol. T. III. c. 1. Vulgo quidem in poetis et pedestribus scriptoribus *δαίμων*, ubi non deus est, vertitur fortuna, quod saepe sufficit, veluti Pyth. V fin. *Διὸς νόος κυβερνᾷ δαίμον' ἀνδρῶν φίλων*, at in aliis locis ita praevalet personae notio, ut genium vertere malis, ut quum in fine carminis Pindarus gentis Oligaethidarum *δαίμονα γενέθλιον* commemorat. Atque etiam hoc loco genium verterim cum Boeckhio, quia consulto poeta *Ξενοφῶντος δαίμονα* commemorare mihi videtur propter illum *γενέθλιον δαίμονα*, cuius vim infra disces. Cet. cf. Bergl. ad Aristoph. Nub. 1254. [et Lob. Agl. p. 766 sqq.] — *εὔθυνε*, cf. Anthol. Pal. VII, 164: *καὶ σόν, ὁδῖτα, οὔριον ἰθύνοι πάντα Τύχη βίοτον.* Ib. IX, 107: *διιθύνων εὐπλοΐην.* — V. 29. *δέξαι δέ οἱ*, abeo, cf. ad Pyth. IV, 23., et vid. Boeckh. Nott. critt. et laudata a Tafelio. [*δέχεσθαί τινί τι* ita dicitur, ut *ὁ δεχόμενος* alteri gratificari cogitetur eo, quod *δέχεται*.] — *στεφάνων ἐγκώμιον τεθμόν*, h. e. *κῶμον τέθμιον*, pompam cantumque propter coronas sollemni more tibi debitum. Atque omnis Olympicus hymnus canitur Iovi. — Verba: *τὸν ἄγει — Πίσας*, apprime conveniunt, victore nunc ipsum sollemniter in urbem introeunte. — V. 33. *σελίνων.* Olim coronae e pinu fuerant, tum successerat apium aridum, de quo cf. Voss. ad Virg. Eclog. VI. p. 324. et Schol. add. Tafel. et v. ad Isthm. II, 17. Serius reducta pinus, notante Boeckhio e Plut. Sympos. Qu. 5, 5. De *σελίνοις* Isthmiorum v. Euphorion. ap. Meineke Anall. Alex. p. 80 sq. — V. 34. *ἀντιξοεῖ*, Herod. VII, 150: *ἀντιξόους γενέσθαι.* Sensus: nec Nemea inimica est, sed favet, cf. Boeckh. et vid. not. ad Nem. V, 44. — V. 36. *αἴγλα ποδῶν*, gloria victoriae. — *ἀνάκειται*, publice habetur inter ornamenta Olympica, ductum a donariis statuisque Olympici luci decoribus. Idem simplex *κεῖται* Isthm. IV, 17. — V. 37. [*ἀλίῳ ἀμφ' ἐνί* dictum ut apud Suidam *ἀμφὶ ἔτει· ἐν αὐτῷ τῷ ἔτει.* Cf. Bernhardy Synt. p. 245.] — *μηνός — τωὐτοῦ*, videtur tempus Munychionis Attici intelligendum, quo Delphis Pythia acta, Athenis Munychia, Delphinia, Diasia equestria, nec tamen constat, qui nunc intelligendi sint ludi. Vid. Boeckh. Thessalus vicerat stadio, diaulo,

armato cursu, cf. Schol. — V. 38. ποδαρκὴς ἀμέρα, velox dies, h. e. in brevi spatio unius diei celeriter labentis ter certavit et vicit. ἀμέρα, cum emphasi, unus dies, vid. Doederl. ad Soph. Oed. Col. p. 370. Ceterum cf. ποδῶκες ὅμμα Aesch. Sept. 625. ποδῶκες χάλκευμα Choeph. 572. νόμοι ὑψίποδες Soph. Oed. R. 866. aliaque multa similia. Sed semper comparatio subest. Sic ποδαρκὴς ἀμέρα est tam velox, ut qui pedibus currat. — τρία ἔργα κάλλιστα, nervosa brevitate dictum pro trium victoriarum coronis, in quo voce ἔργον consulto usus est, ut significantiore, propter triplicem laborem indefessa vi uno die peractum. [Sunt vero coronae symbola factorum et imagines, unde metonymice possunt facta dici, in quibus quasi conspiciuntur facta. Simili metonymia Simonides fr. XXVIII, 2. dixit de Astylo: ἀνεδήσατο νίκας, ubi vide quae dixi.] — V. 40. Ἑλλωτία, consecrata Hellotidi sive Hellotiae Minervae, lunae lucisque deae, in quibus lampadibus decurrebatur; cf. Schol. et Boeckh., add. Müller. Dor. I. p. 398. Ceterum supple cum Boeckhio: ἔργα κάλλιστα ἔθηκεν ἀμφὶ κόμαις. — ἀμφίαλοι Ποτιδᾶνος τεθμοί, sollemnia Isthmia. Verto: „In Isthmiis autem contigerunt ei etiam longiores cantus cum patre Ptoeodoro et Terpsia Eritimoque." In quo longiores cantus sunt qui plures etiam victorias enumerant, velut μακραγορία de largo argumento Pyth. VIII, 30., et μακρόν, μακρά Pyth. IX, 80. Nem. IV, 33. Hae enim voces et longum et nimis longum significant; erratque Tafelius ad Pyth. VIII, 30. semper reprehensionem inesse opinans. Est autem gradatio in toto loco: Delphis bis vicit, Athenis ter uno die, in Hellotiis septies, in Isthmo autem etiam plures sunt victoriae a familia reportatae (Thessalo, Ptoeodoro, Terpsia, Eritimo coniunctim), denique Delphis et Nemeae fere innumerae. Ceterum Terpsias secundum Schol. fuit frater Ptoeodori et patruus Thessali; Eritimus Terpsiae sive filius sive nepos. [Construe: μακρότεραι ἀοιδαὶ ἔφυναν σὺν πατρὶ Πτοιοδώρῳ καὶ Τερψίᾳ καὶ Ἐριτίμῳ, ut recte Heimsoethius fecit. Futurum reducendum esse perspexit Kayserus p. 34. Dicit Pindarus contrahenda sibi vela esse, nam ἔπεται ἐν ἑκάστῳ μέτρον v. 47. „Si velim," ait, „Isthmiacas victorias canere, longiora erunt carmina quam quae hic locus capiat." Confer Nem. X, 45. Pyth. IV, 247. Isthm. V, 53.] — V. 43 sqq. Sensus: Delphica autem vestra et Nemeaea quod attinet, litigo cum multis de multitudine, h. e. etiam magnae victorum copiae coniunctae abiudicabo parem maioremve numerum, quemadmodum etiam Boeckhius cepit. — V. 46. ποντιᾶν ψάφων ἀριθμόν, cf. Ol. II fin. Anthol. Pal. II. p. 640. epigr. 52, 7. Jacobs. Animadverss. III, 1. p. 307.

V. 47—92. Decora Corinthi mythica. — V. 47 sq. Revocat se primum a Xenophontis familiae ulteriore laude. — V. 48. νοῆσαι δὲ καιρὸς ἄριστος, opportunum et convenientem modum nosse optimum. [Scholia: τοῦτο δὲ αὐτὸ νοῆσαι τὸ τῆς συμμετρίας, εὔκαιρόν ἐστι καὶ ἄριστον. Recte illa: nam obiectum verbi νοῆσαι est τὸ ἐν ἑκάστῳ μέτρον.] conf. ad Ol. VII, 26. Sententia saepius obvia, ut Pyth. I, 81. IX, 77, 8. Alia habet Valcken. ad Hippol. v. 264. et Tafel. h. l. — V. 49. ἐγὼ δὲ ἴδιος ἐν κοινῷ σταλεὶς cett. Ut κοινὸς ἐν κοινῷ est communis in communi re, sic ἴδιος ἐν κοινῷ erit qui privata curat in publica causa. σταλείς, a navigatione petita metaphora cantus, ut Pyth. II, 62. Pyth. IV, 3. Nem. VI, 29. Alia vid. ad Horat. Carm. IV, 15, 3. Iam verte: Ego vero, qui cum privata merce in publico argumento vectus sum (argumentum enim carminis verum publica laus est, conf. Introd.), nunc prudentiam celebrans maiorum et fortitudinem bellicam non mentiar de Corintho, h. e. ego, qui modo privatas laudes data opera tractavi in publica causa, nunc, ubi ad ipsas publicas laudes urbis redeo, non minus vere et accurate de Corintho dicam. Ceterum ad ἴδιος cf. Nem. VI, 33., atque ut ibi Aeginetarum, sic hic Corinthiorum studiis nauticis suaviter accommodata oratio. [Scholia: ἐν κοινῷ ὄντος τοῦ ἐγκωμιάζειν οὐκ ἐχρησάμην τῇ κοινότητι, sed mea via incedo. Similiter Kayserus p. 35., qui poetam nonnisi de arte sua loqui arbitratur, quae in vulgari argumento suam tamen viam sectetur tanquam navis ἰδιόστολος. Iam perspici, cur dixerit οὐ ψεύσομαι ἀμφὶ Κορίνθῳ: ita enim nova locuturum de Corintho, ut a veritate tamen non deflectat.] — V. 51. πόλεμον ἐν ἀρεταῖσιν, ut bellum gestum in armis, neque enim ἐν per significat. — V. 52 sqq. Constructionis ratio haec est: Sisyphum quidem laudans (γαρύων) ut prudentissimum, et Medeam ut Argonautas consilio servantem, bellicam vero fortitudinem ante Troiam conspicuam. Respondent igitur sibi Σίσυφον μὲν cett. et τὰ δέ v. 55.; sed constructio mutata in altero membro, quum incommoda fuisset participii continuatio. [Accusativos

a *ψεύσομαι*, h. e. *ψευδῶς γαρύσω*, suspendit Heimsoethius.] — *Σίσυφον* non vafrum hic et male callidum, sed sapientem et prudentem dicit, cf. Welckerum meum de Aeschyl. Trilog. p. 551 sqq. — De Medea Corinthia uberrime exposuit Müller. Orchom. p. 269 sqq. Sensus: Quae quum Iasoni se iunxisset, hunc consiliis adiuvit, atque ita effecit, ut navis cum Argonautis incolumis rediret; cf. Pyth. IV. — *αὐτᾷ* pr. *αὑτᾷ*, cf. Thiersch. Gr. Grammat. ed. tert. p. 332. — *θεμένα*, alias parentes *τιθεῖσι γάμον*. Ad loquutionem cf. Eurip. Iph. Aul. 1076. — V. 55. *τὰ δέ*, partim vero etiam robore ante Troiam visi sunt utrinque decernere pugnas. *ἐν ἀλκᾷ*, non per robur, sed in robore, *ἐπειμένοι ἀλκήν*. [Vellicans Corinthios dixerat Simonides Ceus fr. XCIV: *Κορινθίοισιν οὐ μανίειν Ἴλιον.*] — V. 56. *ἐδόκησαν*, existumati sunt et famam habuerunt eam, cf. Pyth. VI, 40. ac saepe *οἱ δοκοῦντες δίκαιοι, ἀγαθοί, ἄριστοι εἶναι*. Add. Eurip. Hec. 295. Troad. 613. Heracl. 900., quae laudat Musgr. ad Soph. Oed. R. 1191. — V. 57. *μαχᾶν τέμνειν τέλος*, pugnarum exitum dirimere. Confert Boeckh. Eurip. Heracl. 758. Sic *κρίνειν νεῖκος πολέμοιο* Hom. Od. XVIII, 264. Secantur lites Horat. Epist. I, 16, 42. Nec *τέλος* superfluum, sed significantius. Ceterum confer *πείρατ' ἀέθλων* Pyth. IV, 220. — V. 58. Qui Atridis iuncti erant, in iis fuit Euchenor, de quo Schol. Paruerunt autem Corinthii tum Agamemnoni, Hom. Il. II, 570. Pausan. II, 42. — V. 59. *κομίζοντες*, repetentes, de conatu. Laudat Tafel. Eurip. Suppl. 495. Similiter *κτείνειν, ἀπολλύναι, ποιεῖν*, cf. Elmsl. ad Eurip. Heraclid. 1103. Brunck. ad Soph. Oed. R. 1454. Doederl. ad Soph. Oed. Col. 989. Et *πείθειν, διδόναι* Wunderl. Praefat. ad Demosth. de Coron. p. XXXVI. — V. 60. In Troiano exercitu fuit Glaucus Lycius, nobilis apud Homerum heros, Corintho oriundus, cf. Hom. Il. VI, 144 sqq. Sisyphi filius Glaucus, huius Bellerophontes, qui Hippolochum genuit, Hippolochus Glaucum Lycium. Vid. plura apud Boeckh. — *τοῖσι μέν*, nam coram Danais originem Corinthiam gloriatur ap. Hom. l. cit. — V. 61. *ἐν ἄστεϊ Πειράνας*, nobilissimi fontis in Acrocorintho, cf. Pausan. I, 5, 1. Strab. VIII, 6. Iacobs. Delect. Epigramm. p. 361. Alex. Aetol. I, 8. — *σφετέρου πατρός*, avi sui Bellerophontae, *ἀρχάν*, ut tamen subiectus esset summo imperio Proeti Argivi, monente Boeckhio e Pausan. II, 4, 2. — V. 62. *μέγαρον*, videtur *Σισύφειον*

intelligendum cum Tafelio e Strabon. VIII, 6., situm in Acrocorintho, ubi regum priscam sedem fuisse credibile. Ibidem in arce quum esset Pirene, suavis denominatio *ἄστυ Πειράνας*. — *βαθὺν κλᾶρον*, ditem hereditatem, qualia habent heroes, metalla, currus et equos, servos, agros. *βαθύς* pro multus, copiosus, legitimum de opibus, unde *βαθύπλουτος, βαθυκτέανος*, alia, cf. exempl. ap. Tafel. — V. 63 sqq. Sequitur fabula de Bellerophonta, de qua nuper disputavit Völckerus *Mythologie des Iapetischen Geschlechts* p. 184 sqq. Nos Pindarum videamus. Bellerophontes, quum diu frustra Pegasum domare tentasset, adit vatem Polyidum, qui eum incubare iubet in templo Minervae; ibi dea in somno frenum offert, quod Neptuno in sacrificio monstrare iubet. Heros expergefactus invento dono iterum adit vatem, qui monet, ut post sacrificium Neptuno oblatum Minervae equestri aram ponat. Iam poetica rei adornatio etiam Boeckhio laudata haec est, quod Pindarus non dicit bis de consulto Polyido, sed semel uno loco. Orditur igitur suavius ab ipsa donatione freni in somno, et consultum ante Polyidum commode subiicit post, ubi secundum aditum ad vatem narrat. — V. 63. *ἀμφὶ κρουνοῖς*, ad Pirenem. — V. 64. *Πάγασον*, Neptuno et Gorgone natum. — V. 67. *ὕπαρ*, Hom. Od. XX, 90. — V. 68. *φίλτρον*, v. 85. *φάρμακον πρᾶϋ*, h. e. frenum quod domabit, delenimenti potentis ad instar in amoribus adhibiti. — V. 69. *Δαμαίφ*, quo nomine Corinthiis inde ab hoc tempore colebatur Neptunus. Est enim Neptunus non solum creator equi habitus, sed etiam domitor, atque ex Attica fabula in pago Coloneo frenum primum confecisse dicebatur. Hinc etiam certaminibus curulibus praecst iam apud Hom. Il. XXIII, 584. Cf. libros Völckero de Iapet. p. 154. laudatos, et vid. Müllerum meum in Dissertat. de Phidia tertia, qui simul monet nusquam tamen Neptuno etiam curruum constructionem tribui. — *πατρί*, non generatim, ut Virg. Aen. V, 14., monente Boeckhio, sed quia Neptunus genitor Bellerophontae habitus pro Glauco; cf. Schol. Atque ipsum Glauci nomen proprie fuit epitheton Neptuni, quod deinde in personam abiit, quemadmodum Ἁλιῤῥόθιος (Ol. XI, 70.), Müllero iudice. — *ἀργᾶντα*, secundum grammaticos nitidum robore et pinguedine, vid. Boeckh., atque ita *βόες ἀργοί* Homer. Il. XXIII, 30., ut videtur, coll. Nitzsch. ad Od. II, 11. Nam vulgo nigri Neptuno immolantur ut formidabili deo. Tamen Virg. Aen. V, 235. diis maris caudens

taurus promittitur in prospero eventu, cf. Nitzsch. ad Odyss. III, 6. et Pindar. Pyth. IV, 205. φοίνισσα ἀγέλα ταύρων adhibetur Neptuni sacris. Vides non semper nigros huic deo immolatos. — V. 71. κνώσσοντι, de incubatione, ἐγκοιμήσει, Boeckh. laudat Wolf. Misc. litt. p. 403. Add. Creuzer. Mythol. II. p. 276. [et plura in Hermanni Antiq. sacr. 41, 17.] — V. 75. Κοιρανίδης est Polyidus, Euchenoris pater, qui a Melampo genus deducit, conf. Boeckh. [Sophocl. Polyid. fr. 2: Πολυίδῳ τῷ Κοιράνου.] — V. 76. νύκτ' ἀπὸ κείνου χρήσιος, Boeckh. τὴν μετ' ἐκείνου χρῆσιν νύκτα, ut Schol. rec. Sed malim: ipso iubente, c. vet. Schol. — V. 78. δαμασίφρονα, quia aurea habena mentem equi domat. — V. 81. καρταίποδα, bovem, vox Delphica, cf. Schol., ex oraculo, ut videtur, Müller. Dor. II. p. 533., unde Boeckhius consulto nunc eam vati Polyido tribui suspicatur; [cf. Lobeck. Aglaoph. p. 850. Goettling. praef. Hesiod. p. XXX. ed. 2.] — αὐερύη, Hom. Il. I, 459. — V. 82. Ἀθήνη Ἵππια est Χαλινῖτις, cuius templum Corinthi, Pausan. II, 4, 5. — V. 83. Explico: τελεῖ θεῶν δύναμις καὶ τὰν παρ' ὅρκον καὶ παρὰ ἐλπίδα (κτίσιν tanquam) κούφαν κτίσιν, perficit deorum vis etiam quam iurares impossibilem nec sperares, tanquam facilem rem s. ita ut sit facillima. Cet. cf. παρ δόξαν τε καὶ ἐλπίδα Theogn. v. 639.; ad ὅρκον cf. ibid. v. 659. Porro κτίζειν passim pro facere, efficere, cf. Blomfld. ad Pers. 294. et nott. critt. ad Ol. I, 64. Ad sententiam denique vid. laudata Welckero Theogn. p. 28. — V. 84. ἕλε, in potestatem suam redegit. — V. 85. Cf. ἀκεστῆρα χαλινόν Soph. Oed. Col. 714. — V. 86. ἐνόπλια ἔπαιζεν, lusit in armis ludicros motus, ut qui saltant in armis, quae est ἐνόπλιος ὄρχησις. — V. 87 sqq. Bella Bellerophontae adversus Amazones, Chimaeram, Solymos narrat etiam Hom. Il. VI, 179 sqq. — V. 88. αἰθὴρ ψυχρά, quia sublimior aer frigidus. — ἐρῆμος affuit Ol. I, 6. — κόλποι αἰθέρος (cf. exempla ap. Tafel.) accipe pro cavo aethere. — De Amazonibus cf. Ol. VIII, 47. De Solymis cf. Heyn. ad Hom. Il. V, p. 226. Naekius ad Choeril. p. 134. — Exciderat autem Bellerophontes ausis, quum in coelum ascendere vellet, cf. Schol. et Isthm. VI, 44. Horat. Carm. IV, 11, 26. Tacet hoc nunc ut ab huius carminis laudibus alienum. Pegasus vero evolavit in coelum.

V. 93—fin. Gentis Oligaethidarum innumeras victorias comprehendens poeta nunc etiam futuri temporis augurium proponit laetissimum. — V. 93 sq. Me vero decet, ait, rectum missilium turbinem mittere, neque haec multa tela praeter scopum iaculari, cuius metaphorae exempla vid. Ol. I, 111 sq. Pyth. I, 44. Nem. VI, 28. VII, 71. Ceterum nihil superfluum esse in antecedente fabula Introductio docet, sed sunt hae suaves formulae apud Pindarum, quibus transitum parat ad alia. — V. 95. καρτύνειν, cum vi movere; comparant Apoll. Rhod. II, 332., add. Tafel. h. l. — V. 96 sqq. Verte: Musis enim obsequutus lubens Oligaethidis veni cantaturus Isthmias ac Nemeaeas victorias, in quo τέ post Ὀλιγαιθίδαισιν ad Ἰσθμοῖ pertinet, plane ut Nem. III, 12: ἐγὼ δὲ κείνων τέ μιν ὀάροις λύρᾳ τε κοινάσομαι. Quales collocationes quomodo explicari debeant, de eo disputat Schaefer. ad Gnom. Poet. Lips. p. 366. et ad Demosth. Tom. I. p. 690. Vulgo hic incommode Μοίσαις Ὀλιγαιθίδαισίν τε iungitur. Ceterum cf. locos persimiles Ol. IX, 83. Nem. IV, 73. — V. 98 sqq. Et adstipulabitur mihi verax iurata vox praeconis sexagies utrinque audita, quibus verbis declaratur sexagies Oligaethidas Nemea et Isthmia vicisse, utrisque victoriis computatis. Vox praeconis iurata dicitur, quia iuratus est praeco ut iudex. Utitur autem poeta etiam alias in magnis rebus ad augendam vim ingeniosis formulis. — V. 102. ἔοικεν cum emphasi positum, ut passim fit in re aperta, luculenta: Olympica, credo, supra dicta sunt ita, ut nemo non teneat. Dixerat enim de iis breviter quidem, sed luculenter in principio. — V. 103. τότε, tum, quum facta fuerint; conf. Stallb. ad Plat. Phileb. p. 114. Markland. et Matth. ad Eurip. Iphig. Aul. 46. Hemsterh. ad Lucian. Nigrin. c. 7. add. Soph. Electr. 676. 907. Eurip. Med. 1398. Electr. 1203. Aristoph. Plut. 1118. Plat. Protag. p. 325. e. Gorg. 488. c. Polit. 266. d. — V. 104 sqq. Ad verba ἐν θεῷ τέλος cf. Nem. X, 29. Demosth. de Coron. p. 294. Ovid. Heroid. 20, 44. Metam. 7, 24. — Porro liquet e Pindari verbis Xenophontem aut alium e familia (credo tamen Xenophontem ipsum) novam victoriam agitasse, quam verisimile est curulem fuisse Olympia reportandam, ut sensit etiam Tafel. Ac primum quidem Iuppiter Olympiae summus rex, idem Oligaethidis favet maxime, quibus iam tres victorias dedit; Martem autem sive Enyalium, quos hic non

discerno, Corinthi cultum esse ab ipsis nominatim Oligaethidis bene iudicarunt Heynius et Boeckhius; idem, licet alia de causa, attulit etiam equestris Martis aram Olympiae e Pausan. V, 18, 1. Vides igitur perquam aptam esse horum deorum commemorationem et Olympiae potentium et faventium Oligaethidis. Sed omnino non satis attendisse mihi videntur viri docti, qui haec tractarunt, ad interiorem praeclari huius loci rationem. Nempe ludicra decora familiae et Corinthi cecinit Pindarus iam supra; nunc gentis addens victorias et vim insitam fortunamque gentis illustrans mirificam hoc agit, ut novas spes excitet. Post innumera alia decora nunc curulis paratur victoria; hanc praemonstrat Bellerophontae fabula, quae nescio quomodo incommoda est, si desciverunt posteri ab his virtutibus equestribus; hanc nunc tractat finis carminis, caute quidem ut in re futura, sed tamen satis aperte. Nempe iam non Xenophontis *δαίμονα* supra laudatum commemorat, sed maiorem ipsius gentis genium. Spero, ait, sed in deo finis; quod si vero genius gentilis surgat et veniat (vel ulterius progrediatur), Iovi et Marti committemus rem perficiendam, quos certa spes est talem vim non destituturos. Qualis autem est hic *δαίμων γενέθλιος*? Ostendunt statim congestae innumerae gentis victoriae, quas dum laudat, ipsum in his rebus conspicuum genium gentilem laudat, opinor, et laudando excitat magnifice. Sic pulcherrimo artificio priora decora vertuntur in augurium futurorum luculentissimum. — V. 106 sqq. *τὰ δ' ἐπ' ὀφρύϊ Παρνασίᾳ — Θήβαις*, per acclamationem: Delphicae et Argivae quot sunt et Thebanae victoriae! Verba: *ἐπ' ὀφρύϊ Παρνασίᾳ*, non intelligenda esse de stadio in urbe proxime montem moneo ad Pyth. VIII, 19. — De Argivis et Thebanis ludis cf. ad Ol. VII, 83, 4. — V. 107. *ὅσα τ' — ἄναξ*, et quas in Arcadia surgens testabitur ara Lycaei regina. Confer de hac ara Pausan. VIII, 38, 5: *ἔστιν ἐπὶ τῇ ἄκρᾳ τῇ ἀνωτάτω τοῦ ὄρους γῆς χῶμα, Διὸς τοῦ Λυκαίου βωμός, καὶ ἡ Πελοπόννησος ταπολλά ἐστιν ἀπ' αὐτοῦ σύνοπτος.* Erat ea sepimento a reliquo monte separata, cf. Eurip. Electr. 1274. Valcken. Diatr. p. 132. In monte etiam hippodromus et stadium. Ceterum add. Müller. Dor. I. p. 306. — V. 109. *Πέλλανα*, cf. Ol. IX, 104. — *Σικυών*, ubi Pythia, cf. Schol. h. l. et Nem. IX. — *Μέγαρα*, vid. Ol. VII, 86. — *Αἰακιδᾶν εὐερκὲς ἄλσος*, Aeaceum, de quo cf. Müller. Aeginet.

p. 161. Intelligenda igitur Aeacea, quae memorat Scholiastes. — V. 110. *Ἐλευσίς*, vid. Ol. IX, 99. — *Μαραθών*, Ol. IX, 89. — V. 111. *ταὶ — πόλιες*, Boeckh. cum Schol. Syracusas maxime intelligit, ubi Isthmia, et Aetnam, ubi Nemea agebantur. — V. 112. *Εὔβοια*, ubi habebantur Geraestia Neptuno, Amarynthia Dianae, denique Basilia, vid. Boeckh. — V. 113. *εὑρήσεις ἐρεννῶν*, v. similes compositiones apud Lobeck. ad Soph. Aiac. p. 433. — *μάσσον' ἢ ὡς ἰδέμεν*, plura quam ut visu complecti possis. Boeckhius: quam primo adspectu videas et putes, antequam inquisiveris. — V. 114. Iuppiter perfector, fac ut levibus pedibus enatent, s. vitam percurrant. [Scholia: *εἶπε τοῦτο πρὸς ἑαυτὸν παρακελευόμενος ἐκδραμεῖν ἀπὸ τούτων καὶ καταπαῦσαι τὸν ὕμνον.* Aliud scholium: *ἐπαύσατο τῶν ἐπαίνων καὶ περὶ ἑαυτοῦ λέγει, ὅτι χρὴ ἀποστῆναι κούφοις ποσὶν ἀνεπαχθῆ φανέντα. Δίδου οὖν μοι, φησίν, ὦ Ζεῦ τελεστικώτατε, τὴν παρὰ σοῦ αἰδῶ τε καὶ εὐτυχίαν, ἐξ ἧς ἐστὶ πέρπεσθαι καὶ ἥδεσθαι, ἀντὶ τοῦ αἰδέσιμόν με ποίει καὶ τιμῆς ἄξιον.* Hanc explicationem iure suo secutus est Thierschius: „*O herr, lafs heraus auf leichtem fufs, helfer Zeus, mich wandeln. Gieb scheu und locs huldreicher anmuth.*" Eandem commendavit Kayserus p. 37., qui *ἄνα* non pro vocativo habet, sed pro exhortativo *ἀλλ' ἄγε*: Verum age, pernici pede evadito ex hoc quasi mari victoriarum. Quod poeta in fine sui meminit, facit idem Olymp. I. VI. Pyth. II. Nem. VIII. IX. Isthm. III. V. VI.] De infinitivo in precibus cf. Boeckh. nott. critt. h. l. Matth. Gr. §. 546. De v. *ἐκνεῦσαι* cf. Hemsterhus. ad Lucian. I. p. 306. et Mitscherl. Hor. Carm. I, 5, 13. — *κούφοισι ποσίν*, ait Boeckhius, commode translatum, quum cursores essent. — V. 115. *αἰδῶ δίδοι*, modestiam da, commoda admonitio post tantas laudes, ut saepe apud Pindarum. Ceterum alius fortasse apertiores preces pro futura victoria exspectaverit, frustra; dictum de ea ante, quantum satis; nunc maxime Pindaricus hic exitus.

CARMEN OLYMPICUM DECIMUM QUARTUM.

INTRODUCTIO.

Victoria haec reportata est Ol. 76. Asopicho, puero Orchomenio. Carmen cantatur Orchomeni a puerorum choro in templo Gratiarum, quas maxime colebant Orchomenii inde ab antiquo tempore. Invocantur autem deae, pulcherrime hic laudatae, ut benigne praesentem comissationem recipiant. Postremo Echo excitatur, ut etiam patri mortuo laetum victoriae nuntium ferat.

EXPLICATIO.

V. 1—12. Invocatio et laus Gratiarum. — De Orchomeno et de celeberrimo Gratiarum cultu apud Orchomenios cf. Boeckh. Oecon. civit. Athen. II. p. 367. et Müller. Orchom. p. 177 sqq. — V. 1. *Καφισίων ὑδάτων λαχοῖσαν*, ad Cephisum sitam. — V. 2. *καλλίπωλον*, nobili equorum propagine claram, ut *εὔπωλος Ἴλιος*, cf. Herm. ad Soph. Oed. Col. 715. Unde equitatu praestabant, cf. Boeckh. de Oecon. civ. Ath. l. c. p. 371. — V. 3. *λιπαρᾶς*, splendidae, praestantis, cf. ad Nem. IV, 18. — V. 4. *Μινυᾶν*, vid. de his antiquis Orchomeni incolis uberrime explicantem Müllerum in libro modo laudato. — V. 5. *τερπνά* et *γλυκέα*, iucunda et dulcia, suaviter amplificationis causa coniunxit, quum alterutrum solum positum nimis tenue et nudum fuisset. Hinc etiam *τε — καί* placet. His enim particulis saepe utuntur veteres in amplificatione, veluti Demosth. de Coron. p. 227: *μάλιστα δὲ τῆς παρ' ὑμῶν εὐνοίας τε καὶ φιλανθρωπίας (ἀποστερεῖσθαι χαλεπόν)*, ubi vide quae dixi. Similiter Xenoph. Anab. III, 3, 2: *φίλον τε καὶ εὔνουν*. Adde dicta ad Ol. I, 79. Latinum usum eundem particularum que — que, que — et, notavit Wunderl. Observatt. ad Tibull. I, 2, 29. Hoc loco pertinet eodem repetitio articuli. — V. 7. *σοφός*, musicarum artium peritus. — *ἀγλαός*, factorum gloria, victoriae decore ornatus, ut *ἀγλαΐα* saepius apud Pindarum de victoria. Nam *καλός* et *ἀγλαός* ne dubita etiam propter Asopichum dicta esse. — V. 8. Vide quae disputat de notione Gratiarum Müller. l. l. p. 179 sqq. — *σεμνᾶν*, confert Tafel Eurip. Hel. 1341: *σεμναὶ Χάριτες*. Hic ipsa res magnificentius epitheton postulabat. Parthenior. fr. 2. Pan vocatur *σεμνᾶν Χαρίτων μέλημα τερπνόν*. — V. 9. *κοιρανέοισιν*, moderantur, adornant, instruunt. — Denique ad formam orationis attendas. Etenim minus bene per coordinationem dixisset: *σὺν ὔμμιν γὰρ τὰ τερπνὰ πάντα καὶ βροτοῖς καὶ θεοῖς*, quum hoc loco propter humanas res invocentur Gratiae. Hinc post invocationem solum prius membrum posuit, et nunc alterum per *γάρ* subiicit: Sitis benevolae; omnia enim iucunda hominibus a vobis, quum etiam diis nulla iucunditas sit sine Gratiis, quae egregia est iunctura. — *πάντων ταμίαι ἔργων ἐν οὐρανῷ*, quum deorum omnis vita iucunda sit, ut omnibus rebus coelestibus interesse debeant. Hinc in deorum oblectationibus assident Apollini et Musae, quemadmodum etiam Delphis expressae erant secundum Scholia. Curant vero *κῶμον* in Olympo, ut inter homines. — V. 12. *πατρὸς — τιμάν*, ut Fragm. Hymn. 1. 2: *τὰν Διωνύσου τιμὰν — ὑμνήσομεν*.

V. 13 — fin. Repetitur invocatio, et nunc quidem ipsis nominibus appellatis. — V. 15. *ἐπάκοοι ταννῦν* praefero cum Hermanno. Novimus quidem in alloquutionibus singularem et pluralem sociari, cf. Nitzsch. ad Hom. Od. III, 43., Lobeck. Soph. Ai. p. 152., Matth. Gr. §. 304., sed hoc loco *ἐπάκοος γένευ* minime elegans videtur. Contra apte mox *ἰδοῖσα* pro *ἰδοῖσαι* dictum, quum Thaliae nomen interpositis verbis *ἐπάκοοι ταννῦν* a ceteris separatum esset. Ac princeps Gratiarum hic est Thalia, ad quam solam etiam sequentia diriguntur. Sed alium praeterea singularem in antecedentibus fuisse non probabile. De signif. v. *ἰδοῖσα* cf. ad Ol. VII, 11. — V. 17 sq. *κοῦφα βιβῶντα*, levi pede, alacri motu incedentem, laete saltantem ob prosperam fortunam. — *Λυδίῳ — ἐν τρόπῳ ἔν τε μελέταις*, Lydia harmonia Lydioque carmine. *Μελέται* enim, meditationes, sunt ipsum carmen, quod meditatus est dulce et supplicatorium, ut sunt Lydia; cf. Boeckh. — *ἀείδων ἐν*, cf. Isthm. IV, 30. et ad Ol. I, 15. — V. 20. *σεῦ ἕκατι*, per te, ut Pyth. V, 9. Isthm. III, 19. al. Simile *Διὸς χάριν* Pyth. III, 95. Cf. Blomfld. ad Choeph. 430. — V. 21. *Ἀχοῖ*. Echus proprium resonare, postquam sonuit vox; pulcherrima

igitur sententia Pindarus haec ipsa ultima chori canentis verba de Cleodami filio victore Olympico, causam totius carminis continentia, resonare vult apud inferos. Hoc enim est, quod significat. Neque inanis haec phrasis, quum Echo rebus inferis coniuncta fuisse videatur. Nempe credebant veteres, ut mihi quidem videtur, verba graviora ad mortuos directa, ut invocationes, laudes, lamentationes, alia intentiore voce pronuntiata, revera in Orco resonare, per Echo delata. Quemadmodum etiam hunc finem carminis elatiore voce a choro cantatum crediderim. Cet. cf. ad Ol. VIII, 81. [Wüstemann. ad Theocr. XII, 19. et Fr. Wieseleri commentat. de Nympha Echo Gottingae a. 1844 editam.] — V. 23. *κόλποις — Πίσας*, in valle Olympica. — V. 24. *ἀέθλων πτεροῖσι*, h. e. *στεφάνοις*, ut Pyth. IX fin. *πτερὰ νικᾶν*. Coronae enim metaphorice alae dicuntur, quae victorem sublime ferant (*ἐπαείρουτι*, Ol. IX, 20.). Ac constat Victoriam alatam fuisse.

PINDARI CARMINA

QUAE SUPERSUNT

CUM

DEPERDITORUM FRAGMENTIS SELECTIS

EX RECENSIONE BOECKHII

COMMENTARIO PERPETUO ILLUSTRAVIT

LUDOLPHUS DISSENIUS,
PROFESSOR GOTTINGENSIS.

EDITIO ALTERA AUCTIOR ET EMENDATIOR.

CURAVIT

F. G. SCHNEIDEWIN,
PROF. GOTTING.

VOL. II.

COMMENTARIUS.

GOTHAE, MDCCCL.
SUMPTIBUS HENNINGS.

GOTHAE LITTERIS OFFICINAE DUCALIS ENGELHARDO-REYHERIANAE.

CARMINA PYTHIA.

CARMEN PYTHIUM PRIMUM.

INTRODUCTIO.

Victoria haec curulis reportata est Pythiad. 29., h. e. Ol. 76, 3. secundum verum Pythiadum calculum a Boeckhio restitutum ad Ol. XII. Hiero Aetnaeum renuntiari se iusserat, ut urbi gratificaretur recens a se conditae Ol. 76, 1., sublata Catanae civitate et abolito nomine novisque incolis e variis urbibus conscriptis. Idem hoc victoriae Pythiae anno ad Cumas Etruscos gravi proelio vicerat, cuius rei monumentum insigne superest galea Olympiae nuper reperta, quam Hiero cum aliis duabus Iovi Olympio ex more dedicaverat. Quibus rebus si addideris Aetnae eruptionem inde ab Ol. 75, 2. per plures annos continuatam, habes historica potiora a Boeckhio doctissime explicata, quorum usus est in hoc carmine. Orditur autem Pindarus a laude citharae et musices, quae quum audiatur in Olympo, fulmen Iovis et in sceptro aquilam consopiri atque adeo ferocem Martem; tum ad contrarium transiens, ut dii ament, sic inimicos deorum sceleratos aversari musicam ait, praeclare describens furores Typhoei sub Aetna compressi. His commode subiicit preces pro incolumitate urbis Aetnae, ad quam deducta oratione hanc victoriam augurium esse dicit futurorum eius decorum et carminum. Inde etiam victori Hieroni precatur felicitatem divitiasque perennes et dolorum corporis, quibus tum laborabat, oblivionem; esse quarum recordatio animum exhilarare possit, praeclare gestas res bellicas, quibus cum fratribus summum imperium consequutus sit; ac nuperrime demum Etruscos ab eo fusos vel aegroto. Post haec per filii Dinomenis laudem, Aetnae tum regis, iterum ad hanc urbem redit, quam conditam praedicat ab Hierone Doricis legibus et institutis, et ut salvam dii servent orat, florentem domi, foris tutam ab hostibus,

praeclare Hieronis et fratrum insigne proelium Himerense in memoriam revocans, qua laude hic rerum ambitus absolvitur. Iam enim ad finem tendente carmine abrumpit priora et admonitiones subiicit; iuste rex populum gubernet, liberalis esse pergat, aulicorum adulationes contemnat et posterorum potius iudicium curet, qui Croesum laudent, Phalaridem aversentur. — His enumeratis restat quaestio de summo consilio carminis eiusque vera compositione; quae quidem res quum primo adspectu obscurior sit, nos, ut tutius procedamus, aliorum carminum analogiam adhibebimus. Primum igitur ut in aliis carminibus mythica pars est et alia res praesentes complectens, sic etiam hic, nisi quod nunc mythica pars in principio legitur, quum vulgo in medio carmine posita sit. Deinde quum mythicis summa sententia carminis vel inprimis contineri soleat, sive tota sive ex parte, idem iure exspectabimus in hoc carmine. Constat autem mythica pars nunc duobus oppositis locis, de diis Olympiis et de Typhoeo in Tartaro, totam sententiam carminis complectentibus, quibus iam respondere debebit bipartita divisio sequentium, ut orbem suum conficiat carmen. Sic delineato ambitu propius ad singula accedamus. Prooemium exhibet summam Iovis maiestatem et Martis bellicam ferociam delinitam cantu citharae. Habemus igitur pulcherrimam consociationem virtutum oppositarum, maiestatis ac severitatis regiae et bellicae irae cum musices amore et mitioribus sensibus, propositam in deorum Olympia vita tanquam summo exemplo. Quo consilio? Ut huc revocetur Hieronis regia virtus. Haec ipsa enim regis perfecti laus iam a v. 29—80. in Hierone ostenditur; modo teneas in hoc nexu musicam complecti omnino pacis artes et quicquid a vi alienum, mansuetum, liberale iustumque. Igitur Hiero, conditi a Gelone, a se aucti imperii possessor, haud dubie tum potentissimus erat inter Graecos tyrannus, habens, ut cum Pindaro loquar, *τιμὰν οἵαν οὔτις Ἑλλάνων δρέπει*. Hic quum alia multa bella gessit, tum novissime ad Cumas fudit Etruscos; sed idem pacis artes amat, certamina ludicra et poetarum cantus, et quemadmodum rex deorum et violentus Mars in Olympo delectantur citharae sonis, sic, credo, nunc Hiero requiescit a bello et maiestatem regiam relaxat haec epinicia celebrans. Exin poeta a proximis pergit ad priora, atque eundem hunc et bellicosum et pacis instituta amantem animum regis declarat alio illustri exemplo. Condidit enim Hiero novam civitatem Aetnam Doricis institutis et legibus divina cum libertate;

idem, victor ad Cumas, prius ad Himeram cum fratribus Carthaginienses fudit, et ferro etiam defendere novit quae legislator fundavit. Atque ita bis pulcherrime declaravit quod dixi. Vidimus laudem Hieronis; transimus ad oppositam carminis partem. Non poterat Hiero ab omni parte laudari; virtutibus coniuncta erant vitia gravia, quibus non blanditur Pindarus, sed in omnibus carminibus regi scriptis admonitiones posuit. Quid igitur nunc? Opponit in mythica parte diis Olympiis sceleratos et Typhoeum, monstrum a mansuetis sensibus alienum, in quo indomita feritas est nihil nisi iras et perniciem evomens; quare poenas graves patitur. Cum his compone mihi exitum carminis, in quo Hieronem hortatur, ut bonus rex sit, ut iuste regnet et liberaliter, ut reputet, quantopere laudetur Croesi *φιλόφρων ἀρετά*, odio sit Phalaridis *νηλὴς νόος*: nec potest esse dubium, quin uterque locus sibi respondeat; avocatur Hiero a sensibus et facinoribus, quorum deformitas et poenae mythice in sceleratis et Typhoeo grandiori imagine ob oculos ponuntur. Habes totum carmen; pulcherrimo artificio duae oppositae partes altera alteram illustrant, ad Hieronis autem animum movendum nihil potuit excogitari magnificentius. — Proposita haec mea explicatio carminis eo differt a Boeckhii sententia, quod hic, universam mythicam partem maxime cum admonitionibus in fine conferri iubens, non eo modo, quo ego, medium carmen cum prooemio coniungere videtur et quod consilium poetae ponit hoc: „Bellicis negotiis peractis poetica, Hiero, studia fove in recens condita urbe carminum illustranda splendore; quibus ubi per artes praeclaras et miti imperio materiam laudum praebueris, germanam consequeris gloriam." Et mox: „docte id effecit, ut doceret satis Hieroni bellicae gloriae partum esse, nunc pacis artes fovendas." Ego vero non omne bellum dissuaderi censeo, sed ea tantum bella et facinora, quae Typhoia mente fiant, ut ita dicam; nam Mars et fulmen Iovis in Olympo sunt, et quemadmodum non semper dormit fulmen et Martis ira, sed alio tempore etiam vim suam ostendit denuo et ostendere debet, sic in Hierone quoque non plane quiescere vult in posterum regiae maiestatis severitatem et bellicam fortitudinem, sed laudat, quod habeat, modo semper iniustitia et crudelitas absit, et leniores etiam virtutes pariter colantur, libertas civium servetur, pacis studia foveantur. Ceterum carmen cantatum est in convivio, quod certo liquet e prooemii ratione, et, ut mihi quidem videtur, Syracusis in aula regia, Boeckhius

autem Aetnae cantatum statuit, de qua re dicendum erit ad v. 58. (Cum his compara T. I. p. V.) [De argumento et consilio carminis longe aliter disputat G. Hermannus in dissertatione De officio interpretis Lipsiae a. 1834. edita p. 13 sqq., repetita deinde Opuscc. VII. p. 109 sqq. Qui reiectis Boeckhii Dissenii-que rationibus universum argumentum hac contineri sententia arbitratur: „Cithara, cane urbem Aetnam, illustratam victoria Hieronis, optaque ei concordiam, pacem, prosperitatem, iustum et liberale imperium." Tum quomodo illam sententiam exornaverit poeta, ostendit. Contra ea Boeckhius suam explicationem carminis strenue defendit in Annall. litt. Berolinenss. a. 1835. nr. 11. p. 92 sqq. Negat Boeckhius merito Hermannum versuum 1—40. vim et virtutem persensisse: ex iis, quae ipse disputat ad suam sententiam vindicandam, pauca excerpsi haec: „*Der zusammenhang ist sichtbar darin begründet, dafs diejenigen, welche Zeus hasse, unmusisch seien, und zu ihm gefleht wird, ihm zu gefallen; der erreichung dieses zusammenhanges dient das* Ζεῦ, τὶν εἴη ἀϊδάνειν. „*O kithara,*" *sagt der dichter,* „*du bist Apolls und der Musen gemeinsamer besitz; dir gehorcht tanz und gesang; du besänftigst auch die mächtigsten kampflustigen kräfte. Nur die Zeus nicht liebt, empfinden widerwillen gegen die stimme der Pieriden, wie das von Zeus gestrafte ungeheuer Typhoeus. Möge es vergönnt sein, nicht wie jene von Zeus gehafst, sondern ihm angenehm zu sein, ihm dem beherrscher des Aetna, dem gleichnamig die neu gegründete stadt jetzt einen pythischen sieg erlangt hat; worin die aussicht gegründet ist, sic werde auch ferner durch siege und musische siegesfeste (woran die kraft und herrlichkeit der musik, die vorher gefeiert war, sich gerade entfaltet) ausgezeichnet sein: möge dies Apoll, der musische gott der spiele, sich angelegen sein lassen.*" Adde quae O. Muellerus dixit Dissenii Opuscc. p. LV sqq. et Zeyss de Hom. et Pind. cett. p. 52 sq. — Praeterea lectu digna R. Rauchensteinii de hoc carmine disputatio extat Introd. Pind. p. 143—151. Is summam sententiam his comprehendit verbis: „*Die harmonie, die schöne ruhe der ordnung in der natur, im sittlichen leben und im staate ist dem Zeus lieb und steht unter seinem schutze; die rohe und wilde, der ordnung widerstrebende gewalt schlägt er.*" —]

EXPLICATIO.

V. 1 — 12. Prooemium de cithara Apollinis et Musarum regiam maiestatem Iovis et Martis ferociam bellicam deliniente. Obversatur poetae animo convivium deorum in Olympo, quale describit Homerus Il. I, 603 sq., ubi citharam modulatur Apollo, Musarum choro canente. Confer etiam alios choros divinos Nem. V, 23 sqq. Hesiod. Scut. Herc. 201. [Hymn. Hom. in Apoll. Pyth init.] Praeterea add. Müller. Prolegom. Mytholog. p. 425. Similiter in Hieronis aula cogita inter convivium victoriale hunc hymnum cantatum et saltatum sonantibus instrumentis musicis. — V. 1. χρυσέα, Hesiod. Scut. Herc. 203. Callim. in Apoll. 32. al., ut pleraque omnia deorum aurea sunt. — V. 2. σύνδικον πτέανον, instrumentum, in quo utrisque par et aequum ius est, instrumentum commune. Sic ἔνδικος Pyth. V, 103. Sed quo sensu communis cithara? Nempe Pindarus de summa vi musices dicturus non ψιλὴν πιθάριστιν praedicat, sed quae cum poesi coniuncta non sit; idque statim in fronte ingeniose significat. Cithara non solius Apollinis est, sed habent etiam Musae in eam ius; debet cithara, dum pulsatur Apollini, simul Musis inservire cantum earum comitando. — Ceterum post hos vocativos supple: te alloquor, te laudo; cf. Ol. IV. VIII. init. Nem. III, 65. VIII. init. — βάσις, incessus saltantium, ut βαίνειν, βαίνειν ἐν ῥυθμῷ, ἐμβαίνειν, cf. Boeckh. h. l. et Spanh. ad Aristoph. Nub. 638. et 651. et ad Callim. Apoll. v. 12. — ἀγλαΐας ἀρχά, initium festivitatis. Poeta more suo quod tum ipsum fiebat generalibus verbis exprimit. Loquente enim haec verba coryphaeo comissatio initium capiebat ab incessu chori, cantu chori et citharae postea accedente. Ceterum ad ἀγλαΐας cf. Hesiod. Scut. Hercul. 272. — V. 3. ἀοιδοί generaliter qui canunt, sive mares sive feminae, ut in Olympo Musae. — σάμασιν, quum tu sonis tuis signum das. Exstat adhuc melodia Pindarica primorum huius carminis versuum, doctissime explicata a Boeckhio de Metr. Pind. p. 266. Ibi inde ab hoc ipso versu incipit citharae et chori cantus. — V. 4. ἑλελιζομένα, cf. Ol. IX, 13. — ἀμβολὰς τεύχειν est ἀναβάλλεσθαι, incipere, ordiri, quod de cantu est Hom. Od. I, 155. VIII, 266.; cf. Iacobs. ad Philostr. p. 385. Suidas ἀναβολάς explicat etiam τὰς ἀρχὰς τῶν

ἀσμάτων, vid. Boeckh. — ἀγησιχόρων, quibus obtemperat chori saltatio et cantus. — προοίμια vero non sunt h. l. primi illi soni carmen antecedentes, quibus citharoedi cantum praeparabant, cf. Ast. ad Plat. de Legg. IV. p. 722. D. Nam quum hoc loco de maxima vi musices agatur, quomodo haec in praeludio isto insit? Neque vero cum Boeckhio nunc hymnos dico esse προοίμια (de qua significatione vid. Wyttenb. ad Phaedon. p. 124.), quum cithara non possit ἀναβάλλεσθαι alia prooemia quam musica. Et incommode hymni hic dicerentur ἀγησίχοροι, ubi cithara omnia regit. Verum προοίμια sunt per se omnino exordia sive in poesi sive in musica, veluti quum in his Pindari carminibus omnibus exordium poeticum videamus, huic quod respondet in musica est musicum sonorum exordium. Atque ita nunc accipe. Est autem exordium splendida pars cantus, quam eximie ornabant in poesi pariter ac musica. Iam verte totum locum: „Auscultat tibi incessus saltantium et obtemperant cantores signis tuis, simulac choros regentia exordia cantuum tuorum suscitas et ordiris." — V. 5. A minoribus transitur ad maiora. Cithara vi sua regit saltationem et cantum; attingit porro ceteros praesentes omnes, ipsum Iovem atque adeo Martem. αἰχματάν, pro adiectivo, ut Nem. IX, 37., nunc significat cuspidatum, quum ignis acutus sit. Designatur telum Iovis, quo tanquam hasta traiicit hostes suos. — κεραυνὸν ἀενάου πυρός, cf. ad Ol. II, 72. — V. 6. αἰετός in sceptro Iovis sedens fictus esse antiquitus videtur, atque ita expressit Phidias in sceptro Iovis Olympii. [Sophocl. fr. 766. Dind. ὁ σκηπτοβάμων αἰετός, κύων Διός.] Idem mos in mortalium regum sceptris observatus est, cf. Schol. Aristoph. Av. 510, 15., ut haud dubie expressa erat aquila in Hieronis sceptro. Cet. vid. Boeckh. h. l. — πτέρυγα χαλάξαις, memorat Tafel. aquilas numorum cum alis pendulis Iovem placatum significantes. Conf. inprimis Philostr. Imagg. c. 6: ὁ μὲν (αἰετὸς) ὁποῖος ἄμφω τὼ πτέρυγε ταλαντεύσας, et totum illum locum de vi musicae Orphei. — V. 7. ἀρχὸς οἰωνῶν, cfr. ad Ol. XIII, 21. — V. 8. ἀγκύλῳ, propter rostrum incurvum, ut Hom. Odyss. I, 538. αἰετὸς ἀγκυλοχείλης. — V. 9. ὑγρὸν νῶτον αἰωρεῖ, suspendit, librat tergum leniter motum, εὐδιάχυτον. Obversatur poetae animo motus avium dormientium, quae, ut aquila sceptro, ligno insidentes dum dorsum librant, plumas molliter movent. Poeta, ut vim musices describeret, totum locum et omnia verba huic consilio accommodavit; quare non satis habet consopitam dicere aquilam, sed ipsam etiam dormientem dulce et delinitam in somno exhibet. — V. 10. ῥιπαῖσι, vibrationibus sonorum; cf. Blomfld. ad Aesch. Prometh. 126. — κατασχόμενος, v. Matth. Gr. §. 496, 5. Rost. Gr. p. 568. ed. sext. Bernh. Synt. p. 345. — καὶ γάρ [h. e. καὶ γὰρ καί, nec mirum], nam etiam Mars consopitur. — ἄκμάν, aciem horrentem hastarum. — V. 12. κῆλα, tela citharae; cf. Ol. I, 112. II, 83. — ἀμφὶ σοφίᾳ, propter, per (Pyth. VIII, 34. Bernh. Synt. p. 245) artem coniunctam Apollinis et Musarum, redeunte poeta in fine ad initialem sententiam. — Post haec de universo prooemio nonnulla addam. Laudatur musicae vis mitigatoria, quae e Graecorum sensu maxime in citharae Apollineae sonis inest, non in tibiis affectum moventibus, cf. Müller. Dor. I. p. 343. Neque tamen tibiae ab huius carminis cantu abfuerunt, quae usitatae essent in epiniciis; sed praevalebant citharae, quemadmodum in universo hoc genere poesios, ut character musices tranquillus esset. Ipsum vero prooemium videtur ad solas citharas cantatum, ad imitationem Olympii chori, tibiae autem in sequentibus demum accesserunt; nam sequens quidem locus de Typhone tibias necessario postulat, fortasse solas; verisimile est diversitatem horum locorum etiam in musica graviter expressam fuisse. De sententia autem poetae haec tene: Quae Iuppiter non amat, ea terrentur cantu Musarum; quum enim implacabilem feritatem habeant, aversantur musicam ut naturae suae contrariam, quemadmodum bubones et vespertiliones lucem; at deorum Olympiorum et bonorum omnium animantium proprium est deliniri musica. Quorsum hoc dicit? Ut fulmen et sceptrum Iovis non quiescent in posterum, sic etiam Mars bellabit denuo, credo, sed non implacabiliter saevit, ut Typho. Spectatur igitur potius coniunctio potentiae, severitatis, fortitudinis cum lenitate, clementia, benignitate, iustitia, ceteris mitioribus sensibus, et proponitur regis perfecti exemplum, in quo utrumque genus inest. Verum quidem extolli maxime leniorum sensuum laudem, sed hoc necessario fieri debuit, quum vis, severitas, bellorum amor plerumque per se insint in regibus atque etiam in Hierone abunde inessent, ut magis clementia et pacis artes commendatione egerent. Tamen perfectum regis exemplum manifesto compositum est ex utroque genere virtutis, atque hoc est argumentum huius carminis vere poeticum.

V. 13—28. De improbis animantibus et de Typhone musicam aversantibus. — V. 13. *ἀτύζονται*, plurali numero, cf. Ol. II, 84. — V. 14. *γᾶν τε καὶ πόντον*, quum non homines tantum, sed etiam belluas immanes intelligat. Sunt enim etiam *θῆρες ἀϊδροδίκαι*, cf. Nem. I, 63. — *ἀμαιμάκετον*, cf. de voce ad Hom. Il. VI, 179. interprett. Reisig. ad Oed. Colon. 125. [et quos laudat Rostius Thes. L. Gr. s. v.] — V. 15. *Ταρτάρῳ*, de feminino cf. Boeckh. Tartarus est quod sub terra, Virgil. Aen. IV, 446. — De Typhone vid. Boeckh. h. l. et Tafel. — V. 17. *Κιλίκιον ἄντρον*, Hom. Il. II, 780. *πολυώνυμον*, *πολυθρύλητον*. [Homericae auctoritati hoc dederunt Pindarus et Aeschylus, ut Typhoeum olim in Cilicio antro educatum, deinde in Siciliam translatum facerent. Utraque enim regio subterraneis ignibus aestuabat.] — V. 18. *ταὶ ὑπὲρ Κύμας ἁλιερκέες ὄχθαι* sunt colles et iuga per tractum litoralem supra Cumas versus mediterraneam partem, regio tota ignibus subterraneis aestuans. Nam *ὑπὲρ Κύμας* sunt quae Cumis imminent altius posita versus mediterranea, de qua significatione praepositionis *ὑπέρ* vid. Boeckh. h. l. et nos ad Nem. VII, 65. *ἁλιερκέες* non ut in proximo litore, sed quia non longe abest mare, ut prospicientibus ex alto videantur mari septi hi colles. Typhoeus iacet sub his iugis et sub Aetna, per longum spatium porrectum monstrum a Sicilia usque ad illa loca Italiae, ubi Hiero nuper vicit. — V. 18. *κίων οὐρανία*, ut Atlas, cf. ad Aesch. Prometh. 357. Blmfld. — V. 20. *χιόνος ὀξείας*, quia pungit et stringit, gelu acutum Horat. Od. I, 9, 3. et acris hiems I, 4, 1. — *τιθήνα*, confert Tafel. *χιονοτρόφον Κιθαιρῶνα* Eurip. Phoeniss. 814. et *χιονοθρέμμονας σκοπιάς* Eurip. Hel. 1314. — *πάνετες*, etiam aestate, vid. Senec. Epp. 79. et plura apud Gedikium, Boeckhium, Tafelium. — V. 21. *ἐρεύγονται μέν*, oppositum est sequentibus dictis de Typhone sic: Unde eiiciuntur quidem flammae, Typhoeus autem exire non potest, sed inclusus tenetur. Virg. Aen. III, 575: Interdum scopulos avolsaque viscera montis Erigit eructans. — *ἀγνόταται* Boeckhio sunt castae, ut sulphur in lustrationibus operam praestans. Similiter Heynius. *ἀγνόν* quum proprie ad limpidam naturam ignis pertineat, mihi purissimos ignes pro lucidissimis et ardentissimis dicere videtur. Sic Tibull. I, 9, 36. purae fulminis viae. — V. 22 sqq. Dixerat generaliter, nunc singulatim diurnam et nocturnam eruptionem describit. Effusiones interdiu fundunt flumen fumi ardens. Obstante enim solis luce torrentes ignei (*Lava*) de monte decurrentes nonnisi fumo, fluminis instar per solum currente, manifestantur. Noctu vero, pergit, saxa rubicunda flamma in profundum deiicit aequor cum fragore. Etenim praeter torrentes illos, plerumque per laterum fissuras prorumpentes, passim etiam saxa eiiciuntur ignita e cratere montis, sive noctu sive interdiu; ac noctu quidem lucentia per tenebras flammis e cratere surgentibus propelli videntur. Quo quidem spectaculo quum nihil horribilius sit, optime hac re utitur in nocturna eruptione describenda, licet etiam nocturnum flumen magnificam speciem praebeat. — V. 24. *πόντου πλάκα*, vid. Iacobs. Animadverss. ad Anth. Gr. Vol. VI. p. 180. et Tafel. ad h. l. — *σὺν πατάγῳ* eximie in fine collocatum, ut Virg. Georg. I, 327. cum sonitu. — Ceterum ad universum locum Boeckh. conferes et Tafel. Et vid. Virg. Aen. 3, 570. ibique Cerda et Heyn. Exc. 15. Gell. N. Att. 17, 10. — V. 25. *Ἀφαίστοιο κρουνούς* de magnis ignibus. — *ἑρπετόν*, quodvis animal pedibus incedens, nunc centiceps monstrum et *θηρίον* Typhoeus. [Cfr. Ahrens de Dial. Dor. p. 505.] — [V. 26. Scholiasta: *Θαυμαστὸν μὲν ἰδεῖν, θαυμαστὸν δὲ καὶ τῶν παριόντων καὶ ἑωρακότων ἀκοῦσαι.* Et sic fere cum reliquis interpp. Boeckhius: prodigium sane mirabile aliquod adspectu, miraculum vero etiam auditu ex iis, qui affuerunt. Mihi praegressa reputanti haec mens esse poetae videtur: et videntibus flammas eiectas et audientibus fragorem montis miraculum est. Ut *παριόντων* mihi ad utrumque pertineat membrum: *θαυμάσιον μὲν τέρας παριόντων προσιδέσθαι, θαῦμα δὲ καὶ ἀκοῦσαι.* Voci *θαῦμα* duplex comes additur: primum Typhoei irascentis terriculamenta sunt universe *θαῦμα παριόντων*, deinde *θαῦμα καὶ προσιδέσθαι καὶ ἀκοῦσαι. Παριόντων* autem ut alteri demum membro adderet poeta, effecit variata structura — nam facilius *θαῦμα παριόντων* dicitur, quam *θαυμάσιον τέρας παριόντων*, ubi *παριοῦσι* potius foret dicendum, — nec est, cur quis in *τέρας θαυμάσιον* et *θαῦμα* — expectet enim quispiam *θαῦμα μὲν προσιδέσθαι, θαῦμα δὲ καὶ ἀκοῦσαι* — invicem relatis magnopere offendat. Quanquam scriptura non caret dubitatione nuperque Kayserus *τέρας μὲν θαῦμα περισσὸν ἰδέσθαι* ex vestigiis librorum efficiebat. Cui tamen vel id obstat, quod *μὲν* particula non tam ad *τέρας*, quam ad *θαυμάσιον*

τέρας addenda fuit.] — V. 27. μελαμφύλλοις, umbrosis densitate silvarum, cf. Hermann. et Doederl. ad Sophocl. Oed. Col. 483. Inter vertices et solum vinctus iacet, ἐνδέδεται. Sensum loci recte explicant sic: Mirabile visu audituque, ut hoc monstrum sub Aetna vinctum laboret et luctetur. Etsi enim ipsum Typhoeum nemo viderat, tamen, quum crederetur ibi iacere, qui eruptiones montis spectabant videbant etiam et videbantur sibi videre, ut vinctus ibi iaceret et stimulante tergum aspero solo furens frustra tollere se conaretur flammasque et saxa eiiceret.

V. 29—89. Laudes Hieronis. Accedimus ad mediam carminis partem. Dixi supra proponi a poeta in hoc carmine regis perfecti exemplum, constans ex oppositis virtutibus; quae res si vera est, hic locus, laudes Hieronis continens, ita comparatus esse debet, ut hanc oppositarum virtutum coniunctionem in rege videamus. Atque ita est; constat locus quattuor partibus, quarum binae coniungendae sunt. Atque ita perspicitur mira alioquin futura adornatio haec, quod bis de pacis rebus, bis de bellis dicit separatim. In quo etiam illud notabis, quum in principio et in fine carminis mitiores sensus magis extollantur, in hoc loco proelia luculentius laudari, propterea quod perfecti regis virtus, ut supra significavi, pariter ex utroque genere constat. Sed quid est, quod non apertius directa oratione dixit: Tu, Hiero, praeclarus rex es, ipsi Iovi comparandus, pacis artes et bella pariter amans; nam ludicras coronas reportas et proeliis hostes fundis cett. Loquutus esset ita clarius Pindarus; num melius, vehementer dubito. Veteres certe intolerabilem dixissent poetam, qui tam invenuste et indecore laudaret, quique Olympum et deorum summum regem Iovem non tecte compararet, sed palam effatus quae sentiri, non audiri debebant. Perspicies nunc iudicium Pindari, qui ita totum hunc locum tractavit, ut poneret quidem ea omnia, quibus laus Hieronis constare debebat, singulis vero partibus eam tractationem adhiberet, quae iis maxime conveniret. Primum igitur quum ludicra victoria Hieronis laudanda esset, facit hoc, sed ita, ut Aetnae salutem et florem precetur, cui haec victoria prima augurium est aliorum decorum et carminum. Deinde fortitudo bellica Hieronis laudari debebat; facit etiam hoc, sed ita, ut, quum aegrotaret Hiero, animum eius proeliorum et facinorum magnorum memoria exhilarari velit. Atque ita ex duobus locis oppositis componitur prima laudis regiae declaratio. Post haec de civitate Aetnae recens condita dicendum erat; facit hoc ita,

ut a filio Dinomene ordiatur eumque laudet tanquam regem novae civitatis a patre constitutae. Denique ad preces pro urbis salute rediens, sic ad celeberrimam pugnam Himerensem venit, qua absolvi debebat hic locus. Atque haec est altera eiusdem laudis regiae declaratio. Igitur in singulis partibus alia tractatione adhibita fit, ut primo adspectu totidem diversos locos videre credas, nonnisi externo vinculo coniunctos, quanquam vel sic communem omnibus colorem poeta dedit, ad formam precationis pro Aetna et Hierone pleraque revocans. — V. 29 sqq. Post descriptas terribiles Typhoei iras poenasque eximio transitu ad Iovis venerationem conversus pergit: Utinam tibi placeant verba et preces, quas pro urbis Aetnae felicitate fundo. Sed hoc ita dicit: Utinam tibi placeam (cf. ad ἀνδάνειν Ol. III, 1.), qui hunc montem gubernas, cuius cognominem vicinam urbem Hiero illustravit, h. e. utinam a te exaudiar, qui, quum hunc montem gubernes, etiam urbem cognominem tibi commendatam habere debes. εἴη, Pyth. II, 83, 96. Fragm. nr. 133. — V. 30. μέτωπον, ut summus Siciliae mons. Metaphorae a corpore humano desumptae innumerae tales, πόδες, ἄγκεα, ἀγκάλαι, νῶτα, στέρνον, δειραί, ὀφρύες, κρόταφοι, κάρηνον, κορυφή. — V. 32. Πυθιάδος ἐν δρόμῳ, cf. Ol. I, 94. — ἀνέειπε, proprium de praeconibus, cf. Schaefer. ad Gregor. Cor. p. 494. — ὑπέρ, nomine et iussu Hieronis. — V. 33. structura: ναυσιφορήτοις δ' ἀνδράσι πρώτα χάρις (primum et maximum gaudium) ἀρχομένοις πομπαῖον οὖρον ἐς πλόον ἐλθεῖν. — ἐοικότα γὰρ cett. Probabile enim fore, ut finis etiam reditus melior contingat. Ad constructionem aoristi pro futuro vid. Pyth. IV, 244. Denique τελευτὰ νόστου optime dictum, cf. ad Ol. II, 17. — ὁ δὲ λόγος cett. Haec ratio in praesenti victoriae eventu s. in hac congruentia victoriae tuae iustam exspectationem movet. Nam Hieronis victoria in ipsis urbis initiis tam prospere accidit, ut similis fausto vento proficiscentibus nautis contingenti videatur, unde felicia augurari liceat. — λόγος, dictum, sententia, ut Ol. II, 22. (*dieser wahre Satz, diese Wahrheit*). — V. 38. σὺν εὐφώνοις θαλίαις, inter comissationes, qualis haec nunc. — V. 39 sq. Cumulat cognomina honoris causa et ad potentiam dei significandam, ut solent in invocationibus. Λύκιε, nobilissimum templum constat Patarae fuisse, vid. Müller. Dor. I. p. 217. et Horat. Carm. III, 4, 61 sqq., qui locus nostro simillimus comparandus est. Coniunguntur autem Lycia et Delus, quoniam deus hinc inde commeare credebatur. — νόῳ τιθέμεν, Home-

ricum ἐν φρεσὶ θέσθαι. De activo comparari potest ζυγὸν αὐχένι θέντες in Epigr. ap. Demosth. de Coron. p. 322. Et ap. Pindarum κόμας ἀναδήσαντες Pyth. X, 40., pro quo Nem. XI, 28. est ἀναδησάμενος κόμαν. Adde inprimis Indices ad Sophoclem, et vid. Matth. Gr. §. 496, 2. — ταῦτα — εὔανδρόν τε χώραν, h. e. haec tibi cordi sint ut fiant, et viris egregiis ut floreat regio, s. victorias des et florem virorum egregiorum, qui quaerant victorias. Erat vero Apollo κουροτρόφος. [Ad exemplum Alcmanis in not. crit. allatum accedant gemina Eurip. Phoen. 951: πικρὸν δ' Ἀδράστῳ νόστον Ἀργείοισί τε θήσει, κλεινάς τε Θήβας. Homer. hymn. Ven. 104: ποίει δ' εἰσοπίσω θαλερὸν γόνον, αὐτὰρ ἔμ' αὐτὸν δηρὸν ἐῦ ζώειν. Plato Sympos. 188. D: οὗτος πᾶσαν ἡμῖν εὐδαιμονίαν παρασκευάζει καὶ ἀλλήλοις δυναμένους ὁμιλεῖν, quibuscum contuli Theognideorum v. 337. 38., modo ibi θείη pro δοίη scribatur. Adde Soph. O. R. 189 sqq.] — V. 41. ἐκ θεῶν γὰρ cett., a diis enim conatuum et moliminum perficiendorum rationes omnes sunt virtutibus hominum, s. quicquid perficiunt humanae virtutes, diis debetur. μαχαναί rerum perficiendarum rationes et subsidia (*Wirksamkeit und Vermögen, etwas zu vollenden*). — V. 42. σοφοί, poetae, περίγλωσσοι, eloquentes, quod propter Siculos addit, monente Boeckhio, qui e Cic. Brut. c. 12. ostendit iam sub tyrannis accurate et de scripto dictum Syracusis, etsi non via nec arte, immo Corax sub Hierone iam eloquentia valuisse videtur. Add. Müller. Dor. II. p. 159. [et Spengel. Συναγωγ. τεχν. p. 23 sqq.]. — Absolvimus primam loci partem, in qua omnia ad Aetnae incolumitatem et laudem futuram revocata sunt, ut par erat in victoria prima; simul tamen Hieronis laus ludicra inest, immo ab hac victoria omnis futurae gloriae omen urbi ducitur. Accedit hinc ad bellicam virtutem Hieronis et nunc quidem omnia ad Hieronis personam revocantur, ut antea omnia ad Aetnam. — ἄνδρα, quum in versibus proximis Apollinem et deos laudasset. Sensus: „Hieronem vero laudaturus spero me non quasi extra certaminis spatium iaculum vibraturum, at longo iactu superaturum adversarios," quibus verbis praeclaram laudem nuntiat, ut solet etiam alias excitare attentionem ad ea, quae dicturus est, veluti statim Pyth. II, 62. Et cf. Nem. VI, 28. — χαλκοπάραον, ut Nem. VII, 105. — ἔξω ἀγῶνος idem fere, quod παρὰ σκοπόν Ol. XIII, 90., h. e. aliena dicere. Compara Lucian. Gymnas. c. 21:

καίτοι ἔξω τοῦ ἀγῶνος ἴσως ταῦτα, et ibid. c. 19. ἐξαγώνια; adde de Imagg. c. 18. Sed proprie haec significant quae extra causam sunt, τοὺς ἔξωθεν λόγους dicit Demosth. de Coron. p. 228. — V. 45. ἀμεύσασθαι, praeterire, superare, cf. Pyth. VI fin. Ceterum aoristum in hac constructione modo vidimus v. 35. — V. 46. ὁ πᾶς χρόνος, omne tempus futurum, Ol. VI, 56. Nem. I, 70. Saepius Pindarus χρόνον memorat pro vi divina. Ol. VI, 97. VIII, 28. Nem. IV, 43. Nulla tamen personificatio, cf. Ol. II, 17. — εὐθύνοι, dirigat ad eum, ἐπ' αὐτόν (ut Nem. VI, 29: εὐθυν' ἐπὶ τοῦτον ἐπέων οὖρον) οὕτω, sic, ut nunc [vel sic, ut precor]. Conf. Ol. II, 49: ἐς ἀδελφεὸν Χάριτες ἄνθεα τεθρίππων ἄγαγον. [εὐθύνοι est potius recta deducat, recta via procedere faciat: sic Nem. II, 7. αἰὼν εὐθυπομπός. — Statim v. 46. acute iuxta posita sunt ἐπίλασιν παράσχοι et ἀμνάσειεν.] — ὄλβον μὲν — καμάτων δ' —, prosperum rerum successum cum divitiis, dolorum vero corporis oblivionem det. Calculo enim laborabat Hiero, cf. Schol. h. l. et ad Pyth. III. Vid. Boeckh. — V. 47. ἦ κεν ἀμνάσειεν cett. „Sine dubio admonebit eum tunc tempus qualia proelia ante forti et infracto animo sustinuerit." Vides bellorum memoratione suaviter moneri regem, ut hos etiam labores τλάμονι ψυχᾷ ferat, et quantum fieri possit obliviscatur maiorum et illustrium laborum memoria. — εὑρίσκοντο. Hiero cum fratribus, inprimis Gelone, qui fundaverat imperium. Vix poterat Pindarus dicere aliter, quum non ultima tantum bella intelligi vellet a rege gesta Hierone, sed priora etiam, quibus interfuerat vivente Gelone, qualis Himerensis pugna. Ceterum de εὑρίσκεσθαι cf. Pyth. III, 111. et activum Ol. VII, 89. — τιμάν, imperium et honorem ex imperio, plane ut Pyth. II, 59. Ac summam esse Syracusanorum principum et nunc Hieronis regiam potentiam et dignitatem necessario dici debebat in hoc carmine propter comparationem cum Iove Olympio supra significatam. — V. 50. ἀγέρωχον Ol. XI, 82. — νῦν γε μὰν cett. Nunc tamen luculentissime probavit patientiam et infractum animum, ut Philocteta, aegrotus in bellum profectus; necessitate enim coactus etiam superbior aliquis ab altero auxilium petit. Similiter Lemno arcessiverunt heroes Philoctetam. Hieronem vero quod attinet, perspicue docet Boeckhius Etruscum bellum intelligi, hoc ipso anno gestum a Graecis et Hierone, quo Etrusci ad Cumas devicti. — δίκαν ἐφέπων,

Schol. τρόπον μετερχόμενος, rationem, exemplum sequutus. — [ἐστρατεύθη significat Hieronem precibus permotum esse ad bellum gerendum.] Verba καί τις ἐὼν μεγαλάνωρ de Cumanis intelligenda demonstrat Boeckhius, qui legatos ad Hieronem miserant, sive nunc ipsa urbs significetur sive summus eius magistratus. Habet vero loquutio proverbii indolem, ut commode etiam de urbe dici potuerit. — μιν φίλον ἔσανεν, palpavit eum, ut amicus esset. [Rauchensteinius I, 5 sq. σὺν δ' ἀνάγκᾳ μὴ φίλον — ἔσανεν coniecit, h. e. necessitate fit, ut etiam superbus aliquis blandiatur ei, qui amicus non sit. Sed Hermanni scriptura a me reposita teste nititur lemmate scholiorum, nec debebat vir doctus formam ἀναγκαία a lyrici poetae usu abiudicare, qua Homerus, Tyrtaeus, alii poetae vetustiores usi sint, v. Lobeck. Parall. p. 309. — Statim ad μετανάσσοντας Rauchensteinius conferri iubet Pyth. V, 67: (Ἀπόλλων) ἐν Ἄργει ἔνασσεν Ἡρακλέος ἐκγόνους.] — Ceterum Diodorus narrat Hieronem hoc bellum per duces suos administrasse; sed perit omnis vis loci, nisi ipse interfuit. — V. 52. φαντὶ δέ, explicatur nunc comparatio. — μεταμείβοντας, translaturos, repetituros e Lemno; cfr. not. crit. Ceterum fabula nota, cf. Sophocl. Philoctetam. [Welckerus Cycl. Ep. II, 239. ἥρωας Ulixen et Diomeden interpretatur. Noli credere: pluralis universe accipiendus, ut Pindarus non discessisse a Lesche Lesbio videatur, qui unum Diomedem Lemnum abisse reducturum Philoctetam tradidit. Cfr. Philol. IV, p. 650 sq.] — τοξότας additum, quum propter sagittas venirent, quarum ope Troia caperetur. [Prolegg. Soph. Phil. p. 106 sq.] — V. 54. magnifica haec laus etiam Hieronis causa addita, cuius similis gloria in Etrusco bello. — [V. 55. ἀσθενεῖ χρωτὶ ἔβαινε Philocteta Troiam, sed sanatum esse ibi vulnus per Asclepiadas Aesculapiumve ipsum ut non negat Pindarus, ita tacet, quo similior esset heros regis Hieronis. Monuit contra Boeckhium Welckerus Mus. Rhen. V, 480.] — V. 56. Sic vero Hieroni deus adsit in posterum, ut olim Philoctetae affuit. — ὀρθωτῆρ, fortunae propitius auctor. [θεός pro una brevi haberi posse negans H. Ahrens in dissert. de crasi et aphaeresi p. 17. οὕτω δ' Ἱέρων. θεὸς κτλ. scribendum suspicatur, i. e. ita etiam Hiero, quamvis corpore invalidus, sicut Philoctetes, hostes vicit. Contra quae G. Hermannus in dissertat. de Pindari ad solem deficientem

versibus Lipsiae a. 1845. p. 14. sententiae adversari Ahrentis coniecturam disputat. „Nam aegrotantem ad bellum profectum esse Hieronem, ut olim Philoctetam, iam dictum erat: illud nunc erat dicendum, sicut Philoctetes liberatus morbo esset, ita Hieroni quoque restitutum iri valetudinem. Itaque si Ἱέρων scribere vellet, rectius sic scripsisset: οὕτω δ', Ἱέρων, θεὸς ὀρθωτὴρ πέλοι τὸν πρ. χρ. ὧν ἔρασαι καιρὸν διδούς." Ista etiam Mingarelli fuit elegans profecto coniectura. Mihi aliquando θεὸς σωτῆρ scribendum videbatur: nam ΘΕΟΣΣΩΤΗΡ a ΘΕΟΣΟΡΘΩΤΗΡ quantillum distent apparet. Nunc haud scio an nihil sit de voc. θεός pro una brevi usurpato metuendum, quum reperta in titulis Megarensibus L. Rossii Θεόδωρος, Θέμναστος (ut alias Κλέστρατος, Κλέμαχος simm.), alia eiusdem generis docere videantur, vocem θεός certe in compositis apud Dorienses mutilari solitam esse interdum. Quod quidni Pindaro licuisse credamus in carmine lyrico imitari?] — V. 57. καιρόν, opportunitatem, usum, fructum, Ol. II, 54. — Absolvimus nunc etiam hunc locum, in quo quum fortitudo Hieronis bellica laudanda esset, ita hoc vides a poeta institutum, ut, quum aegrotaret rex, ad consolationem eius omnia revocaret. — Exin a v. 58. sequitur locus in hac carminis parte tertius de civitate Aetnae recens ab Hierone condita. Hic quum etiam Dinomenes honoris causa nominandus esset novae urbis rex, ita totum hunc locum tractavit, ut ad huius laudem omnia revocaret, quasi nonnisi propter hunc de urbe ei credita diceret. — V. 58. „Musa, canamus nunc etiam apud Dinomenem laudem huius victoriae curulis." Quum de vera profectione cogitari non possit, sensus erit: Mente et cogitatione eamus nunc etiam Aetnam ad Dinomenis domum; unde ego concludo carmen Syracusis cantatum in aula Hieronis, Dinomenem autem non affuisse, quippe Aetnae gubernatione occupatum. Unde nunc etiam ad hunc tendere debent Musae. Boeckhius vero hymnum nostrum Aetnae cantatum statuit apud Dinomenem, ita interpretans καί: „Etsi apud Dinomenem versamur, tamen non inconvenienter Hieronis celebramus victoriam, h. e. quidni apud Dinomenem Hieronis victoriam canamus?" Mea tamen explicatio magis cum verbis convenire videtur. Nec obiici potest multas Aetnae laudes inesse, quae melius in ipsa urbe audiantur: nam primarium carminis argumentum vidimus ipsius Hieronis laudem esse. Praeterea potuit carmen alio tempore Aetnae cani in festo Iovis Aetnaei, ex instituto

Hieronis; de quo vid. ad Ol. VI, 96. — V. 59. *ποινάν*, praemium (sensu bono, ut Nem. I, 70), laudem, *κελαδῆσαι*, cf. Ol. X, 14. *κόσμον κελαδεῖν*. — *χάρμα δ' οὐκ ἀλλότριον*, gaudium non alienum ab eo, sed intimum. Ceterum sensus filii probant eius donaria Olympica, Pausan. VI, 12. — V. 60. *ἔπειτα*, quum haec ita sint. — *Αἴτνας βασιλεῖ*, non Iovi, sed Dinomeni; et *φίλιος ὕμνος* est ipse locus sequens, qui civitatis praeclara instituta celebrando regem honorat et celebrat ei praefectum. Dicitur igitur *ὕμνος* magnificentius omnino pro laude, velut Pyth. VIII, 57. — V. 61. „Cui urbem illam Hiero secundum Hyllicae normae leges condidit." *τῷ*, h. e. ut hic ibi regnaret. Postea tamen Chromius, affinis regiae genti, ad urbem gubernandam vocatus est, cf. ad Nem. IX. Quum tres tribus Doricae essent, *Τλλεῖς*, et ab Aegimii filiis Pamphylo et Dymane oriundi *Πάμφυλοι* et *Δυμᾶνες* siv. *Δυμανᾶται*, Dorienses *Ἡρακλέος ἔκγονοι Αἰγιμίου τε* dicuntur Pyth. V, 68., sive *Τλλου τε καὶ Αἰγιμίου στρατός* Fragm. Isthm. nr. 4. Ita fit, ut etiam leges et instituta Dorica eodem iure vel Hylli vel Aegimii dici possint, significentque idem *Αἰγιμίου τεθμοί* et *Τλλις στάθμα*. Qualia haec fuerint, hodie satis constat; vid. praeter Boeckhii Explicationes inprimis Müller. Doriens. Tom. II. et Hoeckii Hist. Cretae. — *θεοδμάτῳ σὺν ἐλευθερίᾳ*, praeclara cum libertate, ut Isthm. V. 10. *θεοδμάτους ἀρετάς*, praeclaras, eximias. Adde similes voces ad Ol. II, 36. Libertatem vero intellige non effrenem, sed qualis est in Doricis civitatibus. — *ἔκτισσε, κτίστωρ Αἴτνας* Fragm. Hyporchem. nr. 1. — Erant novi incolae e Gelois, Megarensibus, Syracusanis, Peloponnesiis collecti, et Peloponnesiorum quidem ut Syracusanorum quinque milia; cf. Schol. et Diod. XI, 49. cum Boeckhio; quae quidem omnes civitates quum Dorica instituta haberent, haec etiam Aetnae ab Hierone instituta sunt. Pindarus tamen inprimis propter Peloponnesios hoc factum dicit; pergit enim v. 62 sqq.: „Volunt autem Pamphyli et Heraclidarum posteri sub Taygeto habitantes semper manere in Aegimii institutis Doricis," h. e. sunt enim Doriensium qui sub Taygeto habitant veterum institutorum tenacissimi, quare etiam Aetnam profecti noluerunt aliis legibus vivere. Videmus hinc, quod etiam ab aliis observatum, Spartanam rempublicam fuisse Doricarum omnium maxime genuinam, quum hi prae ceteris prisca instituta servarent. Sed cur nonnisi Pamphylos et Herculis posteros nominat, quum tres tribus essent, eaeque haud dubie etiam Aetnae institutae? Quum Pindarus ubique accurate loqui soleat, suspicor Peloponnesios, qui Aetnam migraverant, ex his maxime duabus tribubus fuisse, quod casu fieri potuit. Denique videntur hic coloni non omnes, at pars tamen ex Amyclaea regione venisse, licet Müllerus noster Hist. Dor. II. p. 48. Spartanos non censeat habitasse extra Spartam in proximis oppidis. Sed Pindarus, qui migrationem Doricam per se describere noluit, quorsum addit v. 65 sqq: Ceperunt Amyclas e Pindo profecti, in vicinia Tyndaridarum, nisi honoris causa sedem nobiliorem horum colonorum indicare voluit? Sic Amyclas nominat, licet non omnia quinque milia inde venerint. Ceterum probabiliter censet Müller. Orchom. p. 319., Dor. I. p. 91 sqq., non Spartam, sed Amyclas principem olim Pelopidarum sedem et caput regni fuisse; licet vero postea parvae essent Amyclae et pristinus splendor oblitteratus, nihilominus multarum rerum memoria clarae manebant in fabulis. — [V. 64. Qui *ὄχθας ποταμῶν χείλη, ὄχθους ἐπάρματα γῆς* dici iubent grammatici, poetarum arbitrio refelluntur, cfr. Et. M. 645, 17. Mehlhorn. Anacr. p. 97. Lobeck. Pathol. p. 13. Sic Soph. Ant. 1119. *Νυσαίων ὀρέων κισσήρεις ὄχθαι.*] — V. 66. *Πινδόθεν ὀρνύμενοι*, contrahente Pindaro has migrationes. Vid. Müller. Dor. libr. I, 1. — *Τυνδαριδᾶν γείτονες*, qui apud Pindarum in vicinia Amyclarum Therapnae habitant et sepulti sunt, cf. Pyth. XI. fin. Nem. X, 56. Isthm. I, 31. Etiam Aetnam suspicatur Boeckhius eorum cultum translatum. Vides autem simul fortitudinem horum Doriensium significari. — *ἄνθησεν* Nem. IX, 39. — V. 67 sq. Sensus: Utinam semper eadem prospera fortuna civibus et regibus maneat. In constructione loci Hermannum sequor, qui explicat: *αἶσα διακρίνει λόγον ἀνθρώπων*, fortuna arbitra est sermonibus hominum, falsos damnat, veros comprobat. Vult igitur poeta hoc: Utinam semper tali fortuna praeclara confirmentur sermones hominum, ut nunc meas laudes res ipsa confirmat. Nam laudes quidem fortasse non defuturae erant urbi, quae tam cara esset Hieroni, quam praedicabant qui regi placere volebant; quare illud Pindarus precatur, ut semper etiam confirmentur sermones hominum re ipsa. Boeckhius ita vertit: „Precor verus hominum sermo semper talem fortunam Aetnae adiudicet et decernat." — Amenas, de quo Cluv. Sic. Ant. p. 142., fluvius Aetnaeus, Amenaus et Amenanus dictus. — *διακρίνειν*, cf. Ol. XIII, 114. Ibidem est *Ζεὺς τέλειος*, Iup-

piter perfector. — V. 69 sqq. Felicitatis, quam optat, duo fundamenta sunt, sine quibus ea cogitari non potest, si domi concordia sit et securitas foris ab hostibus. Utrumque similiter coniunctum Nem. IX, 28 seqq. Quare nunc dicens de his rebus, sic ad bellicas laudes Hieronis orationem reducit, quae totum hunc locum absolvere debent. — *σύν τοι τίν*, tua enim ope cett. — *ἀγητὴρ ἀνὴρ (αὐτὸς) υἱῷ τ' ἐπιτελλόμενος*. Cfr. ad Isthm. IV, 19. — *σύμφωνον ἐς ἀσυχίαν*, qua ante omnia opus, quum e diversis regionibus convenissent hi cives. — *γεραίρων*, non opprimens, sed benigne habens mitique imperio regens. — V. 71. *λίσσομαι*. Deinde precor securitatem ab hostibus. De asyndeto in precibus cf. Excurs. II. p. 346. Mox *ἄμεροv κατ' οἶκον ἔχῃ*, h. e. *κατίχῃ*, maneat in domo pacata. *κατέχειν* est constanter tenere, nec relinquere. — V. 72. *Τυρσανῶν ἁλαλατός*, h. e. *Τυρσανοὶ ἁλαλάζοντες*, exercitus, quare nulla hic est personificatio, quam proprie dicimus. — *ἰδών*, quum viderit tristem cladem navibus illatam; audacius, sed nervose iunctum cum *ἁλαλατός*. [„Phoenices Tyrrhenosque ut hostes advenientes contraque Siculos pugnantes apud Cumas, hoc Pindarus ex sua mente appellat (non pugnam ad Cumas, sed) *ὕβριν τὰν πρὸ Κύμας*, quumque in perniciem illis abisset, *ναυσίστονον ὕβριν τὰν πρὸ Κύμας*. Itaque quiescant, inquit, illi *ὕβριν* ad Cumas suam in perniciem versam qui viderint." Heimsoethius p. 23. Cum syntaxi *ἁλαλατὸς — ἰδών* confer Thuc. I, 110: *τὰ τῶν Ἑλλήνων πράγματα ἐφθάρη ἓξ ἴτη πολεμήσαντα*. Plura dabit praeter Fritzschium ad Lucian. Alex. 22. Lobeckius ad Soph. Aiac. p. 74 sq., qui Pindarico exemplo vindicat Aesch. Suppl. 482. *οἶκτος εἰς δῶν τάδε*. — Ceterum pulchre Rauchensteinius Introd. p. 150. animadvertit Cumarum memoriam supra de industria factam v. 18 sq et hic repeti, quo illa cogitatio animo lectorum sese insinuaret, Typhoei instar esse barbaros a Graecis debellatos.] — V. 73. *οἷα*, necessario ad hanc ipsam cladem referendum, quam poeta ornatius explicat. Quare *Συρακοσίων ἀρχός* Hiero est. *πάθον*, Etrusci et Carthaginienses; quum versu antecedente de utrisque dictum sit, nunc non licet Carthaginienses excludere, licet Diod. lib. XI, 51. Etruscos tantum commemoret. Verius Scholiastes Pindari ad h. l. Et gravissimum bellum fuisse ipsa poetae verba satis declarant. — V. 74. *ἁλικίαν*, i. e. *τοὺς ἐν ἡλικίᾳ*, qui in aetate militari sunt. — V. 75. *Ἑλλάδα*, Graecam terram, *τὴν ἐν Ἰτα-*

λίᾳ, μεγάλην Ἑλλάδα. De *δουλίας* sensu politico, non confundendae cum *ἀνδραποδισμῷ*, vid. Boeckh. Oeconom. Athen. I. p. 439. — *ἀρέομαι παὰ μὲν Σαλαμῖνος* cett. Iuncturam fieri puta per gradationem. Dixerat eximiam esse Hieronis ad Cumas victoriam; pergit: Himerensis vero pugna principibus Graeciae proeliis par est. Occultatur haec antithesis asyndeto, sed asyndeton magnificum est in tali oppositione. Cfr. Excurs. II. p. 344. Verba: *ἀρέομαι — μισθόν* verto: Tollam ad Salaminem Atheniensium laudem iis mercedem, ut statim dicit *ὕμνον τελέσαις*, persolvens hymnum, quo sensu idem legitur Pyth. II, 13. De voce *μισθός* cf. Nem. VII, 63. et Epigr. ap. Aeschin. in Ctesiph. p. 445. Bekk. Honesta vox de honore illustribus meritis habito. Pindarus saepe sic *ἄποινα* usurpat. *παρὰ Σαλαμῖνος* non verto: e Salamine tollam, sed ad Salaminem, ubi pugnata est pugna. *Παρά* c. genit. Pyth. X, 62., cf. Matth. Gr. §. 588. Nec *ἀρέομαι* dicit vere profecturus eo, sed ut poeta mente, quemadmodum Ol. I, 8. Olympiae suscipitur hymnus, qui Hieroni canitur. — Porro cum Hermanno me retinere dixi *ἐρέω*, qui monet *δέ* v. 79. ad oppositionem locorum adhibitum. Quare verto totum locum: Athenienses remunerabor laude ob Salaminiam victoriam, Spartae canam pugnam ad Cithaeronem, pro Himerensi vero proelio Dinomenis filiis hymnum solvens, h. e. ita tamen, ut simul pro Himerensi proelio Dinomenis filios canam. (*Die Athener soll man preisen wegen des sieges bei Salamis, in Sparta singen die schlacht am Cithaeron, indem man aber zugleich wegen der thaten am Himeras des Dinomenes söhnen lob zollt.*) Mihi ex hac ratione pulchre participium positum videtur in tertio membro, quum significare vellet illas laudandas pugnas non sine hac, hanc non seiungendam ab illis. Boeckhius meus scripsit *ἐρέων*, construens *ἀρέομαι μισθόν*, mihi tollam mercedem, *παὰ μὲν Σαλαμῖνος Ἀθαναίων χάριν ἐρέων, ἐν Σπάρτᾳ δ' ἐρέων πρὸ Κ. μάχαν* cett.; sed primum displicet: tollam mihi mercedem — Dinomenis filiis solvens hymnum; deinde omnino quod sibi mercedem sperat, alienum videtur a magnificentia loci, ubi alios honorare vult; et si dicas simul hoc inesse: singulas victorias singulis inprimis caras esse, ut propterea remuneraturi sint Pindarum, etiam sic admisceri videtur quod abesse malim. Neque enim de Atheniensium, Spartanorum, Dinomenis filiorum, sed de suo et ceterorum hominum agere videtur iudicio, esse illas pugnas pro maximis habendas et plane pares. — Ceterum non iunxerim verba:

παρὰ τὰν εὔυδρ. ἀκτὰν Ἰμέρᾳ cum τελέσαις, sed cum verbis τὸν ἐδέξαντ' κ. τ. λ., ad Himeram quem meruere. De quo genere collocationis cf. Beier. ad Cic. de Officiis pag. 103. et 112. Vulgo post τελέσαις interpungitur, sed incommode poetam ad Himeram stantem cogitaveris. Petitur quidem laus ex illis locis, solvitur autem ibi, ubi Dinomenis filii sunt, ut Spartanorum laus canitur Spartae, non ad Cithaeronem. Ceterum ἐδέξαντο est tulerunt divinitus concessum, cf. Nem. II, 4. [Sic intelligo: Mihi tollam (comparabo) praedicanda Salamine gratiam Atheniensium pro mercede, Spartae autem dicam Plataeensem pugnam (quo Spartanorum mihi gratiam aeque mereram), Himerensem autem pugnam carmine celebrans Dinomenis mihi filios devinciam. Quae nihil sibi volunt aliud, quam praestantissimas Atheniensium et Spartanorum victorias de barbaris reportatas aequari pugna Himerensi; et ut Athenis et Spartae nihil acceptius sit auditu quam victorias illas, sic nihil iucundius Dinomenidis quam Himerensem victoriam laudibus celebrari. Ceterum Boeckhii ἐρέων ferri nullo modo potest: debebat vel λέγων vel εἰπών dici.] — ἀμφ' ἀρετᾷ, propter, per virtutem. Dinomenis autem filii sunt Gelo, Hiero, Polyzelus, Thrasybulus, vid. Simonidis Epigr. in Scholiis, nr. CXCVI. Schneidewin. De ipso proelio Himerensi praeter Schol. cf. Herod. VII, 165. Diod. XI, 20.

V. 81 — fin. Transit ad ultimum carminis locum, qui admonitiones continet. [Opportune ego, ait poeta, laudibus vestris breviter defungar, multarum rerum summam paucis complexus; ita enim minori hominum vituperationi obnoxius est et qui laudat et qui laudatur. Cfr. similes locos, ubi de brevitate sermo est, cui poeta se ubique studere dicit, Pyth. IV, 247. IX, 79 sqq. etc.] — καιρόν, s. κατὰ καιρόν, si modice loquaris et quantum conveniat. — πολλῶν πείρατα, multarum rerum fastigia (compara Virg. Aen. I, 342.) contrahens in breve. Contrarium ἐκτείνειν λόγον, et τείνειν, ἀποτείνειν, ἐκτείνειν μακρόν, cf. Valcken. ad Herod. VII, 51. Heindorf. ad Plat. Gorg. p. 65. Blomfld. ad Aesch. Agam. 889. Lobeck. ad Aiac. p. 432. — μῶμος, reprehensio invidorum, Ol. VI, 74. — μείων, quum omnis laus invidiam excitet, contractior laus saltem minorem. — V. 83. αἰανής, gravis, molestus; praeter Boeckhium vid. Blomfld. ad Aesch. Pers. 935. Hermann. ad Aiac. v. 657. et Rost. Thesaur. Graec. p. 28.

— ταχείας ἐλπίδας intellige studia et exspectationes audientium cupidas, quae fastidio obtunduntur et debilitantur, ut minus promptae et alacres sint. — Ad ἀμβλύνειν, obtundere, conferes Blomfld. ad Aesch. Sept. 712. Iacobs. ad Anthol. T. XII. p. 209. — V. 84. ἀστῶν δ' ἀκοὰ cett., civium vero fama animum pungit maxime ob bona aliena, h. e. quum omne nimium animo molestum sit, ut modo dictum, inprimis tamen civium laudes invidiam excitant in ceteris, si laudetur quod ipsi non habeant. Boeckhius: „Publice apud cives audita fama maximam invidiam habet," quia qui civibus suis insigniter placet, felicissimus est. κρύφιον, tacitum animum, h. e. tacite, tecte, cf. Elmsl. ad Eurip. Heraclid. 7. Hom. Il. XIX, 125: τὸν δ' ἄχος ὀξὺ κατὰ φρένα τύψε βαθεῖαν. [Schol. ἡ τῶν πολιτῶν ἀκοὴ κρυφίως λυπεῖ τὴν ψυχὴν ἐπὶ τοῖς ἀλλοτρίοις τῶν πολιτῶν κατορθώμασιν. Heimsoethius p. 25: „Ἀκοά est actus audiendi, auditus. Poterat dici: ἀστῶν ἀκοὰν μάλιστα βαρύνει ἐσλὰ ἀλλότρια. Nunc poeta vel altiore dictione usus ἀστῶν ἀκοά, inquit, θυμὸν βαρύνει μάλιστ' ἐσλοῖσιν ἐπ' ἀλλοτρίοις, vel, ut aliis verbis dicam, ἀστοὶ ἀκούοντες κρύφιον θυμὸν βαρύνουσι μάλιστ' ἐσλοῖσιν ἐπ' ἀλλοτρίοις." — Recte, opinor, Boeckhius explicavit, qui haec addit: „Laudatus enim facile incurrit in offensionem hominum, quod publice apud cives audita laus ac virtus animos hominum tectos maxime invidia replet." Cfr. Schol. Pergit poeta: Vel sic tamen, licet invidiosum sit laudari, nolito desistere a recte agendo materiemque suggerere laudatoribus perge.] V. 85. κρέσσων — φθόνος, proverbialis loquutio, quam illustrant ex Herod. III, 52: φθονέεσθαι κρέσσον ἐστὶ ἢ οἰκτείρεσθαι; cf Boeckh. Explicationes et Nott. critt. Add. Iacobs. Delect. Epigr. p. 255. — V. 86. καλά, res praeclaras et laudes omnis generis. — νώμα cett. Ac primum quidem guberna iuste, linguam autem ad normam veritatis forma, abstinens a fraudibus, astutiis, simulationibus tyrannicis. Verba: ἀψευδεῖ πρὸς ἄκμονι χάλκευε, verto: Procude linguam in incude a mendaciis pura, ut sincera sit et a falso aliena. Debet enim incus pura esse sordibus, ne quid vitii inde trahat res quae procuditur. Viri docti plerumque explicant: ἐν ἄκμονι ἀληθείας, ἀψευδείας, ut passim sic adiectiva pro substantivis ponuntur. Ac confertur δόξαν αὐταρκέα, h. e. αὐταρκείας, Antiphil. Byz. ep. XV, 3. coll. Iacobs. Anth. T. IX, 48. Sic comparaveris Sidon. Apoll. 8, 4. incudem meditationis, ut sit incus quali

Veritas utitur. Denique γλῶσσα ipsa lingua est, quam cote acui vidimus Ol. VI, 82.; nec sermonem interpretor. Ceterum vid. Boeckhium ad h. l. et Iacobs. Delect. Epigr. Gr. pag. 108. Dictio Pindari audacior, sed praeclara; pro tenui isto et ieiuno: noli vana promittere, abstine mendaciis, quanto dignius et gravius est quod poeta dixit! — [Videndus de translatione Rauchensteinius Introd. p. 115., qui Dissenium aliena immiscere criminatur. Ipse ita enarrat: „*am truglosen amboſs, d. i. am amboſse der wahrheit, schmiede deine zunge;*" *er will dem Hieron sagen: bilde stark deine rede dadurch, daſs du sie am rechten übst.*] — V. 87 sq. Causas subiicit: Quodsi enim vel levissima res tibi excidit, magnum habetur ut a te profectum. Multorum rex es, quare multi sunt testes tibi bonarum et malarum artium. Παραιθύσσειν hic est de iis, quae, si utaris lingua, obiter et inter alia dicta imprudenti tibi excidant, quod vide quam leniter et caute dixerit poeta, ne Hiero gravius ferat. Cet. cf. de verb. ad Ol. VII. fin. — φέρεται παρὰ σέθεν, Plat. Theaet. p. 148. e: ἀκούων τὰς παρὰ σοῦ ἀποφερομένας ἐρωτήσεις. — ἀμφοτέροις, veris rectis, falsis malisque, ut contextus docet. Noluit apertius loqui, iniucunda verba devitans hic quantum fieri posset. Ceterum de asyndetis vid. Excurs. II. p. 346. — V. 89 sqq. Sequitur alterum praeceptum de liberalitate et munificentia regia publice privatimque (cf. Xenoph. Hier. c. XI.). εὐανθεῖ δ' ἐν ὀργᾷ παρμένων, servans indolem, quae praeclare in te viget. ὀργή, ingenium, indoles, mores, cf. Blomfld. ad Aesch. Prometh. 386. Intpp. ad Thucyd. I, 140. — V. 91. ἐξίει — ἀνεμόεν, expande velum liberalitatis, cf. Isthm. II, 40., ubi de hospitalitate. Plena vela omnino dicuntur de magno aliquo studio; vid. ad Nem. V, 51. — V. 92 sqq. Dixit de iustitia cum veritate et de liberalitate; quae nunc sequuntur eodem pertinent. Nam ut Croesi exemplo ad liberalitatem excitat, sic Phalaridis avocat ab iniustitia et crudelitate. — μὴ δολωθῇς cett. Cave, inquit, aulicorum adulatorum artibus decipiaris, ne blandis et fucatis eorum verbis a recta via deducaris. — κέρδεα, artes, cf. Damm. Lex. Hom. De adi. εὐτρόπελος bene agit Karsten ad h. l. et Gurlittus hic et ad Pyth. IV, 105. Add. Schneid. ad Demetr. de Elocut. p. 154. Primum est de facilitate in motu Thucyd. II, 41., tum ad mores transfertur et indicat hominem temporibus inservientem, diciturque tum de sermone urbano, lepido, faceto, inprimis

cum levitatis et assentationis, simulationis notatione, cf. Plat. de Rep. VIII, 563, a. Sic h. l. blandus est et fallax, ut Pyth. IV, v. 105. — ὀπιθόμβροτον αὔχημα δόξας, gloria virtutis post mortem superstes. Nam δόξα est virtus, cf. Nem. III, 40. Asyndeton hic per nam explicandum. Haec gloria μανύει, nuntiat, ἀπαγγέλλει, ut Pyth. VI, 18. — λογίοις, rerum scriptoribus; cf. Nem. VI. v. 31. Vid. Vales. ad Harpocrat. p. 394. Creuzer historische Kunst der Griechen p. 176. Similiter λέγειν et ᾄδειν (*singen und sagen*) iungitur apud Thucyd. II, 8. Xenoph. Cyrop. I, 2, 1. — V. 94. Κροίσου φιλόφρων ἀρετά, h. e. φιλοφροσύνη et φιλοξενία, nominatim erga sapientes Graeciae viros, cf. Herod. I, 29. Croesi amor, ait Iustin. I, 7., apud omnes urbes magnus erat. — Phalaris dicitur νηλὴς νόον καυτὴρ ταύρῳ, in quo ad constructionem καυτὴρ ταύρῳ confer quae Lobeckius habet ad Phrynich. p. 688. De ipso hoc tauro crudelis tyranni vid. Boeckh. ad Scholia pag. 310. ibiq. laudatt. [Praeter ceteros de Phalarideo tauro ingeniosam conscripsit commentationem A. Pauly in schedis art. Tubingenss. a. 1835. nr. 57 sq. Adde O. Siefert Akragas p. 61 sqq.] — V. 96. ἐχθρὰ κατέχει φάτις, similiter κατέχειν Ol. VII, 10. Saepe ἔχειν, cf. Wessel. ad Herod. VII, 3. — V. 97. Neque eum citharae domesticae socium iucundum in iuvenum cantibus convivalibus admittunt. Nempe citharae obtemperat cantus, ut in prooemio dictum; quem haec respuit, eum non canit cantus. — V. 98. παίδων ὀάροισι, h. e. ubi iuvenes canunt. De voce ὄαρος cf. Nem. III, 11. Spanhem. ad Callim. in Pallad. 66. Porro ὑπωρόφιαι dictae ut τόξα ὑπωρόφια, Simonid. Epigr. Anthol. Gr. Iacobs. T. I. p. 67. (epigr. CC, 2. Schneidewin.). Sunt citharae sonantes in conviviis, ut nunc in his epiniciis, quum in encomiis et scoliis etiam hominum priscorum laudes memorentur. At κοινωνία pr. κοινωνός, sed suavius dictum. Qui canitur interest consortio canentium. Ac incundissima sunt in rebus convivalibus aliisque iucunditatibus nomina consortii, societatis. [Lobeckius Parall. p. 519: „Accusativi μαλθακὰν κοινωνίαν non videntur appositionis locum obtinere dativo ὀάροις ex verbo δέκονται pendente, sed potius ab hoc ipso regi, δέκονταί μιν κοινωνίαν sive δέξιν, δι' ἧς περ κοινωνὸς ἔσται ὀάροις, ut Eur. Iph. Aul. 1181: δέχομαί σε δέξιν, ἣν σε δέξασθαι χρεών."] — V. 99. τὸ παθεῖν εὖ, secunda fortuna uti, apud Pindarum etiam dicitur pr. res gerere feliciter et victorias reportare, ut Isthm. IV, 15.

— δευτέρα μοῖρ', Soph. Oed. Col. 145. πρώτη μοῖρα. Add. Lachmann. ad Propert. II, 1, 47. — εὖ ἀκούειν nunc celebrari a poetis. — στέφανον ὕψιστον, felicitatis fastigium. Sententia similis Isthm. IV, 1. et Solon. V, 3.

Carmen Pythium secundum.

INTRODUCTIO.

Victoria curulis reportata videtur Thebis in Iolaiis sive Heracleis, Ol. 75, 4., postquam eodem anno, ut videtur, Hiero Locros Epizephyrios servaverat, quos quum Anaxilaus Rheginorum tyrannus bello gravi adoriri vellet, Hieronis minis deterritus est. Laudabilia haec et gloriosa; sed erant alia, quae minime placerent. Flagrabat enim tum maxime simultas Hieronem inter et Polyzelum fratrem, de qua dictum ad Ol. II. Hiero obiecerat fratrem periculis belli, Sybaritis adversus Crotoniatas auxilio missum, ut ibi periret; ex qua expeditione quum praeter spem salvus redisset, regis animus magis etiam ab eo abalienatus erat, ut tandem ad Theronem transfugeret, quo facto Hiero bellum parabat adversus Polyzelum et Theronem. Idem vero etiam Damaretam concupivisse videtur, uxorem Polyzeli, a Gelone huic relictam, Theronis filiam. Quae quidem omnia quum comperisset Pindarus, scripsit hoc carmen cum laudibus severas admonitiones continens. In principio victoriam magnifice nuntiat, et Hieronem cum Cinyra componit, qui ut a Cypriis canitur, sic Hiero a virginibus Locrensibus ob servatam patriam. Tum ad Ixionem transit, qui primus hominum paricidium commisit, idemque Iovis uxorem concupivit, unde nunc rotae illigatus cruciatur, proles autem, quam ei peperit nubes pro Iunone a Iove substituta, Centaurus fuit, monstrum foedum, cum equis concubitum exercens. Iam revocat se ab his rebus, alienum se dicens a calumniandi studio, et iterum ad laudes Hieronis accedit, divitias, potentiam, fortitudinem bellicam praedicans maxime. Denique

in ultima parte carminis hortatur Hieronem, ut bonam indolem naturae sequatur, spernat vero adulatorum, susurronum, calumniatorum pravas voces, qui eum ad violenta consilia excitabant et bonos viros ipsumque Pindarum suspectos reddere studebant; quare aulicos istos severissime exagitat. — His expositis, ut summam sententiam carminis etiam definitius explicemus, illud Pindarus laudat, si ὄλβος et σοφία coniuncta sint; in quo ὄλβον intelligo divitias, potentiam, gloriam factorum bellicam ludicramque, alia admirabilia ob perspicuum deorum favorem; quibus rebus coniunctam vult sapientiam, ut contentus sis iis, quae habeas, hisque praeclare utaris, neve iniustitia, insolentia, pravis consiliis et cupiditatibus deorum benefactorum iram tibi contrahas. Vides igitur in hoc carmine iterum declaratam perfecti regis speciem, quanquam paullo aliter expressam quam in antecedente carmine; proxime huius carminis sententia accedit ad eam, quae Ol. I. subest. Ac Hiero quidem ὄλβον vere regium habebat, quo laudes pertinent huius carminis, σοφίαν autem saepe non habebat, minimeque hoc tempore, quare maior sententiarum pars in admonitione versatur, ut reducatur ad sapientiam. Adornavit autem totum ita poeta, ut bis cum laude admonitionem poneret, primum exemplis mythicis, deinde directa oratione usus. Igitur laudes sunt in principio ludicrae victoriae et bellicarum rerum; quo loco quod Cinyram commemorat, factum, ut mythicum exemplum adesset fortunae regiae maximae a diis concessae cum iustitia et bonitate coniunctae; Hieronem vero cum Cinyra comparans dum ornat eximie, simul docet qualis esse debeat. Tum ad contrarium transit Ixionis pessimum exemplum, cuius duo peccata similia vides iis ipsis, quae Hiero tum moliebatur, ut nihil ad eum deterrendum potuerit aptius inveniri. Atque haec quidem prima pars carminis est; sequitur altera non mythica, priori conformis, in qua primum amplius de fortuna regia Hieronis dicit, tum iterum admonitiones subiungit; neque tamen nunc ea, quae in Ixione mythice proposita erant, apertis verbis enuntiat, quod in tali re audax pariter et indecorum fuisset, sed causas potius tractat, quibus Hiero a recta via deducebatur, adulatorum et calumniatorum pravas artes. Atque ita conficitur ambitus carminis. Cfr. T. I. p. VIII. LVIII.

[Difficillimum carmen nova luce illustrare conatus est G. Hermannus in dissert. de officio interpretis p. 18 sqq. vel Opuscc. VII. p. 115 sqq. Negat vir summus credibile esse

id quod Boeckhius statuerat, Ixionem propterea commemoratum esse, quod utrumque eius crimen etiam in Hieronem caderet. „Imprudentissime enim," inquit, „egisset Pindarus, si Hieronem in eo carmine, in quo laudare eum debebat, eoque tempore, quo labantem apud illum per obtrectatores gratiam suam restituere volebat, turpissimorum scelerum suspectum ostendisset, idque tam rudi atque agresti modo, ut, quum nolle se maledicere affirmaret, id ipsum, se maledixisse, confiteretur. Longe alia mens fuit Pindaro, Qui quum finita Ixionis impie factorum narratione statim subiiciat vv. 49—53: θεὸς ἅπαν — κακαγοριᾶν: ea ipsa divinae potentiae descriptione ostendit redire se ad illa, propter quae de Ixione exposuerat, hoc est ad gratiam ab Locris debitam Hieroni. Qui quum grati essent propterea, quod sibi iam non metuendus esset Anaxilaus, vix dubitari potest, quin in hunc dictum sit θεὸς καὶ ὑψιφρόνων τιν' ἔκαμψεν βροτῶν, in Hieronem autem ἑτέροισι δὲ κῦδος ἀγήραον παρέδωκεν. Quo verisimile fit, ut etiam Ixionis exemplum propter Anaxilaum sit allatum. Hoc modo si mentem poetae interpretamur, omnia cohaerent aptissime. Monere poenam Ixionis dicit, ne quis sit ingratus: nam celeriter deum consilia sua exsequi; deprimere superbum, ut nunc Anaxilaum; alios augere honore, ut Hieronem. Sed nolle se maledicere Anaxilao, ne similis videatur Archilochi. Optimum esse, potentiam habere coniunctam cum sapientia: atque hoc nomine iam laudat Hieronem, respiciens ad Anaxilaum, potentem quidem, sed non sapienter nova in Locros molitum. In illa laudatione quod dicit, vano consilio stulta conari, si quis ullum alium Graecorum Hierone opibus et honore excellentiorem praedicet, id tam graviter et paene contentiose dictum est, ut ad factum aliquod spectare videatur, sive alius poeta, Bacchylides, opinor, tale quid dixit, sive, quod veri similius esse puto, Pindarum Bacchylides eo nomine erat criminatus. Et sic optime convenit ea ratio, qua statim in laudes Hieronis excurritur." — Quae in altera parte carminis, Bacchylidem respiciens, dicit poeta, ea Hermannus p. 122. sic cum prioribus cohaerere arbitratur: „Monet Hieronem, ut, reputans qui sit, contemnat scurrilem assentatorem, sicut Rhadamanthus. Ingens enim malum esse istud genus et ei cui blandiantur et iis quos calumnientur. Sed id isti homini nihil profuturum: se ab eo tutum esse, quia nihil valeant eius dicta. Nihilominus illum omnes blandiendo circumvenire studere. Se vero ingenuis moribus esse, amicum amico, inimico inimicum: id enim

in omni forma rei publicae optimum esse. Non contendendum esse adversus deum, qui modo huic, modo alii faveat. Verum ne hanc quidem cogitationem isti invido satis facere, sed, quia se superari a Pindaro videat, cruciari, usque dum ei nocuerit. Quae sequuntur, ferendum esse iugum cervici impositum, lubricum enim esse excalcitrare adversus stimulum, iam non de Bacchylide dicta existimo: nam ad hunc si referrentur, nihil aliud quam repeteretur, quod his dictum erat, χρὴ δὲ πρὸς θεὸν οὐκ ἐρίζειν. Potius se ipsum consolatur Pindarus, idem dicens quod Horatius: levius fit patientia quidquid corrigere est nefas. Ea igitur mente optat securus, ut probetur Hieroni." Postremo Hermannus exposita sua de intermediis v. 67—71. sententia, de qua v. infra, omnia, quae Pindarus hoc carmine dicat, p. 128. his verbis complectitur: „Nuncio victoriam Hieronis, quem grati laudant Locri: monet enim, ne quis ingratus sit, exemplum Ixionis: sed nolo illum, qui se huic similem praebuit, vituperare, quo tu, Hiero, multum praestas, qui non solum opibus, sed etiam sapientia excellis. Sed vale: hoc tibi carmen ex promisso mittitur: illud, quo ipsam laudabo victoriam, propter ipsum accipe favens, neque audi obtrectatores meos, quorum ego mores contemnens ingenua liberalitate tibi probari cupio." Hactenus Hermannus.

Oppugnavit haec A. Boeckhius in censura illa inde a p. 102. usque ad 144. suasque explicationes subtilissima ratiocinatione vindicat. Qui Hermanni interpretationem prioris partis laudat ille quidem ut acutam et perelegantem, sed ut dubitet tamen, an non ex sua ratione plures scrupuli, qui in Hermanniana enarratione residere videantur, possint eximi. Scilicet historiae Siculae momenta sibi potius favere: contra si quis Hermannum sequatur, non satis apparere, cur poeta in Ixionis facinoribus exornandis tantum spatium a v. 35—48. consumpserit. Deinde universe Boeckhius Hermannianas explicationes convellit, quod carminis lyricae arti parum conveniant. Id enim non posse conflari ex duabus partibus interiore sententiarum progressu non copulatis. Ergo non posse alterius argumentum partis ad res privatas Pindari et cum Bacchylide discidium referri, sed eo cohaerere cum priore parte, ut malae artes calumniatorum ostendantur Hieronique illi reddantur suspecti: idque et ipsum spectare ad dissuadendum bellum, quoniam aucta per istos homines simultas erat. Contra ex sua explicatione haec conformia esse et in unitatem carminis optime coire. Manere igitur quae in Expll. p. 243.

scripsit: „Finis poetae summus est, ut bellum cum Therone et Polyzelo, ut nuptias, quas Hiero sibi parare vi et fraude conabatur, dissuaderet, simul ut eos, qui Theronis ac Polyzeli partes et ipsum poetam calumniabantur, Hieroni ipsi redderet suspectos: quod et ipsum ad dissuadendum bellum pertinet: simul Locrensium gratos animos commemorans, qui pro exemplo Hieroni propositi sunt, id quoque effecit, ut laudem ob liberatos Locros intexuerit." — Nuper etiam T. Mommsen Pind. p. 82 sqq. in hoc carmine illustrando elaboravit. Is et ipse Ixionis exemplum ad Anaxilaum applicat: in altera parte suspicatur poetam a diffamationibus sese defendere eorum, qui eum apud Hieronem in suspicionem adduxissent tanquam optimatum partibus studiosissime deditum. Sed singula apud ipsum legi debent.)

EXPLICATIO.

V. 1—24. Principium, de bellica et ludicra laude Hieronis. Ac proocmium quidem (a v. 1—12.) hanc sententiam habet: Bellicosae Syracusarum urbi nunc ludicrum etiam decus nuntio curulis victoriae, ipsa deorum ope Hieroni partae. Tum ad bellicam laudem veniens, praemonstratam initio, pergit: Est eximia fortuna regum: alios praedicat alius ob virtutem, et Cyprii quidem Cinyram, te virgo Locrensis grato animo recolens, quod tibi salutem debeat. Sic ibi laudaris ob praeclara merita, ut in alia parte ludicram victoriam reportasti. — V. 1. *Μεγαλοπόλιες*, permagnae enim Syracusae, cf. Cic. Verr. II, 4, 52. Rep. III, 31. et Goeller. de situ et orig. Syracus. p. 37 sqq. Dicitur non minor Athenis fuisse urbs, de quarum magnitudine videbimus ad Pyth. VII. init. — V. 2. Militaris potentia Syracusarum inde a Gelone maxima fuit, comprobata bellis multis, inprimis nobili clade Carthaginiensium ac sociorum ad Himeram; nunc autem paullo ante hanc ludicram victoriam Anaxilaus a domandis Locris deterritus erat Hieronis minis (vid. Boeckh.), quam rem mox memorabit poeta. Iam prima curulis victoria Hieroni regi contigit; quare poeta splendidum principium meditans eximie utrumque genus laudis coniungit. — *σιδαροχαρμᾶν*, ferro, armis, proeliis gaudentium, bellicosorum. Simile *χαλκοχάρμας*, *ἱππο-*

χάρμας. — V. 3. *λιπαρᾶν*, praeclararum, ut Fragm. nr. 209., cf. Nem. IV, 18. Thebis venit nuntius cantus, ubi victoria reportata erat. Moris enim est in carminibus Pindaricis, ut locus nominetur, ubi victoria parta, nec ullum invenitur carmen, in quo is non indicatus sit; atqui in toto nunc hoc carmine nullum aliud nomen exstat, unde certo colligitur Thebas esse, ubi victoria contigerit. Ac celebrabantur ibi Heraclea sive Iolaia, in quibus etiam curulia certamina habita esse docet Pind. Isthm. I, 55. Cf. ad Ol. IX, 99. — *φέρων ἔρχομαι*, non ipse, sed carmen missum, cf. 68. — V. 4. *ἐλελίχθονος*, terram quatientis. Baccho tribuit vocem Sophocl. Antig. 153. — V. 5. *ἐν ᾧ κρατέων*, ut Pyth. XI, 46: *ἐν ἅρμασι καλλίνικοι*, in curribus vincentes. — V. 6. *Ὀρτυγίαν*, ubi regia domus Hieronis, cf. ad Ol. VI, 92. — *ἀνέδησεν*, coronis redimivit. Victor enim *στεφανοῖ* patriam, cf. Nem. XI, 20. Simonid. in Anthol. Pal. T. II. p. 625. (Epigr. CCVI, 4. Schneidewin., quem vide.) Memineris tamen simul Pindarum saepe loca, urbes terrasque cum deabus suis cognominibus suaviter ita confundere, ut utrumque simul cogitet et cogitari velit, veluti Pyth. XII. init. Ceterum in Iolaiis vulgo praemium dabatur tripus aheneus, cf. ad Ol. IX. l. cit.; sed non dubito simul coronam datam, quam in rem confer ad Nem. IX, 53. — V. 7. *ποταμίας ἕδος Ἀρτέμιδος*. Diana in Peloponneso multis locis cum lacubus, fontibus, fluviis colebatur coniuncta, et inter fluvios quidem nominatim cum Cladeo et Alpheo, unde *ποταμία* dicta. Hoc loco *Ἀλφειὰς* intelligitur sive *Ἀλφειῶσα*, *Ἀλφειοῦσα*, *Ἀλφειονία*, Olympia in Ortygiam delata a primis colonis ibique magnopere culta; vid. Boeckh. ad h. l. et Müller. Dor. I. p. 375. et nos ad Nem. I. init. Ceterum *ἕδος* de deorum sedibus et templis vid. illustratum a Ruhnken. in Tim. Lex. p. 93. — *ἃς οὐκ ἄτερ*, quum etiam *ἱππασία* sit Diana, cf. ad Ol. III, 26. Non sine Diana, ait, domuit et condocefecit illos pullos, mansuetis manibus; neque enim dubito Hieronem rei equestris studiosissimum ipsum etiam domuisse et exercuisse equos suos. — *δαμᾶν ἐν χερσί*, nos: *unter seinen händen bändigen*, neque enim *ἐν* est per. — V. 9. *ἐπὶ γὰρ Ἰοχέαιρα* cett. Haec enim dea, ait, eximie favet Hieronis studio equestri et ipsa manibus suis cum Mercurio ornamenta imponit equis, sibique placet in iis ornandis, quum Hiero ad certamen eos curru iungit, Neptunum potentem invocans. — *χερὶ διδύμᾳ*, utraque manu, quo studium indi-

catur deae. [Aliter διδύμᾳ χερί accepit Humboldtius: *Denn der bogenerfreuten jungfrau und des wettkampflenkenden Hermes zwillingshand legt ehrend selbst den strahlenden schmuck auf.* Ut διδύμᾳ χερί priori statim membro adhaeserit, sic uti fere verbum plurale in schemate Alcmanico] Mercurium inter deos ἐναγωνίους vidimus iam Ol. VI, 79. — V. 10. αἰγλᾶντα κόσμον, frena et phaleras, conf. Orph. Argonaut. 587. χρυσείων φαλάρων πολυτεχνέα κόσμον. — δίφρος sella currui imposita, ἅρματα cetera currus instrumenta. — πεισιχάλινα, ut φιλήνιοι ἵπποι, Aesch. Prometh. 474., add. Virgil. Georg. I, 515. Constructio: ὅταν ἐν (εἰς) δίφρον ἅρματά τε καταζευγνὺῃ ἵππους. Praepositione ἐν pr. ἐς Pindarus utitur in Aeolicis carminibus, ut infr. v. 86. Pyth. V, 38 Nem. VII, 31. Cf. Hermann. de dial. Pind. p. XXI. [Ahrens de Dial. Aeol. §. 54, 3. Dor. §. 43, 6. De praepositione secundo demum nomini addita cfr. ad Nem. X, 38.] — V. 12. καλέων, ut cursum equorum secundet. — Atque hactenus prooemium de ludicra victoria Thebis reportata. Nunc ad bellicas res redit et transitum parat ad monita quae meditatur. — V. 13. ἐτέλεσσεν, solvit, ut ἄποινα ἀρετᾶς, cf. Pyth. I, 79. Et statim commemorat gratum animum Cypriorum et virginum Locrensium. — V. 14. εὐαχέα, Eurip. Ion. v. 898. *Μουσᾶν ὕμνους εὐαχήτους.* — V. 15. ἀμφί, notus usus ex hymnis Homericis, cf. Matth. Gr. §. 583, 3. — Cinyras Cypri rex nobilissimus, mitis, utilibus inventis optime meritus, de quo vide plura apud Meurs. Cypr. II, 9. Heyn Apollod. III, 14, 3. Muncker. ad Anton. Liberal. c. 36. — V. 16. φᾶμαι, laudes. — τὸν ἐφίλησ' Ἀπόλλων, ut musicae studiosum, vid. Müller. Dor. I. p. 348. — V. 17. ἱερέα κτίλον Ἀφροδίτας, sacerdotem Veneris educatum a tenero in templo deae, ut optime interpretari videtur κτίλον Müllerus, comparans Hesiod. Theogon. v. 988 sqq. coll. Hom. Il. II, 548. — ἄγει δὲ cett., ducit eos gratia pie devenerans (ὀπιζομένα) pro beneficiis remunerationem allatura, ποινιμος, ἀμειπτική, ut exponit Schol. Notior vox sensu malo pro ulciscens, poenas retribuens. Sed vide ποινάν Pyth. I, 59. — ὀπιζομένα. Inest in hoc verbo reverentia deorum, parentum et omnino maiorum illustriumque hominum, nunc regis εὐεργέτου. De toto loco dixit Boeckh. Nott. critt. et Herm. ad Vig. p. 938. [Recte Tafelius et Rauchensteinius II, 8. locum sententiosum esse

intellexerunt, ut in χάρις ἄγει non desideretur obiectum. Sententiae enim ita vinciuntur: Reges solent pro beneficiis celebrari carminibus: prosequuntur Cinyram regem laudes Cypriorum. Iam, ut recte Rauchensteinius, alterum erat exemplum de Hierone afferendum, propter quod illa poeta praemiserat, sed suaviter membra coniungens interserit ἄγει δὲ χάρις, ubi pro δέ poterat γάρ poni: etenim ducit (homines) gratia in beneficiorum remunerationem devenerans. Tum demum id adiicit, quo tendebat: Te vero, Hiero, canunt virgines sqq. Ceterum cfr. Nem. VII, 23: *σοφία κλέπτει παράγοισα μύθοις.*] — V. 18 sqq. Virgines Epizephyrias poeta dicere maluit, quia maius ab hoste periculum puellis imminet. Simul iucundissima species virginum cantantium. — [Δεινομένειε παῖ, ut Ξενάρκειος υἱός, Homerus habet Καπανῆος, Ποιάντιος υἱός, v. Lobeck. ad Buttm. Gr. II. p. 436.] — πρὸ δόμων, sedentes pro foribus, ut videtur, quum belli metu liberatae iam tutae exire possint domibus; nec videntur Locrenses virgines intra gynaeconitin severe clausae fuisse, ut Atticae et Ionicae. — V. 20. δρακεὶσ' ἀσφαλές, quemadmodum timor oculis proditur. — Post haec de comparatione Hieronis cum Cinyra nonnulla addo. Nobilissimae fuerunt in fabulis Cinyrae divitiae, singulari deorum favore ei concessae, ut in proverbium abierint [cfr. Tyrtaei Eleg. 9, 6.], et qui Cinyram diceret simul ipso nomine beatissimum regem significaret. Idem quum bonus esset et mitis, vides in eo fuisse quod Pindarus ut summum in hoc carmine proponit, felicitatem cum sapientia coniunctam. Iam compara Hieronem: Habet hic quoque insignem felicitatem, nec sine causa poeta supra etiam deos ei faventes exhibuit, ut Cinyras dilectus erat diis; volebat enim simillimum fortuna eum ostendere. Idem vero nunc praeclare meritus est de Locris, quemadmodum Cinyras φίλα ἔργα edebat; habet igitur etiam Hiero praeclaram indolem cum felicitate coniunctam, ut hoc facto constat, quod laudans poeta simul admonet tecte, ut semper talis sit etiam in ceteris rebus omnibus. Contrarium exemplum statim in Ixione proponetur, qui μακρὸν οὐχ ὑπέμεινεν ὄλβον, ac vides nunc alterum altero illustrari, vides Cinyram et Ixionem hic oppositos, ut Pelopem et Tantalum in Olympico primo, in Pythio primo Olympum et Tartareum Typhoeum. — V. 22. ἐν πτερόεντι τροχῷ, in rota semper circumvoluta; cf. Hygin. 62. Apoll. Rhod. III, 62.

Soph. Philoct. 602. Tibull. I, 3, 73. — V. 24. ἐποιχομένους, cf. Ol. III, 40. Suaviter autem cumulate dixit ἀμοιβαῖς ἐποιχομένους τίνεσθαι ad vim dicti augendam. ἀγαναῖς h. l. φίλαις. Nam δεῖ φιλεῖν φιλέοντα. Ceterum ad dictum ipsum conferunt Virg. Aen. 6, 621. — Pindarus autem ultima hac periodo et antecedentia claudit et transitum parat ad sequentia. Locri grati sunt adversus Hieronem secundum praeceptum, quod praecipit suo damno edoctus Ixion deorum iussu. Ixion autem ut fuit ingratus erga deos, sic etiam Hiero ingratus esset, si tot bonis divinitus ornatus ferre fortunam nesciret.

V. 25—52. De Ixionis delictis et poenis. Alios locos vide apud Heynium et Boeckhium et adde optime narrantem fabulam Welckerum in Trilog. Aeschyl. p. 547. — V. 25. [ἔμαθε σαφές, gratiam habere: ὅτι δεῖ τὸν εὐεργέτην ἀνταμείβεσθαι. Schol.] — παρὰ Κρονίδαις, in domo et familia Iovis. Ixion, soceri sui interfector, primus paricida fuit; quare quum hominum nemo expiare eum voluisset, supplex Iovem καθάρσιον adiit, a quo expiatus est et receptus adeo in domum et adhibitus mensae divinae. — [V. 26. μακρὸν ὄλβον, non ingentem, sed longam felicitatem interpretatur Heimsoeth. Sed cfr. Pyth. XI, 52.] — V. 27. τὰν Διὸς εὐναὶ λάχον πολυγαθέες, quam Iovis lectus iucundus sortitus erat, quam Iuppiter nactus erat tori sociam. πολυγηθής, plurimum gaudii praebens, cf. Fragm. Hymn. 1. 2. [En vulgares illos veterum Graecorum gradus, quibus ab ὄλβῳ (v. 26.) ad κόρον et ὕβριν pervenitur, quam sequitur ἄτη: qua qui circumventus est, αἰρεῖ μόχθον. Etenim ὕβρις ἐκάρπωσε στάχυν ἄτης. Cfr. praeter ceteros Lehrsii disputationem de Ἄτη in Museo Rhen. Nov. I, 593 sqq.] — V. 29. ἐοικότα, digna, iusta. — V. 30. ἐξαίρετον, singularem. — V. 31. φερέπονοι τελέθοντι, haec duo flagitia causa laborum ei sunt apud inferos [praesenti enim utitur, quia Ixion etiam nunc in Orco poenas suffert]: φερέπονοι, πόνους, κακὰ αὐτῷ φέρουσαι. — τὸ μὲν cett., primum quod paricidium commisit, insidiose, οὐκ ἄτερ τέχνας, scrobe carbonibus impleta, tum operta leviter, in quam illapsus Deioneus, qui ad ἕδνα accipienda venerat, periit. — ἐμφύλιον αἷμα, cfr. αἷμα συγγενές Eurip. Suppl. 148. ibiq. Markl. — ἐπέμιξε, admiscuit, introduxit mortalibus. — V. 34. χρὴ δὲ κατ' αὐτὸν αἰεὶ παντὸς ὁρᾶν μέτρον, debet homo ex sua semper conditione

cuiusque rei modum considerare, et eum sibi ubique modum ponere, qui sibi conveniat et par sit. Comparant Aeschyl. Prometh. 889., ubi vid. Schol. et Blomfld. — V. 35 sqq. Sensus sequentium hic: „Sed concubitus nefarius in miseriam ingentem eum coniecit non invitum; cum nube enim concubuit pro Iunone habita, atque ita punitus est." Nempe tentaverat Iunonem verbis impudicis; Iuppiter igitur, ut eum exploraret, nubem pro Iunone in lecto posuit, quam quum amplexus esset Ixion pro Iunone, tum vero crimen consummatum fuit et poena sequuta. — V. 37. ψεῦδος γλυκὺ μεθέπων, fraudem dulcem sectatus. — V. 38. πρέπεν, similis erat. — V. 40. Ζηνὸς παλάμαι, quod ex alia traditione Iunoni tribuitur, cf. Schol. Eurip. Phoeniss. 1185., Pindarus suo consilio convenientius ab ipso Iove fieri voluit. — τετράκναμον δεσμόν, rotam quattuor radiorum, in quibus manus et pedes illigati; compara Pyth. IV, 214. — ἔπραξε, paravit, Isthm. IV, 8., vel potius, lucratus est, coll. locis quales Hom. Il. XI, 751. XVII, 661. XXIV, 550. Nempe non consequutus est quod cupiebat, sed pro eo poenam miserrimam lucratus est. Quod genus dicendi amant veteres. — V. 41. τὰν πολύκοινον ἀνδέξατ' ἀγγελίαν, in se recepit enuntiandum hunc nuntium omnibus destinatum, ut dicitur πολύκοινος ᾠδής. — Denique de universa tractatione loci aliquid addendum. Welckerus meus in libro de Trilog. Aeschyl. l. cit. eximie notat Ixionem esse proprie supplicem (ἱκέτην, coll. ἵκεν, ἵκτωρ, Ζεὺς ἀφίκτωρ, ἱκέσιος), qui ad Iovem venerit expiationem orans et ab eo receptus benigne, mox pessime remuneratus sit auxilium et tutelam summi dei. Idem vero reprehendit Pindarum, quod deterius tractaverit fabulam, quum nonnisi de ingrato animo Ixionis adversus benefactorem dixerit. Ego supplicem Iovis fuisse Ixionem non credo Pindarum ignorasse, licet etymologiam vocis ignoraverit; sed quum hoc loco Ixionem propter Hieronem proponeret, huic consilio narratio accommodanda erat; quare quod supplex fuerat, omittit, utpote rem hic alienam, nec nisi de felici vita loquitur, quam Ixion apud deos egerit, veluti alio modo Tantalus in Lydia cum diis commercium habens deinde ingratus fit. Sic enim haec similia Hieroni, qui non vivens quidem cum diis, at favore insigni deorum ornatus et in summa felicitate regia degens, similiter nunc iniusta appetit et ingratus fit erga deos. Cfr. T. I. p. XXXI. —

V. 42 sqq. Hic locus alteram pessimi concubitus poenam explicat. Logice nexus videtur cum verbis: τὰν πολύκοινον ἀνδέξατ' ἀγγελίαν, quae et priorem locum absolvunt et huic sequenti annectendo inserviunt. Quare asyndeton per γάρ explico. [Sed v. T. I. p. 343.] — ἄνευ Χαρίτων, sine Gratiis peperit, h. e. monstrosum partum edidit, γόνον ἄχαριν, cfr. Boettiger. Vasengem. I, 3. p. 118., quum alii ex Plutarch. Amator. 5. explicent: sine concubitu, contra sensum loci. — V. 43. μόνα καὶ μόνον, sola illa tale monstrum singulare. — οὔτ' ἐν ἀνδράσι — νόμοις, neque apud homines, neque apud deos honoratum. Verba ἐν θεῶν νόμοις, h. e. ubi deorum leges et instituta valent, dicta pro sedibus deorum, veluti Propert. IV, 11, 3. infernas leges intrare pr. Orco. V. ibi intpp. — V. 44. τρἀφοισα, praesens Doricum, ter lectum ap. Pindarum, hic, Pyth. IV, 115. et Isthm. VII, 40., cf. Buttm. Gr. ampl. II. p. 242. (308. ed. Lob.) — V. 45. Ἵπποισιν ἐμίγνυτο, quibus coactus est uti, quum diis pariter et hominibus contemptus esset. — ἐν Παλίου σφυροῖς, ad pedes montis, in convallibus eius. — V. 48. τὰ ματρόθεν cett., h. e. materna quidem infra, superiora vero patris erant. Ergo e Centauro et equis nati Hippocentauri. Cet. cf. Welcker. Trilog. Aeschyl. p. 266. — V. 49. θεὸς — ἀννέται, deus omnem rem ex voto perficit; τέκμαρ, finem, propositum finiendum. Ad praepositionem ἐπί cf. ἐπ' εὐχᾷ Pyth. IX, 89. — V. 50 sq. Deus, qui in aëre et in mari aeque potens est, cuius vim et poenam per totum mundum nemo effugere potest, etiam superbos non paucos fregit. Cf. Archiloch. Fragm. Liebel. p. 73. (fr. 73. Delect.). Delphinum componit aquilae ut velocissimum piscem, cf. Nem. VI. fin. — παραμείβεσθαι, proprie praeterire, veluti Hom. Od. VI, 310., hinc praevertere, antevertere celeritate, ut dicitur παρελθεῖν. Porro nosti suavem temporum mutationem in sententiis generalibus, ut nunc κίχε — παραμείβεται, in quo tamen simul discrimina rerum respiciunt, ut nunc minus bene inversa ratione dixisset. [Cfr. Pyth. I, 5 sqq.] — τινά, aliquem, h. e. iam multos, veluti Nem. I, 64.

V. 52—71. Graviter et severe poeta Hieronem admonuit; quare nunc finem facit et ad alterum argumentum carminis, ad laudes revertitur, splendidissime praeclaram fortunam et gloriam regis praedicans. Transitum autem facit ita, ut ab ulteriore obiurgatione Archilochi se revocet exemplo; qui sapiens quidem fuit, sed ob nimiam maledicentiam inops. — V. 53. Ego vero abstinere debeo vehementi morsu calumniarum. δάκος enim significat belluam, cf. Blomfld. Aesch. Prometh. 583., et morsum, δῆγμα, cf. Et. Magn. p. 245, 36. De voce ἀδινόν vid. Buttm. Lexil. I. p. 209. — V. 54. εἶδον γὰρ cett., vidi enim, quamvis remotus, ut plurimum inopia pressum conviciatorem Archilochum. — ἐπεὰς ἑών, quum plura saecula intercederent, florente Archilocho Ol. XXIII. — ἐν ἀμαχανίᾳ, cf. Liebel. ad Archil. Fragm. ed. sec. p. 13 sq. — V. 55. βαρυλόγοις ἔχθεσιν πιαινόμενον, maledicis odiis se delectantem vel ditatum. Ad πιαινόμενον cf. Aesch. Agam. 267. Boeckhius autem oxymoron notat propter verba ἐν ἀμαχανίᾳ. — V. 56. τὸ πλουτεῖν δὲ σὺν τύχᾳ πότμου σοφίας ἄριστον. Haec verba Gurlittus recte cepisse videtur sic: Ditem esse cum sapientia optimum. Etenim supra docui laudari a Pindaro in hoc carmine felicitatis et sapientiae coniunctionem; atque in antecedentibus quidem, quum Hierotum maxime aberraret a sapientia, Cinyrae et Ixionis exemplis graviter monuit: σοφὸν εἶναι σὺν τύχᾳ ὄλβον ἄριστον. Nunc abrumpens ista sapientiae monita, hoc dicit: Verum abstinendum est a nimiis reprehensionibus et laudanda etiam altera pars dicti, opes dico et potentiam et gloriam Hieronis, nam etiam ὄλβον ἔχειν σὺν σοφίᾳ ἄριστον. Atque hanc inversionem dicti ingeniose Archilochi exemplo praeparat et explicat, qui acerbior et nimius sapientiae praeceptis inculcandis inopia laborabat, ut, dum σοφίαν commendabat, ipse ὄλβῳ careret. Haec si vera sunt, primum vides recte a Boeckhio τὸ πλουτεῖν oppositum esse verbis ἐν ἀμαχανίᾳ, vides vero etiam hoc infinitivo solo contineri totam primam partem dicti, et iungenda cetera: σὺν τύχᾳ πότμου σοφίας, h. e. σὺν τύχᾳ σοφίας per πότμον, quod propterea sic dixisse mihi videtur magnificentius pro σὺν σοφίᾳ, ne, praeposito nunc τῷ πλουτεῖν ob causas indicatas, levior haberi videretur sapientia. In quo agnosco Pindari iudicium. Ad duplicem genitivum autem conf. Pyth. IX, 39. κλαῖδες Πειθοῦς φιλοτάτων, et vid. Matth. Gr. §. 380. Etiam collocatio verborum bona, ut si Latine dicas: cum concessa feliciter a diis sapientia. Boeckhius interpunxit: τὸ πλουτεῖν δὲ σὺν τύχᾳ πότμου, σοφίας ἄριστον. [Heimsoethius p. 26: „In sapientia, si quis sapiens sit, dicit

melius esse curare, ut felix sis, quam conviciis in ἀμαχανίαν te coniicere. Nam ita sensus sententiae generalis perpetuitate huius loci restringitur, ut non universum, quid optimum sit, dicatur, sed ex duobus alterum eligatur: sapientem esse et βαρυλόγοις ἔχθεσιν ἐς ὀμαχανίαν se coniicere, ut Archilochus sapiens fecerit, hoc esse minus prudens: τὸ πλουτεῖν δὲ σὺν τύχᾳ πότμου, hoc esse optimum. Quae dicuntur, ut transitus fiat ad Hieronis divitias earumque usum."] — V. 57. Tu vero manifesto divitias habes (νὶν, id, τὸν πλοῦτον), ut liberaliter dare possis, si legitur πεπορεῖν, aorist. reduplic. v. πόρω, sin πεπαρεῖν praefertur cum plerisque viris doctis, vertendum cum Boeckhio: quas liberali mente ostentes, quod fit munificentia et praeclaris conatibus. Videtur πεπαρεῖν esse ab obsoleto verbo, quod ostentare significabat, vid. Boeckh. Nott. critt. et Buttm. Gr. ampl. II. p. 222. (283. Lob.). — V. 58. πρύτανι, dignitas regiae proxima, cf. Müller. Dor. II. p. 135., unde etiam reges Spartanos Charon Lampsacenus πρυτάνεις dixerat; et Iuppiter πρύτανις est deorum, [Neptunus κοιλωνύχων ἵππων Stesichoro.] Hinc omnino pro summo gubernatore, duce, cf. Blomfld. Aesch. Prometh. 176. — πολλᾶν εὐστεφάνων ἀγυιᾶν, urbis Syracusarum maximae. πολλᾶν μέν sequente τέ vel καί usitatissimum, cf. Herm. Vig. p. 836. εὐστέφανος, moenibus bene munitus, cf. Ol. VIII, 32. — V. 59. τιμᾷ, regio honore et potentia; cf. Pyth. I, 48. — V. 61. χαύνᾳ — κενεά, stolida mente luctatur frustra. παλαιμονεῖ ducta metaphora a ludicris rebus pro contendit frustra, operam perdit. Ceterum cf. δηρίομαι Ol. XIII, 44. Utrumque adiectivum autem iunctum etiam Nem. VIII, 45. — V. 62. εὐανθέα — κελαδέων, splendida vero navigatione, coronatis navibus, petam altum de virtute canens, h. e. inprimis autem splendide nunc de virtute dicam, in quo ἀρετάν oppositum vides κτεάτεσσιν et τιμᾷ. Porro ἀναβάσομαι στόλον ut ἐξόδους ἕρπειν Soph. Ai. 287., alia innumera. De metaphora navigationis vid. Ol. XIII, 49. [„Dictio in sequentibus (κατὰ Φοίνισσαν ἐμπ.) continuatur." Tafelius.] Denique εὐανθέα, coronatis navibus ominis causa, ut in fausta et magnifica expeditione, cf. Scheffer De Militia navali III, 3. — ἀμφ' ἀρετᾷ, cf. Ol. IX, 13. — V. 63 sqq. Ad formam sequentis loci rectius intelligendam tenebis cum laude tecte admonitionem coniunctam, ad quam reditum parat. Sensus: Iuventuti socia et auxiliatrix est fortitudo bellica, s. iuventus laudem suam ab audacia bellorum habet, unde etiam tu immensam gloriam illam consequutus es, at provectiore aetate prudentia et sapientia probatur, τῷ δὲ γήρᾳ ἀρήγει εὐβουλία, atque etiam haec in te est. Sed hanc ultimam sententiam aliter dixit sic: Prudentia vero tua in provectiore aetate tutum mihi verbum praestat ad omnem orationem, te laudaturo, s. talis est, ut possim sine periculo etiam eas tibi laudes dicere, quibus admonitio subsit. — θράσος πολέμων, ut τόλμα καλῶν Nem. VII, 59. — Mox v. 65. construo: ἀκίνδυνον ἐμοὶ ἔπος παρέχοντι ποτὶ πάντα λόγον, quibus verbis addit ἐπαινεῖν σε. Solum ἐπαινεῖν non placet, quare verum videtur σέ a Boeckhio repositum, quod qui alieno loco legi putabunt conferent alias collocationes, ubi duo membra transposito pronomine sic confusa et complicata sunt in unum. Ut in constructione participii et verbi finiti Soph. Antig. 1272: θεὸς τότ' ἄρα τότε μέγα βάρος μ' ἔχων ἔπαισεν pro μέγα βάρος ἔχων ἔπαισέν με. Hom. Il. III, 389: τῇ μιν ἐεισαμένη προσεφώνεε δῖ' Ἀφροδίτη, pro τῇ ἐεισαμένῃ προσεφώνεέ μιν. Add. Il. XVI, 207. Aut in constructione verbi et infinitivi ab eo pendentis Pind. Pyth. VIII, 68. Denique adde locos, ubi particula ἄν posita ante verbum duo membra conflata sunt, cf. Hermann. ad Oed. R. 929. Boeckh. iungit ἐπαινεῖν σε πρὸς πάντα λόγον pro κατὰ πάντα λόγον, de qua loquutione dubito. Est πρός respectu ad, s. propter, veluti ἐπαινεῖν τινα πρὸς ἀρετήν. Denique Boeckhius cum Scholiis ἀκίνδυνον interpretatur: tutum a periculo mendacii, quum ab omni parte praeclarus sis; sed nisi fallor, praestat quod supra posui. [Heimsoethio p. 27. voluntas poetae haec esse videbatur: „Mens tua sapientior permittit te sine periculo propter omnem rem (?) laudare." Laudare enim Pindarum Hieronem primum propter fortitudinem, deinde propter omnem rem (?), nunc vero sapientiam eius invocantem ut custodem ὕβρεως, quae laudem sequi possit. At aperte βουλαὶ πρεσβύτεραι opponuntur iis quae Hiero ἐν νεότατι fortiter gesserat.] — V. 67. χαῖρε, vale, ut Nem. III, 76: χαῖρε, φίλος. ἐγὼ τόδε τοι πέμπω μεμιγμένον μέλι λευκῷ σὺν γάλακτι. Quum iterum ad admonitiones redire velit, ne Hiero defugiat aurem praebere, nunc valedicit, et quae sequuntur quasi inter valedicendum addit; quod exquisitum artificium est. — τόδε μὲν κατὰ Φοίνισσαν ἐμπολὰν — πέμπεται. Haec verba Boeckh. ita explicat: „Hoc carmen in privata navi, ad instar Phoeniciae mercis, transmittitur, nec cum pompa redeunte."

At enim sic minui magis quam augeri videbitur carminis laus, quod mercis instar in mercatoria navi mittitur, nisi dicas celeriter missum dici vel ante pompam redeuntem, quod tamen non expressum est in verbis. Mihi igitur eo potius respici videtur a poeta, quod carmen remota e regione trans mare veniat ideoque non parvi aestimari debeat ab Hierone, ut merces peregrinae pretiosiores habentur. [Dissenii explicationem recte sequitur Rauchensteinius Introd. p. 120. Aliter Hermannus. Heimsoethio p. 28. comparationis cardo totus in descriptione poetica τοῦ πέμπεσθαι ex longinquo versari videtur; Boeckhius denique p. 122. haec in commendationem suae explicationis addit: „κατὰ Φοίνισσαν ἐμπολάν bezieht sich auf dies von Pindar unaufgefordert vor der rückkehr der Hieronischen pompa mit handelsgelegenheit abgesandte lied: und dafs er es so schickt, war eine nicht unanmuthige bemerkung, weil die gedichte gewöhnlich bestellt waren, und bestellte in der regel nicht auf jene weise gelegentlich werden übersandt worden sein."] — V. 69. τὸ Καστόρειον. Fuit Castoreum nobilis nomus, rhythmo anapaestico, ut videtur, et Doria harmonia compositus in Castorem equitem et aurigam celeberrimum, id quod ex Pindaro Isthm. I. colligitur, cantatus apud Spartanos ad tibiam exercitu adversus hostem procedente, quum Tyndaridae duces divini Spartanorum essent; cf. Boeckh. de Metr. p. 276. et Müller. Dor. II. p. 335. Hoc nobili nomine Pindarus Isthm. I. suaviter utitur pro laude Castoris a se ipso facta, et hoc loco pro Hieronis laude bellica et curuli. Aegre vero adducar, ut cum Boeckhio meo totum hoc carmen Castoreum ab eo dici credam, quum sententiae pleraeque nimis a Castoreo alienae sint, sed quemadmodum Isthm. I. Castoreum est pars hymni, Castoris laudem continens a v. 16—31., sic nunc prooemium carminis crediderim Castoreum dici, bellicum pariter et curulis victoriae laude repletum, v. 1—12. Sic, ut aliud conferam, φίλιον ὕμνον Pyth. I, 60. dixit locum ibi proxime sequentem de condita Aetna. Iam clara est oppositio vocum μέλος et Καστόρειον, de qua disputatur a viris doctis. Etenim universi loci sensum censeo hunc esse: Pindarus commendans Hieroni haec, quae mittit, primum de toto carmine dicit, tum de introitu specialiter, in quo maxime offendere debebant chordae Aeoliae, ob reliquum carminis argumentum electae. Iam dicit: „Carmen hoc carum sit tibi ut merx trans mare advecta; quod vero Castoreum in introitu posui Aeoliis chordis cantatum, non Doria harmonia ad tibiam, ut exspectaveris, benigne id adspice

ἑπταχόρδου citharae gratia, h. e. quum ad citharam canatur, dignissimum instrumentum; noli igitur bellicis et equestribus laudibus tuis quicquam eo detractum credere, quod alios sonos iis aptavi." Hoc autem, si verum spectas, idem est ac si dixisset: „Ne displiceat tibi, quod bellicis et equestribus laudibus tuis alia multa subiecta sunt, ut iam alius sonorum concentus in toto carmine regnet quam bellicus et victoriis curulibus aptus. Habet enim etiam cithara Apollinea praeclaros sonos, quae pravos affectus sedat et ad modestiam animos revocat." — χάριν genitivo praepositum illustrat Herm. ad Vig. p. 701. — V. 70. ἑπτακτύπου. Vel Pindari aetate utebantur heptachordo antiquo Terpandri, cf. Boeckh. de Metr. Pind. p. 206., quale etiam Apollini tribui constat, vid. Nem. V, 24. Igitur hoc loco antiquum nomen dignitatis causa positum. — ἀντόμενος, obviam factus, h. e. amice excipiens. [Boeckhius l. c. Hermanni sententiam τὸ Καστόρειον pro diverso carmine habentis recte refellit totumque hoc carmen intelligendum monens locum ita in nostrum sermonem transfert: „*Dieses lied wird phönikischer waare gleich ohne der pompa gepräng über das meer gesandt; als Kastoreion aber nimm es gütig auf der siebentönigen kithara zur gunst.*" Verba Graeca ita ordinanda esse: πέμπεται μὲν τόδε μέλος ὑπὲρ ἁλός, ἄθρησον δὲ αὐτό, Καστόρειον ὄν, ἑκών." Nec male Heimsoethius p. 28. rem sibi informat ita: „Pindarus ab Hierone invitatus, ut Syracusas veniret ipsumque carminibus celebraret, nunc quidem Graecia non relicta mittit carmen. In cuius fine τόδε μέν, inquit, — πέμπεται: tamen, quum sit carmen in te laudatorium de victoria curuli ac splendidissima ratione compositum (ἐν Αἰολίδεσσι χορδαῖς), ἄθρησον κτλ."]

V. 72 — fin. De assentatoribus et susurronibus, qui prava consilia Hieroni suggerebant et sinceros eius amicos calumniabantur. — Singulatim omnia excutere harum explicationum ratio vetat; vide igitur Huschkium de Archilochi Fabula de Vulpe et Simio in Matth. Miscell. phil. T. I. p. 23 sqq., Gurlittum, Hermannum apud Heynium, Aug. Matthiaeum in Seebod. Archiv für Philologie Vol. II. fasc. IV. p. 676., denique Boeckhium et Tafelium ad h. l. Ego breviter meam sententiam indicabo. Explico: Praesta te talem, qualis a natura factus es, quum didiceris, h. e. tene indolem tuam bonam, nec deduci te patere a via; pulcher est simius apud pueros, semper pulcher, h. e. placent quidem adulatores iuniorum impru-

denti aetati et mirifice placent; sed alienum hoc a prudentia provectioris aetatis; Rhadamanthus in Elysio est, quod praeclaram prudentiam habet, nec fraudibus deliniri se patitur, quales adrepere solent mortalibus. Rhadamanthus igitur exemplum est sapientiae regiae, qualis provectiore aetate esse debet. Tales etiam Hieronis vult *βουλὰς πρεσβυτέρας* esse. Formulam *γένοιο οἷος ἐσσί* notavit Huschkius l. cit. et Boeckh. add. Doederl. ad Oed. Col. 552. Significat proprie eum esse, qui vere sis. Laudat Hieronis indolem ut per se bonam; hanc teneat, talis sit, talem se gerat, neu corrumpi se patiatur ab adulatoribus. Tum *μαθών*, quum didiceris, quum ex vita antecedente tua constet te scire sequi bonam indolem tuam. Boeckhius vertit: intelligens; alii: edoctus disciplina, tui recordatus, ita ut te ipsum cognoscas. — Lectio *καλός τοι πίθων παρὰ παισίν, αἰεὶ καλός*, mimice exprimit, quantopere simius placeat pueris, ac Boeckhio videntur pueri Graeci hunc morem habuisse, ut simio identidem acclamarent *καλός*. Non videbatur mihi formula indigna Pindaro in hac re; Boeckhio tamen displicet. Porro dubitatur, simius utrum assentator et adulator hic sit, ut dicitur *πίθηκος*, *δημοπίθηκος*, *πιθηκισμός*, *πιθηκίζειν*, an potius turpem et deformem significet, de quo vid. Lycophr. v. 1000. Interprett. ad Aristaen. Epist. 1, 24. Iacobs. ad Anth. Gr. II, 2. p. 462. II, 3. p. 166. Plerique viri docti hoc videntur praeferre, ut simio mali principes designentur aut circumventi blanditiis, *παῖδες* autem iis sint aulici assentatores, qui puerorum instar semper laudent simium. Non opponam audacius fortasse principes hic simios dici; at illud certum videtur, pueros simium non callide et assentatorie laudare, sed iudicii inopia, ut non videantur commode hic pro aulicis adulatoribus haberi. Accedit quod opponitur Rhadamanthi sapientia; atqui apprime sibi respondent haec: placent adulatores iuniorum imprudentiae; Rhadamanthus autem felix est sapienter contemnens eos. Postremo conferri potest Menandri locus p. 214. Meinek.: *Ὅστις δὲ διαβολαῖσι πείθεται ταχύ, Ἤτοι πονηρὸς αὐτός ἐστι τοὺς τρόπους, Ἢ παντάπασι παιδαρίου γνώμην ἔχει.* Non opponitur simius Rhadamantho, ut censet Matthiae, sed *παῖδες* ei opponuntur; et *παῖδες* mihi quidem plane persuasum est omnino pro iuniorum hic imprudente aetate dictos, ut etiam principes et reges iuniores constat maxime capi adulatione. Hoc igitur, ait, tua nunc provectiore

aetate plane indignum. [Hermannus p. 120: „Sis qualis es, et nosce te: pulcer profecto simius apud pueros, semper pulcer. Monet Hieronem, ut ipse qualis sit noscat, talemque se praebeat, neque audiat blandientem scurram. Nam scurram admirari stultorum esse. Pro stultis nominavit pueros; scurriliter blandientem autem, quia id *πιθηκίζειν* dicitur, simium vocavit. *Καλός* iteratur, ut magna admiratio significetur. Neque erat, cur illud Boeckhio displiceret, quod sic eadem persona, quae hic simius vocaretur, paullo post diceretur vulpes. Nam, ne commemorem, quod hic de sola assentatione, infra autem de calumniis sermo est, ipse poeta offensioni eo occurrit, quod illa interposuit, *ὀργαῖς ἀτενὲς ἀλωπέκων ἔκελοι.*" Merito haec Boeckhius approbavit. De repetito *καλός* quae in not. crit. dicta sunt, iis adde Euphorionis, ut videtur, versum in Meinekii Anall. Alex. p. 165: *Καλαὶ μέν ποτ' ἔσαν, καλαὶ κόμαι Εὐτελίδαο.* Alciphronis ep. III, 1: *Καλὸς μὲν γάρ ἐστι, καλός, ὦ μῆτερ.* Postremo *πίθωνα* Babrius fab. 56, 4 *ὑποκοριστικῶς* vocat pullum *πιθήκου.*] — De Rhadamantho, ait Boeckhius, in veteribus carminibus singulare quiddam, quo poeta spectet, videtur traditum fuisse; id vero pertinet ad munus iudicis ei delatum in insulis beatorum, ubi ille non sinit se adulatorum vocibus decipi. Nempe *εὖ πέπραγεν* est: in Elysio vivit et praeclaros ibi honores iudicis habet, quum mens ei incorrupta sit et a fraudibus aliena. Ac vide, quam pulcre poeta post Ixionis apud inferos poenam memoratam nunc etiam beatam vitam boni principis ostendat. Hieronem vero delatoribus aurem praebuisse et more nuper recepto exploratores emisisse, de eo vid. Boeckh. Nott. critt. ad h. l. et Müller. Dor. II. p. 159. — *φρενῶν καρπόν*, prudentiam, Nem. X, 12. — *ἀμώμητον*, praeclaram; cf. Aesch. Sept. 577. — V. 75. *οἷα* ad *ἀπάταισι* refer (cf. Pyth. VI, 21.), qualia susurronum artibus adrepunt semper homini. — V. 76. *ὑποφάτιες* lectio est, quam Boeckhius mutavit in *ὑποφαύτιες*, ut sit pro *ὑποφαύσεις*, vertitque nictationes, quum *ὑποφάσιας* explicent veteres *τὰς τῶν ὑποφαινομένων ὀφθαλμῶν κινήσεις*, ubi album apparet, non recte clausis palpebris. Sic inter calumniandum nictari oculis calumniatores *ὑποβλέποντας*, ac tales esse etiam vulpecularum oculos. Vid. Boeckh. Nott. critt. Hermannus *ὑποφάτιες* memorat, non explicat. Mihi illud constat, clandestinas delationes hoc loco significari; sententia enim continuans versum antecedentem

haec est: Ingens et plane insuperabile malum, h. e. a quo vix ac ne vix quidem tibi caveas, ne adrepat tibi, calumniarum clandestinae delationes sunt, quum astutiae vulpecularum sint similes. [*Διαβολιᾶν* tuetur L. Dindorfius Steph. Thes. II, 1118. coll. Theognid. 324.; *ὑποφάτιες* Hermanno p. 120. iidem homines dici videbantur, qui Syracusis per ludibrium *ποταγωγίδες* dicti terminatione feminina, v. Lobeck. ad Aiac. p. 390., not. 2. Reiicit Boeckhius, quoniam Dionysiis demum tyrannis id genus delatorum ortum esse scribat Plutarchus.] — Porro quod supra simios dixit hos calumniatores, nunc vulpes comparat, non est cur offendat; pluribus comparationibus utitur, ut fit, ad perversitatem horum hominum ab omni parte declarandam. Atque in simio blanditia et adulatio inest, in vulpe malitiosa astutia; utrumque quis nescit revera saepe coniunctum esse? Archilochi autem fabulam, in qua sane simius et vulpes opponuntur, alienam iudico a toto hoc loco, qui obscurior fit, non clarior ista doctrina. Nec minus aliena mihi videtur fabula, quam Matthiae respici putat, in Schneideri collectione Fabular. octogesima secunda p. 43. — V. 72. *ὀργαῖς*, cf. Pyth. I, 89. — *ἀτενές*, h. e. *παντελῶς*. Denique *ἀμφοτέροις* est ambobus, quos inimicos reddere tentat calumnia, alterum apud alterum calumniando [et ei cui blandiuntur et iis quos calumniantur]; comparant locum Themist. Orat. XXII. p. 277. — Pergit: Calumniatori vero quae magna oritur utilitas? — V. 78. *κερδοῖ*. Notabis lusum in *κερδοῖ* et *κερδαλέον* sarcasmo inservire, ut saepe *παρονομασίαι*, *παρισώσεις*, *παρηχήσεις*, *ὀξύμωρα* acerbitatem habent. — V. 79 sq. Nam ut, si immersae sint mari reliquae retis partes, non immergor, suberis instar supra rete, undis. *εἰνάλιον πόνον*, piscationem, ut Theocrit. XXI, 39. Porro *πόνον ἔχειν* et *ὀχεῖν* notum ex Homero et Pindaro, cf. Damm. Lex. — *σκευᾶς ἑτέρας*, reliqui retis praeter suber. Tum iunge *ἀβάπτιστος ἅλμας*. — *ἕρκος*, rete, vid. Nem. III, 51. et interprett. ad Eurip. Med. 956. Denique ad *φελλός* conferes Blomfld. ad Aesch. Choephor. 499. Wyttb. ad Plut. Animadvv. p. 826. Ceterum quum universus locus de calumniatoribus inprimis propter Polyzeli et Hieronis simultatem adesse videatur, haud dubie aulicorum calumniis auctam, haec tamen verba ita dici non potuissent, nisi etiam Pindarus in suspicionem adductus esset a pessimis hominibus. [Bene Heimsoethius p. 29: „De Pindaro sermo nunc non est. *Ἀβάπτιστός εἰμι* egregia illa sententiarum generalium forma est, quae linguae poetae, quoties animus eius maxime commotus est, subrepit. Ut in proxime sequentibus *οὔ οἱ μετέχω θράσεος*. Hoc dicit: Quid vero lucrantur illi conviciis suis susurrationibusque, ubi ille, cui afferuntur, talis est, qualis esse debet? Vir rectus talibus aures suas tenet occlusas. Quibus iam addit: si tales sumus, non potest *δόλιος ἀστὸς* quidquam efficere. Nunc culpat adulatores maleficos, laudat *τὸν εὐθύγλωσσον ἄνδρα*. Quem postquam in quavis civitatis constitutione praestare dixit, etiam in significandis variis regiminis modis aristocratiam tecte praeceteris distinxit, iam hoc addit: oportet vero contra regem, quem deus constituit, non pugnare, quae ad finem usque omnia in commodum Hieronis contra illos dicta sunt, qui regiae Hieronis auctoritati student nocere. Quo admonitionum praecedentium pondera poeta sublevat perite."] — V. 81. *ἔπος ἐκβαλεῖν*, quod alias dicitur de impiis, insolentibus verbis, ut *ἐκρίπτειν*, porro de iis, quae temere, quae frustra excidunt, quae per indignationem eiiciuntur, saepe etiam de querela vehementiore, cf. Blomfld. ad Prometh. 320. Boeckh. h. l., nunc mihi significat: callide iacere verba calumniantia, quae audiens excipiat. — *κραταιόν*, quod vim habeat. Nihil enim valent calumniae apud bonos. — V. 82. *σαίνων*, cf. de h. v. Blomfld. ad Aesch. Sept. 879. — *ἀγὰν πάγχυ διαπλέκει*, curvaturam, flexuram callide flectit omni modo, omnem artem tentat. Vid. de v. *ἀγάν* Boeckh. Nott. critt. Ad *διαπλέκει* Huschkius confert Aesch. in Ctesiph. p. 422: *ἀντιδιαπλέκει πρὸς τοῦτο*, callidis artibus adversus hoc utitur. Sensus: licet inter bonos non multum efficere possit, tamen omnia tentat, omnibus se applicat, ideoque diligentissime cavendus est. Sic transit ad alteram sententiam: Omnino pravum esse calumniandi morem. [Contra Rauchensteinium I, 7. cum Kayserο *διαπλέκειν* ex usu palaestrae repetentem et *ἀγάν* interpretantem flexuram, qua in luctatione adversarius supplantetur, verissime T. Mommsen monuit: „*Die metapher vom hunde ist dem ton des ganzen letzten systema angemessen und wird erst, da σαίνειν wie* adulari *kaum anders als ein starker ausdruck für schmeicheln empfunden wird, durch ἀγὰν διαπλέκει vollständig.*"] — V. 83. *θράσεος*, *ἀναιδείας*, Fragm. incert. nr. 158. *θρασειᾶν ἀλωπέκων*. — V. 84. Adversus inimicum autem ut inimicus lupi more incursionem faciam. — V. 85. *ἄλλ' ἄλλοτε*

πατέων, hic illic incedens, ὁδοῖς σκολιαῖς, viis curvis, obliquis, h. e. modo in dextrum, modo in sinistrum latus per obliquum incursans, ut faciunt tales bestiae pugnantes adversus defendentem se a fronte hominem. ἄλλα πατέων dictum ut ὁδὸν ἔρχεσθαι, alia. Ceterum Boeckhius addit: Hic non dolus est, non simulatio, sed boni militis officium, qui, ut adversarium mendaciis et ficta amicitia non inducit, ita praeter vim arte utitur. Non Christiani hominis haec sententia est, sed Graeci, quam ante Socratem et Platonem probarunt vel eruditi. Add. Gurlitti Excursum ad h. l., locos a Tafelio allatos et Iacobsium Delect. Epigramm. p. 144. ibique laudatum Stallbaum. ad Phileb. p. 154. Denique sponte patet Pindarum prima persona uti in sententia generali, docere volentem, quid ab omnibus faciendum sit. — V. 86. Ad quodvis genus civilium institutorum verax vir praestat. νόμος forma reipublicae, ut εὐνομία est bene constituta respublica, cf. Pyth. X, 70. — προφέρει, praestat, eminet, intransitivum est, ut διαφέρειν et προσφέρειν; sic Herodot. VI, 127: πλούτῳ καὶ εἴδεϊ προφέρων Ἀθηναίων. add. Eurip. Med. 1088. Simm. Rhod. Epigr. II. Antholog. Lips. T. I. p. 136. [Thuc. I, 93.] — V. 87. ὁ λάβρος στρατός, turbulentus populus. Talis igitur ei videbatur democratia; cf. Müller. Dor. II. p. 187. — V. 88. οἱ σοφοί, optimates. Aristocratia Doricarum civitatum prae ceteris Pindaro placet. Ceterum cf. ad h. l. Müller. Dor. II. p. 12. — χρὴ δὲ πρὸς θεὸν οὐκ ἐρίζειν. Poeta nunc addit ultimam sententiam: calumniatores etiam impii in deos sunt, evertere conantes eos, quos deus extollit, veluti quod Polyzelo invident, quem primum bello contra Crotoniatas perdere voluerunt, et quum feliciter redierit, nunc novis calumniis aggrediuntur et Hieroni suspectum reddunt. — V. 89. ἀνέχει, erigit et sublatum tenet. De significationibus verbi vid. Tafel. h. l. et Hermann. ad Oed. Col. pag. 149. De similibus loquutionibus vid. Mitscherl. ad Horat. Carm. I, 34, 12. Add. Pyth. VIII, 77. — ἀλλ' οὐδὲ ταῦτα cett. Licet fortuna humana per se satis inconstans sit, ne hoc quidem contenti sunt invidi. — V. 90. στάθμας δέ τινος ἑλκόμενοι περισσᾶς. Obscura loquutio. Satis ostendit Boeckhius de trutina cogitari non posse, quum ne illud quidem constet, fuisse hanc significationem voci. Sequendus potius Scholiastes, qui lineam intelligit metiendo inservientem. Videtur proverbialis loquutio fuisse: Magnam lineam

trahere (*an einer grofsen Leine ziehen, schleppen*) pro magnam mensuram secum ferre (*ein grofses Maas, einen grofsen Maasstab bei sich haben*), immodica sperare, cupere. Iam verte: Sed magnum fructum conatuum suorum exspectantes graviter dolent, antequam assequuti sint quae meditantur; in quo significatur impatientia invidiae se excrucians. Ceterum ἐᾷ pro σφετέρᾳ, quod rarum, cf. Matth. Gr. §. 149. [Ad ludum palaestrae, qui διελκυστίνδα vocatur, respici suspicante Hermanno p. 121. et περισσᾶς στάθμας de fune a validioribus tracto (vel proprie de maiore parte funis) interpretante Boeckhius p. 117 sqq. quam id parum credibile sit disputat. Cum Dissenio fere Rauchensteinius Introd. p. 117. et T. Mommsen Pind. p. VIII. „*von der überlangen mefsschnur (mefskette) sich ziehen lassen, von solchen, die in weitausschenden entwürfen sich vermessen, besonders in politischen parteibestrebungen. Die in leidenschaft gefafsten zu weit gehenden tendenzen und hoffnungen einer partei ziehen diese nach, und somit ins verderben.*" Mihi illud valde notabile videtur, acerbe illudere poetam adversariis suis allitteratione illa quam haud dubie quaesivit in ἑλκόμενοι et ἕλκος, plane ut v. 78. in κερδοῖ et κερδαλέον. Omnino obscuritas alterius partis huius carminis eo potissimum orta videtur, quod poeta sententias et dicta ab adversariis in ore habita vel a poetis iacta in auctores non sine acerbitate retorquet. Quae quum ignoremus qualia fuerint, non est mirandum in explicatione nos haerere.] — V. 93. Ferre facile iugum impositum prodest, h. e. debet quisque se continere fortunae finibus ei constitutis, nec cupere nimia et maiora. ζυγόν de fati necessitate, Hymn. Hom. in Cerer. 217. Vid. etiam Nem. VII, 6. — V. 94. ποτὶ κέντρον λακτίζειν, contra stimulos calcare, cf. Blomfld. ad Aesch. Prometh. 331. Elmsl. ad Eurip. Bacch. v. 794. — V. 96. ὀλισθηρὸς οἶμος gravius pro simplici adiectivo, lubricum, periculosum est. — τοῖς ἀγαθοῖς, placeam bonis et cum bonis vivam, non cum adulatoribus. Dicit de se, quod etiam Hieroni dictum vult.

Carmen Pythium tertium.

INTRODUCTIO.

Victoriae duae, quae hoc carmine memorantur, reportatae sunt Pythiad. 26. et 27., h. e. Ol. 73, 3. et 74, 3. celete. Carmen vero redeuntibus victoriae sollemnibus transmissum Ol. 76, 3., imminentibus Pythiis, paullo ante Pyth. I. Argumentum hoc est: Utinam Chiro adhuc viveret, ait, Aesculapii olim praeceptor. Hinc transit ad Aesculapii origines, ut nympha Coronis ab Apolline compressa Ischyn Arcadem perdite amaverit eiusque amplexus passa sit: qua re iratus deus Dianam mittit, quae puellam necat, ipse vero, quum corpus cremaretur, infantem eripit et Chironi tradit, qui eum in arte medica erudivit. Sic optime institutus multos sanavit Aesculapius, donec pecuniae cupiditate corruptus mortuum hominem in vitam revocare ausus est, quo facto Iuppiter eum una cum illo fulmine traiecit. Utinam vero, ait, Chiro viveret, ut similem nobis medicum peritum concederet, quem tibi adducere possem: nunc vota faciam Matri deorum apud aedes meas. Nosti vero, pergit, e fabulis priscis deos bina mala mittere uno cum bono, quare ut tu magna fortuna in ceteris rebus gaudes, sic olim Cadmus et Peleus, nuptiis eximie a diis honorati, mala gravissima tulerunt exsilium et luctum domesticum, quum Cadmus trium filiorum interitum deploraret, Peleus unicum filium Achillem. Denique in fine praecipitur, quomodo in hac rerum conditione se gerere debeat Hiero. — Post haec, ut consilium carminis et compositionem paucis indicemus, prius de malis Hieronis monendum est. Ac Boeckhius quidem pulcre perspexit praeter morbum, quo tum laborabat Hiero, etiam luctum domesticum quo affligeretur fuisse mortuo vel filio vel filia. Idem vero propter Coronidis fabulam tertium addit, taedio rerum suarum de sede regni mutanda cogitasse regem et conditam a se Aetnam secedere voluisse. Sed in hoc dissentio ab amico meo, qui non credam huiusmodi quid inesse in hac fabula. Primum enim si Hiero sedem suam mutare volebat, alia id narratione mythica dissuasisset poeta, si opus erat, quam feminae exemplo alium amatorem concupiscentis, et quum

per totum Pindarum fabulae accommodatissimae sint praesentibus rebus, haec mihi comparatio nimis dissimilis videtur. Accedit altera ratio haec, quod sic haec pars non respondet reliquo carmini; in reliquo enim carmine nihil de hoc consilio Hieronis legitur, sed de duobus tantum eius malis agitur. Quae quum ita sint, vix dubito aliter fabulam explicandam. Quid enim, si filia Hieroni fuit, quae, quum sponsa esset, postea alius iuvenis amore exarsit? Haec nuperrime mortua erat, et Hiero gravissimo dolore affectus, inprimis quum credidisse videatur, si medici statim affuissent periti, in vitam potuisse revocari puellam. Hoc posito carmen facilem explicationem habet. Poeta quibus tum Hiero malis duobus affligebatur, uno corporis, altero animi, haec in prima carminis parte tractat et in altera. Ac prima quidem pars eam formam habet, quasi de valetudine potissimum dicatur; nam ab hac oritur et ad hanc redit, quippe quae res aperte tractari posset; filiae autem tristis sors quum tectius significanda esset, ita interponitur et intexitur pulcra de Coronide fabula, quasi nonnisi propter ceterarum rerum nexum inferatur. Ergo primae partis hoc consilium est, ut declaretur Hieronis sors: esse sane duo gravia mala, quibus rex laboret. Exin sequitur altera pars, priori accommodata, quae declaratam viri sortem ad generalem legem suam revocat: Ut rex cum regia fortuna optima nunc duo mala habeat, sic omnino deos uno cum bono bina mala tribuere solere hominibus, eamque communem esse humanae vitae rationem, comprobatam maximorum heroum fatis. Atque haec eximia sententia est ingeniosum fundamentum carminis, in qua etiam consolatio vera Hieronis inest. Ita proposita vitae humanae immutabili lege, quum mala tolerari debeant, vides bono, quod habeas, uno tibi quam sapientissime utendum. Quod monstrans exitus carminis, quum res humanae fragiles sint, nominis docet per carmina immortalitati esse prospiciendum. Cfr. T. I. p. IX. [Dissenii de filia Hieronis commentum, praeter ceteros repudiatum a Boeckhio Annall. Litt. Berol. 1830, II. nr. 76. p. 603., amplexus Droysenius Translat. Aeschyli p. 568 sq. ed. sec. adhibuit illustrandis quibusdam locis Promethei. Refutavit et hoc et illud Schoemannus in Aesch. Prom. p. 80 sqq. Pariter et a Dissenio et a Boeckhio recedit G. Hermannus Opuscc. VII, 129 sqq., cui „apertissime totum carmen consolatio est propter morbum Hieronis, ad quem referuntur omnia.“ Quocum fere convenit Heimsoethio Mus.

Rhen. Nov. 1846, p. 16 sqq., cui et ipsi omnia ad solatia aegrotanti regi suppeditanda redire videntur; alia omnia frustra inferri ab interpretibus. Deinde singula quomodo inter se apta sint in eundemque finem conspirent, scite demonstrat. Postremo T. Mommsen in Interpr. German. de filia Hieronis morbo absumpta cur cogitetur caussam idoneam desiderans et ipse quae carmini subesse suspicatur ex vano hausta videntur mihi, in Hermanni Heimsoethiique rationibus acquiescenti.]

EXPLICATIO.

V. 1—7. Principium. Utinam Chiro adhuc viveret, medicinae celeberrimus magister. — Chiro, vulgo Saturni et Philyrae filius, Centaurus, antiquissimus apud Graecos medicinae auctor, memoratur iam in Iliade IV, 219. XI, 832. Ab eo sese ortam volebat historico tempore vivens prope Pelium Chironidarum gens, quae medica arte a patre filio tradita gratis aegrotos sublevabat, cf. Dicaearch. de Pelio monte p. 141. Gail. Poeta hoc vult: Utinam medicum tibi adducere possem ab ipso celeberrimo medicinae patre eruditum. — V. 2. *ἀπὸ γλώσσας*, cf. ad Ol. VI, 13. Sensus: Si mihi eloqui licet commune hoc votum. [*κοινὸν ἔπος* recte unus scholiasta explicat *κοινῶς λεγόμενον ἐν τῷ βίῳ*, tritum usu quotidiano, ut Pyth. V, 108. *λεγόμενον ἐρέω* habet Pindarus.] — V. 4. *βάσσαισι Παλίου*. Erat nobile Chironis antrum in summo monte; simul tamen imperat Centaurus subiectis regionibus. Ceterum mons medicarum herbarum erat feracissimus. [Cfr. Osann. in Welckeri et Naekii Mus. Rhen. I. p. 411 sq. et Welckerum in Zimmerm. Allg. Schulztg. 1831. II. nr. 99.] — *Φῆρα*, ut audiunt Centauri (Hom. Il. I, 268. II, 743. Pind. Fragm. Inc. nr. 44.), haud dubie propter equinam partem corporis. Talis igitur *μιξάνθρωπος* etiam Chiro hic et Pyth. IV, 119. Cf. Welcker. Aeschyl. Trilog. p. 266. Tafel. h. l. — *ἀγρότερον*, quum non in urbe viveret, sed in monte. — V. 5. *νοῦν ἀνδρῶν φίλον*. Clarus enim Centaurus humanitatis, hospitalitatis, iustitiae laude. [Genitivus *ἀνδρῶν* pertinet ad *φίλον νοῦν*, quod est idem ac *φιλοφροσύνη*.] — V. 6. *τέκτων*, artifex cuiuscunque rei, h. l. indolentiae et sanitatis, cf. v. *ἰατροτέχνης* et quae Welckerus memorat Aesch. Trilog. p. 265. — *γυιαρκέων*, indolentiae artubus valentis, ut *ποδάρκης*. — *ἄμερον*, lenem, *ἤπιον*, ut sunt *ἤπια φάρμακα*, *ἠπιᾶν*, *κατηπιᾶν*, *ἠπιόχειρ*, *Ἠπιόνη*, Aesculapii coniux, ipsumque Aesculapii nomen ab *ἤπιος* ductum. Ac notum oppositum *ἄγριοι* de morbis et vulneribus, v. c. Eurip. Phoeniss. 1663. Hic cf. *πραΰς*, epitheton Epiones, Anthol. Pal. T. II. p. 708., coll. Pind. Ol. XIII, 85.

V. 8—62. Fabula de Coronide et Aesculapio. Plura vide ap. Müller. Orchom. p. 199 sqq. et Boeckh. h. l. Pindarus rem ex Eoeis Hesiodeis hauserat. — Phlegyas auctor Phlegyarum gentis mythicus, apud quos colebatur Aesculapius. — V. 9. *πρὶν τελέσσαι*, antequam maturasset, edidisset partui maturum, cf. Anthol. Pal. IX, 358. Eurip. Bacch. 100. — V. 10. *Ἀρτέμιδος*, quae vulgo feminas necat, ut Apollo mares (cf. Nitzsch. ad Odyss. I. p. 196. Müller. Prolegom. Mythol. p. 426.), saepissime absque poena, alias vero puniens leto, ut hic et Il. XXIV, 606. Et nunc quidem pestilentiam cogitandam esse, quum multi perierint, monuerunt iam Scholia. — V. 11. *ἐν θαλάμῳ*, ut mulier, domi. Additum propter *τόξα Ἀρτέμιδος*, ne sub divo alicubi interfectam credas. [„*ἐν θαλάμῳ* significat morbo, et est poetae splendidissime *εὐφημοῦντος*: *χρυσέοις τόξοισιν ὑπ' Ἀρτέμιδος ἐν θαλάμῳ*." Heimsoeth. p. 30.] — V. 12. *ἀποφλαυρίξαισά νιν*, contemnens Apollinis iram. — V. 13. *ἀμπλακίαισι φρενῶν*, plurali numero, ut *ἀτασθαλίῃσιν*, *κακοξαφίῃσι νόοιο*, *ἀεσιφροσύνῃσι*, *νηπιάας ὀχέειν*, *ἀνορέαις* (Pind. Pyth. VIII, 91.), alia multa, in quo genere pluralis de sensibus, cogitationibus consiliisque aut conatibus dicitur. — *ἄλλον αἶνησεν γάμον*, alium concubitum probavit. *αἰνεῖν*, *ἐπαινεῖν γάμον*, *λέχος*, similia Eurip. Orest. 1090. 1674. 1688. Add. Blomfld. ad Aesch. Agam. 97. De *καταινεῖν* vid. ad Pyth. IV, 222. — V. 14. *ἀκειρεκόμα*. Intonsus Apollo est propter aeternam iuventutem, cf. Tibull. I, 4, 38. Alebat enim comam iuventus usque ad aetatem virilem intonsam, cf. ad Pyth. IV, 82. Apollinis comam Himerius Orat. X. §. 5. describit sic: *Κόμη μὲν αὐτῷ χρυσῆ περὶ μέτωπον σχίζεται, πλόκαμοι δὲ ἑκατέρωθεν κατὰ τοῦ αὐχένος καθέρποντες τοῖς θείοις στέρνοις ἐπικυμαίνουσι.* — V. 15. *σπέρμα καθαρόν*, divinum. — V. 16 sqq. illustrat Heynius: „Non accipienda puto, ut omnes faciunt, de nuptiis ab ea occupatis,

quorsum enim ἀλλά τοι ἤρατο τῶν ἀπεόντων? Sed illa amore saucia vitavit omnes aequalium congressus, nec sustinebat interesse sollemnibus epulis et festis, ut quoties deducenda erat sponsa, sed amore absentis amatoris tabescebat, quem mox, ubi advenit, in amplexus suos recepit." Ad ἐλθεῖν cf. Hom. Il. XXIV, 62: ἀντιάασθε γάμον. — V. 19. ὑποκουρίζεσθαι, subblandiri cantibus, s. dulces cantus canere sponsae. Hesych. κουριζομέναις, ὑμεναιουμέναις. [V. 20. Δυσέρωτας εἶναι τῶν ἀπόντων vetat Nicias Thuc. VI, 13., quocum similia componit Huschkius ad Tibull. I, 6, 35. Eurip. Hipp. 184: οὐδέ σ' ἀρκέσει τὸ παρόν, τὸ δ' ἀπὸν φίλτερον ἡγεῖ. Theocr. X, 8: Οὐδαμά τοι συνέβα ποθέσαι τινὰ τῶν ἀπεόντων. — De his et sqq. Hermannus p. 132: „Patet asperius haec dicta esse, quam ut ad Hieronem referri possint: sed dicta sunt aptissime, si cogitamus, quod maxime verisimile est, amicos quosdam Hieronis, quoniam qui Syracusis erant medici morbum calculi sanare non possent, suasisse, ut a peregrinis medicis auxilium peteretur, consilium vituperasse Pindarum, defendentem illos quos domesticos haberet Hiero medicos." Etiam Heimsoethius Mus. Rh. I. c. p. 18 sq. propter Hieronem dicta haec negat, sed quorsum spectent, in incerto relinquit, nisi quod eos tangi censet, qui aliquo modo inimici essent tyranno.] — V. 21. φῦλον — ὅστις, Matth. Gr. §. 475. a. — παπταίνει, Ol. I, 114. — θηρεύειν, Nem. XI, 47. Soph. Ant. 92. — V. 24. ἀνάταν pro ἄτην, cf. Boeckh. Nott. critt. ad Pyth. II, 14. Buttm. Gr. Ampl. T. I. p. 29. — V. 25. λῆμα Κορωνίδος, cf. de circumscriptione Matth. Gr. §. 430. Monk. ad Eurip. Hippol. 794. Vox apud Pindarum usitata. Vid. de ea Blomfld. ad Aesch. Sept. 444. — ἐλθόντος, quum venisset, addendum fuit propter verba ἤρατο τῶν ἀπεόντων. — ξένον, qui Ischys fuit Elati filius, Arcas, vid. sqq. — V. 27. σκοπόν, Apollinem speculatorem. — μηλοδόκῳ, quum oves mactandae essent ante introitum in aedem, Eurip. Ion. 229. Add. Tafel. — τόσσαις, Doricum, ut videtur, verbum significans τυχεῖν. De eo cf. Nott. critt. — Iam verte: Delphis enim versans sensit rem apud socium integerrimum, omnia scientem animum suum, in quo ἄϊεν est sensit, intellexit, de quo usu vocis monuerunt veteres, cf. Heyn. ad Hom. Il. XI, 532.; et παρά dictum ut dicitur σκοπεῖσθαι, γιγνώσκειν παρ' ἑαυτῷ, v. c. Demosth. Philipp. IV. p. 136. — πιθών, confisus, obsequutus, ut Isthm. III. fin.

legitur πεπιθών, cf. Boeckh. Nott. critt. Probatum aliis γνώμαν πιθών, persuadens sibi, licet nolens, nec per se bene clareque dictum esset, nec his verbis apte interpositum: Sensit sibi persuadens, quum alterum a voluntate pendeat, alterum non pendeat. Illud vero optimum: non vidit oculis neque accepit a corvo, ut vetus traditio erat, sed soli mentis cognitioni confidit. Nam illud quidem dubitari non potest, Pindarum, qui spernens corvum digniora de suo hic substituit (cf. Schol. et Gurlittum atque Boeckhium [et Heimsoeth. Mus. Rh. I. c. p. 6. Hesiodii versus a scholiis ascripti hi sunt (fr. 225. Goettl.): Τῷ μὲν ἄρ' ἄγγελος ἦλθε κόραξ ἱερῆς ἀπὸ δαιτός Πυθὼ ἐς ἡγαθέην, καί ῥ' ἔφρασεν ἔργ' ἀΐδηλα Φοίβῳ ἀκερσεκόμῃ, ὅτι Ἴσχυς γῆμε Κορωνίν Ἐλατίδης, Φλεγύαο διογνήτοιο θύγατρα.]), ea de causa cumulate loqui, pluribus verbis id ipsum inculcantem, quod verius iudicabat. Quare etiam κοινᾶνα εὐθύτατον oppositionis causa propter corvum addidit, qui Phoebeius ales et comes tripodum (Stat. Theb. III, 506), et θεράπων καὶ ἀκόλουθος Ἀπόλλωνος, cf. Iacobs. Delect. Epigr. p. 389. — V. 29. ψευδέων δ' οὐχ ἅπτεται, cf. Pyth. IX, 42. Sensus: Non fallit deus, nec fallitur. — V. 32. μένει θύοισαν ἀμαιμακέτῳ, ira vehementi furentem, ut pestilentiam excitaret. — V. 34. Λακέρεια sita in campo Dotio Thessaliae ad paludem Boebiadem, quas regiones perspicue describit Müllerus Orchom. p. 192. [Hesiodi fr. 76. Goettl.: Ἥ οἵη Διδύμους ἱεροὺς ναίουσα κολώνους Δωτίῳ ἐν πεδίῳ πολυβότρυος ἄντ' Ἀμύρου Νίψατο Βοιβιάδος λίμνης πόδα παρθένος ἁδμής.] — κρημνοῖσιν, Ol. III, 22. — De ἕτερος pr. infestus, adversus, vid. inprimis Bentl. Opusc. p. 20. ed. Lips. Sensus: malum fatum, infestus daemon, ad culpam qui illexerat, domuit eam, h. e. nefaria insania feminae fuit interitus causa, quo Diana eam multavit. Constat enim magnam caecitatem mentis et insaniam, qua homo in apertam perniciem ruit, veteribus a daemonis vi adversa derivari, qui mentem perturbaverit. Quare δαίμων ἕτερος nunc non est Diana. — V. 36. ἐπαῦρον, damnum inde ceperunt. De verbo cf. Aesch. Prometh. Blomfld. p. 80 et 177. Buttm. Lexil. I. p. 76 sqq. — πολλὰν δ' ὄρει cett. Et ex tenui scintilla irruens flamma silvam montanam consumpsit ingentem, h. e. unius feminae delicto magna populi strages facta est. Ut solet culpa unius alios in perniciem trahere etiam innocentes; cf. Hesiod. O. et D. 238. et Aesch. Sept. 601 sqq.

[et alios locos Conii. Critt. p. 94 sq.] — σπέρμα, Ol. VII, 48. — ἐνθορόν, insiliens, irruens in silvam. — V. 38. τεῖχος ξύλινον, proprie dictum Thucyd. II, 75., hic de rogo est, ornate. Virg. Aen. VI, 177. rogum aram dixit. — V. 39. σέλας Ἀφαίστου, ut saepe dicitur πυρὸς σέλας, cf. Schütz. et Blomfld. ad Aesch. Prometh. v. 7. ipsumque Ἀφαίστου σέλας Nonn. Dionys. 36, 131. — V. 40. οὐκέτι τλάσομαι ὀλέσσαι, non amplius sustinebo perdere. — Tum pro σὺν ματρί dixit ματρὸς σὺν πάθᾳ, matris cum gravi exitio. — V. 43. βάματι δ' ἐν πρώτῳ, quum summa celeritate opus esset. Quare alieni fuissent tres quattuorve passus Homerici; vid. Boeckhium, Gurlittum et quos laudant. — διέφανε. Pindarus διαφαίνειν dixit pro disiuncte lucere, via facta deo, quod magnificum. — V. 47 sqq. subiicitur locus de curatione morborum. „Designantur non chirurgica solum, sed etiam medica," Boeckhii verba sunt. Ac chirurgica opera Aesculapius curat ulcera sponte nata et vulnera ferro vel ictu lapidum illata; medicam adhibet morbis acutis vel longis, quos aestus et frigus, sive tempestatum intemperies maxime affert. Remedia ipsa partim incantamenta sunt, quae nostri sympathetica dicunt, partim potiones, fomenta, emplastra extrinsecus admota, praecipue herbae, postremo sectio. Omisit alia veteribus usitata, qui fere τῷ τέμνειν iungere solent τὸ κάειν καὶ τὸ ἰσχναίνειν. [Conferri potest Welckeri dissertatio de antiquitatibus artis medicae in Heckeri Litt. Annall. a. 1832. XXII, 1.] — ἑλκέων ξυνάονες, κοινωνοί. Ulcerum socii sunt ulceribus affecti, ut συνεῖναι, συνοικεῖν, συνναίειν κακοῖς dicitur saepissime. αὐτοφύτων additum vides propter oppositionem sequentium. — Verba περθόμενοι δέμας Heynius de membris aestu aut frigore vitiatis intelligit, quo proxime ducere videtur oratio; verum ita nihil est in toto loco, quod clinicam operam desideret, quum tamen potiones memorentur et infra θερμαὶ νόσοι. Verius igitur et interna et externa mala corporis innui statues. — V. 50. θερινῷ πυρί, inprimis Sirii aestu. — V. 51 sqq. De medicamentorum generibus, quorum praecipue mentio fit apud veteres, vid. Blomfld. ad Aesch. Prometh. 488. Memorantur autem φάρμακα χριστά, παστά s. ἐπίπαστα, πλαστά, βρώσιμα, πότιμα, quibus ad unguendum, inspergendum, emplastro obtegendum, edendum, bibendum utebantur. Accedunt ἐπῳδαί, quibus utebantur nunc solis, nunc una cum aliis medicamentis. Vid. Boeckh. et

Tafel. ad h. l. et Blomfld. ad Aesch. Prometh. 180. — μαλακαῖς, lenibus, proprium de remediis, cf. Pyth. IV, 271. Nem. III, 55. — ἀμφέπων, curans, ut cetera participia cum ἔξαγεν construe. — V. 52. προσανέα πίνοντας, potiones lenientes, quae sunt πιστά, ποτά, πότιμα φάρμακα. Ipsum προσηνής, lenis, placidus, etiam medicum verbum est, cf. Foësii Oeconom. Hippocrat. in v. — γυίοις περάπτων, quae πλαστά sunt vel πλάσματα, praecipue herbae, ut Philoctetae vulnus Machaon herbis illigatis sanat, cf. Schol. Pyth. I, 109. Ceterum γυίοις primo loco positum, quum haec externa opponantur potionibus. — περιάπτων. Ductae ab hoc verbo voces περιάμματα, περίαπτα, medicamenta alligata corpori, sive amuleta, cf. Foës. Oecon. Hippocrat. in v. et Hemsterhus. ad Arist. Plut. p. 190. — V. 53. ἔστασεν ὀρθούς, restituit aegrotos iacentes, ut surgerent. Cf. ὀρθοῦσθαι Soph. Philoct. 820. Denique notabis transitum ad verbum finitum post participia, de quo monitum Ol. I, 14. Et hic quidem oratio suavissime sic exit nervosior. — V. 54 sqq. De Aesculapio mortuum in vitam reducente vid. Schol. h. l. et Heyn. ad Apollodor. III, 10, 3. [et nunc Geelium post Eurip. Phoeniss. p. 324 sq.] Mercede id captum Aesculapium fecisse recentior fictio est, haud dubie a medicorum avaris moribus profecta. Eos in Graecia magno pretio conductos esse docuit Boeckhius Oeconom. civit. Athen. T. I. p. 132. — κέρδει, lucri cupiditate. — δέδεται, Nem. XI, 45. — V. 55. καὶ κεῖνον, ut alios. — ἀγάνορι μισθῷ, magnifica mercede et pretio corrupit eum. — ἤδη ἁλωκότα, scil. θανάτῳ, ut saepius Homerus. — ἔτραπεν κομίσαι, eo adduxit, ut restitueret, veluti Il. IX, 600: μηδέ σε δαίμων ἐνταῦθα τρέψειε. — κομίσαι ἐκ θανάτου, revocare, restituere, ut ψυχὰν κομίξαι N. VIII, 44. — V. 57. δι' ἀμφοῖν per Aesculapium et per resuscitatum. ῥίψαις, scil. κεραυνόν. Et χερσί auget vim verbi. — V. 58. ἐνέσκιμψεν, inflixit. Herod. I, 105. Blomfld. ad Aesch. Pers. 107. — V. 59. μαστευέμεν θνατοῖς φρασίν, expetere modesta mente, opinor; Eurip. Alcest. 809: ὄντας δὲ θνητοὺς θνητὰ καὶ φρονεῖν χρεών. Add. Anthol. Gr. Tom. XII. p. 233. [„Quidni ab ἐοικότα pendeat θνατοῖς φρασίν?" Emperius. Cfr. fr. inc. 130, a: ἐλπίσιν ἀθανάταις ἁρμῷ φέρονται. Ceterum Heimsoethius Mus. Rhen. p. 20. cavet, ne quis plus ex his sententiis extorqueat quam hoc, ut Hiero doloribus et impatientia victus

humanae fragilitatis amice admoneatur et ad sufferenda mala fato missa excitetur.] — V. 60. τὸ πὰρ ποδός, praesentem conditionem. — οἵας εἰμὲν αἴσας, cf. Matth. Gr. §. 316. e. — V. 61. φίλα ψυχά, se ipsum alloquitur, Hieronis causa haec dicens. — σπεῦδε cum accus. pro appete, quaere, ut alias, cf. Herodot. VII, 53. — ἄντλει, de verbo cf. Monk. ad Eurip. Hippol. 902. Gatak. ad M. Anton. IV, 50. Ceterum consilium loci quale mihi videatur, breviter iam in Introductione indicavi.

V. 62—79. Redit post interpositam fabulam ad principium et absolvit sententiam inchoatam. — σώφρων, qui nihil immodici tentaverit, ut Aesculapius mortui curationem molitus. — V. 64. φίλτρον cett., et si quod delinimentum animo eius dulces hymni mei instillarent, ut captus cantu audiret preces meas, persuasissem, ut etiam nunc medicum divinum mitteret hominibus, disciplina sua institutum. — V. 66. θερμᾶν νόσων, cf. θερμαίνεσθαι de febrili calore ap. Foës. Oecon. Hippocrat. Talis igitur Hieronis etiam morbus tum fuit. Atque in Scholiis quidem de febri vel podagra vel calculo dicitur; quum calculo laboraret rex Aristotele teste in Schol. ad Pyth. I, 89., gravior tum videri potest fuisse hic morbus. — V. 67. Λατοΐδα κεκλημένον ἢ πατέρος, sive aliquem Apollinis filium, qualis Aesculapius fuit, sive Iovis. Similiter κεκλημένος in Eurip. Rheso 298. Soph. Electr. 358. — V. 68. Ἰονίαν θάλασσαν appellat, quod Thebis Syracusas brevissima navigatio per sinum Corinthiacum et mare Ionium est, non circum Maleam Peloponnesi. — Ἀρέθοισα in Ortygia erat, ubi Hieronis regia domus; cf. Pyth. II, 6. — V. 70. νέμει, regnat Syracusis. — V. 71. ἀστοῖς, civibus urbium subiectarum. — οὐ φθονέων ἀγαθοῖς, mali enim tyranni invidentes, cf. Herod. III, 80. Extollit vero has virtutes Pindarus, admonens simul Hieronem, ut talis semper sit. — ξείνοις θαυμαστὸς πατήρ, hospitibus aulam eius adeuntibus, maxime poetis, longe benignissimus. [Cfr. Ol. VII, 90. XIII, 2 sq.] — V. 72. διδύμας χάριτας, h. e. χάρματα. Videbimus vero statim non duo gaudia dare deos uno cum malo, sed duo mala uno cum bono. — V. 73. εἰ κατέβαν, si appulissem. — κῶμος dicitur αἴγλα στεφάνοις ἀέθλων Πυθίων. Comissationem epiniciam adducit poeta carmen afferens, comissationi inserviens. — V. 74. ἐν Κίρρᾳ, in hippodromo

Delphico prope Cirrham. — ποτέ, quum victoriae pluribus Pythiadibus ante reportatae essent, vid. Introd. — Pherenicum vidimus Ol. I. — V. 75. ἀστέρος οὐρανίου — φάος, sideribus splendidior, laetior lux, in quo φάος pro gaudio et felicitate, et ἀστὴρ οὐράνιος pro stella omnino. Ceterum universus hic locus, pulcre exornans quae fieri non possunt, praeterquam quod voluntatis amicitiaeque poetae significationem habet, eo maxime placet meo iudicio, quod fallebat suaviter aegroti animum imagine, specie rerum proposita laetiori, quod inprimis iucundum in hoc carmine, ubi fatalis necessitas vitae humanae proponitur. — V. 77. Sed quum Chiro non vivat, nec adsint mythici medici, faciam quod facere possum. — V. 78. Ματρί, magnae Matri Deorum, quam una cum Pane colebat Pindarus hereditario cultu in sacello ante aedes suas ab ipso dicato, ibique Parthenia cantata a virginibus Thebanis, inter quas Pindari filiae Eumetis et Protomache, cf. Boeckh. ad Fragment. Pind. p. 591. Müller. Dor. I. 345. Welckerus ad Philostrat. p. 465. censet κούρας hic esse Nymphas, quae cum Pane Matrem Deorum nocturna saltatione celebrent, ut dicuntur κόραι Ἀσωπίδες, Κωπαΐδες, πηγαῖαι pro Nymphis. Sed ego dubito κούρας sine tali epitheto usquam pro Nymphis dictas; ferrem, si κοῦραι hae Matris Deorum filiae essent. Deinde permirum Nymphas, quas in agris, montibus, silvis degere et saltare scimus, ipsam urbem Thebarum intrare cum Pane, idque saepe. Denique de huius cultus ratione fatendum nos accuratiora nescire. Mirum quidem videri potest virgines Thebanas noctu Metroaca canere; sed quidni pervigilia, eaque castis moribus non adversa, coniuncta esse potuerint cum his sacris, sicut cum Cerealibus? Huic autem Deae Pindarus vota facere vult, quum sit νόσων αὐξητική et μειωτική secundum Scholia. Num sollemnia vota promittit carmine in sacello canendo? [Cfr. T. I. p. LXXXIV sq. et Muelleri Archaeol. §. 387. n. 7.]

V. 80—103. Pars altera carminis. Revocatur Hieronis sors ad universam vitae humanae legem. Orditur sic: „Si vero traditionum priscarum intelligere capnt altum didicisti, h. e. si altiora, si sapientiam quae inest in fabulis intelligis, nosti uno cum bono bina mala deos mittere.“ Verisimile est hoc dictum esse veteris alicuius poetae. Quum enim dii sine malo sint, homines non aequam habent boni malique partem, sed sunt ὀϊζυροί, δύστηνοι, πολύπονοι, πολύστονοι, qui-

bus aliisque epithetis quid significatur nisi plus mali esse inter homines quam boni? Unde poetarum aliquis vetustior, fortasse Hesiodus aut Hesiodeae scholae unus, ingeniosum dictum pronuntiaverat de binis malis uni bono additis. Pindarus autem nunc ad ipsas fabulas provocat, quibus hoc comprobetur, in quibus haec lex expressa sit. *λόγοι* sunt fabulae et traditiones priscae omnino, sive a poetis tractatae sive populi memoria traditae (cf. de voce Creuzer Historische Kunst d. Griechen p. 173.); omnis sapientiae et cognitionis altioris fons apud Pindarum. — *λόγων κορυφὰ ὀρθά*, singulari numero, quasi vertex altus fabularum, nihil videtur aliud esse quam interior sensus earum, ac, ni fallor, poeta in sequentibus ipse quid dicat explicat. Potest aliquis Cadmi et Pelei fabulas nosse, sed sapientiam in iis expressam tum demum attigerit, si legem fatalem vitae humanae in iis conspicuam intellexerit, atque ita in omnibus fabulis altiora quae insunt ethica et religiosa *κορυφὰν λόγων* recte dixeris. Ac vulgus quidem talia non novit, at si penitus discere consuevisti, ait Pindarus, etiam hoc cognovisti in iis traditum. [Recte Heimsoethius l. c. p. 21. negat verba esse in eam sententiam accipienda, ut Hieroni revera par malorum cum uno coniunctum bono fuerit. „*Die sprichwörtliche rede zählt an sich nicht wirklich, wenn sie sich zu starkem sinnlichem ausdrucke der zahlen bedient, wie wenn wir sagen: das schlimme im menschlichen leben verhält sich zum guten wie zwei zu eins.*"] — *προτέρων*, cf. Matth. Gr. §. 373. — V. 82. *τὰ μὲν ὤν*, haec plura mala. — *κόσμῳ*, *κοσμίως*, idem *καλῶς*, *εὖ φέρειν*, constanter et sapienter. — *τὰ καλὰ τρέψαντες ἔξω*, proverbialis loquutio, cf. Casaubon. ad Theophr. Charact. 22. Schol. ad v. 147. Add. similia ap. Tafel. Sensus: non nimis indulgere aegritudini, sed hanc quidem premere et occultare, et prae se ferre laetiorem partem fortunae. Videtur autem Hiero admodum tristis fuisse. Neque enim dubium simul admoneri regem, qualis esse debeat, etsi primo adspectu Pindarus nonnisi laudare videatur. — V. 85. *δέδεκται*, favet, cf. ad Ol. VII, 11. Nota vero *ὄλβον* regium nunc esse bonum illud, quod Hiero habeat cum duobus malis. Huc pertinent etiam victoriae curules divitiis regiis partae, veluti idem in antecedenti carmine vidimus. Consulto hoc addo; nam huius carminis ratio unum tantum, non plura bona, admittit. — V. 86. *εἴ τιν'*, Ol. I, 54. — *ὁ μέγας πότμος*, potens fatum; Nem. IV, 42. *πότμος ἄναξ*. — *ἀσφαλής*, *ἄπταιστος*,

sine malis. [Heimsoethius p. 21: „*Daſs die vom dichter hier gewählten concreten beispiele unglück an töchtern und söhnen aufweisen, konnte erst dann keinen ganz unsichern anknüpfungspunct zu vermuthungen zu bieten scheinen, wenn hier von andern die rede war, als den beiden sprichwörtlich glücklichsten der menschen, Peleus und Kadmos.*"] — V. 90. *ἐν ὄρει*, in Pelio monte constat celebratas nuptias Pelei et Thetidis; cf. Nem. V, 22. Catull. Epithalam. Eurip. Iphig. Aul. 1036 sqq. — De Cadmi et Harmoniae nuptiis vid. Eurip. Phoeniss. 826. ibiq. intpp. — V. 92. *εὐβούλου*, de vaticinandi arte accipe, ut *εὔβουλος Θέμις* Isthm. VII, 32. et *Τειρεσίαο βουλαί* Isthm. VI, 8. Et *Πρωτεὺς πολύβουλος* Orph. Hymn. 24, 4. Ceterum vaticinari Nereum constat, cf. Hesiod. Theog. 233. Eurip. Hel. 15. Horat. Carm. 1, 15. — Ad v. 93 sqq. cf. Nem. IV, 66 sqq. — V. 95. *Διὸς χάριν*, per Iovem, cf. ad Ol. XIV, 20. — V. 96. *ἐκ προτέρων μεταμειψάμενοι καμάτων*, ex prioribus malis egressi, exsilii puta aerumnis, quum alter ex Aegina, alter e Phoenicia exsularet. — *ἔστασαν ὀρθὰν καρδίαν*, erexerunt iterum animum et confirmarunt; Eurip. Alcest. 1203. *ὀρθὸν κρᾶτ' ἱστάναι*, erigere caput. Herod. IV, 129. *ὀρθὰ ἱστάναι τὰ ὦτα*. Supra v. 53: *ἔστασεν ὀρθούς*. Et sic alias. Hinc metaphorice. — *ἐν δ' αὖτε χρόνῳ* cett. Sensus: Postea vero Cadmo tres filiae, Ino, Agaue, Autonoe, gravibus casibus suis partem felicitatis iterum abstulerunt; nam partem servavit Semela Iovis connubio dignata. Haec cur ita dicta sint, tum demum penitus intelligas, si Hiero praeter mortuam filiam etiam aliam habuit, et poeta opportune simul illud monere regem voluit, quod altera eripuerit gaudii, alteram reddere posse aliquando. Hinc est quod Semelae opponit sortem, quum alias hic de tristibus tantummodo rebus dicendum fuisset, ac *μέρος εὐφροσύνας* dicit abstulisse tres, non *εὐφροσύναν* simpliciter, ut etiam Hiero sentiat non omnem sibi felicitatem ablatam. Ceterum Cadmi filiarum casus notissimi; notabis tamen Semela nunc aliter uti poetam quam Ol. II, 25. [De Semela Thyona docte disputat Welckerus Mus. Rhen. T. I. p. 432 sqq., ubi de nomine Thyonae vide p. 435.] — Denique ad *ἐρήμωσαν* cf. Matth. Gr. §. 418. — V. 100. *ὅνπερ μόνον* cett., quem unum filium ei pepererat Thetis; alias fabulas spernit hic Pindarus. — *τόξοις*, scil. Apollinis, cf. Heyn. ad Il. X, 359. — *ὦρσεν — γόον*, communem Graecorum luctum excitavit. —

Denique ad universum locum illud recorderis velim, doceri a Pindaro bina mala dari uno cum bono, quod quidem diverso modo fieri potest. Atque Hiero quidem uno tempore haec coniuncta habet; Peleus autem et Cadmus in prima parte vitae exsilii aerumnas tulerunt, in fine luctum domesticum, mediae interpositae fuerunt nobilissimae nuptiae. Nam plane non dubium fabulas dicto respondere debere; nititur hoc omnis demonstratio. Debent omnia omnino in hoc carmine accurate cum hoc dicto convenire, in quo poetica vis eius inest.

V. 102—fin. Exitus carminis, qui unam sententiam habet hanc: Utere igitur bonis quae habes ad gloriam post mortem per poetarum carmina tibi parandam. Etenim post antecedentia quid restabat monendum? Ut agnoscens Hiero propositam vitae humanae immutabilem sortem nollet propter mala etiam bonum contemnere temere quod haberet, ὄλβον regium dicit, sed hoc interim uteretur quam posset optime. Atqui ad res gerendas, ut quibusdam visum, aegrotum regem hortari non poterat, et satis habebat laudis in hoc genere Hiero; hortatur igitur ad liberalitatem et munificentiam, ut poetas celeberrimos in aulam suam congregare pergens futurae gloriae prospiciat, et huic vitae, cuius vim immortalem reddere non possit, memoriae immortalitatem comparet. Nihil novi accommodatius hoc exitu. — V. 103. *εἰ δὲ νόῳ τις ἔχει* cett., si quis mortalium veritatis viam mente tenet, h. e. veram viam et rectam rationem agendi; cf. Ol. VII, 46: *λάθα παρέλκει πραγμάτων ὀρθὰν ὁδὸν ἔξω φρενῶν*, ut saepe ὁδός ac *κέλευθος* de agendi ratione, Ol. VII, 91. Nem. VIII, 35. Et *ἀληθείας ὁδοί* similiter Isthm. II, 10. — Pergit: Is igitur debet *εὖ πασχέμεν*, felicitate, bonis quae habet gaudere et iis uti. Sic ap. Theognid. v. 108. *τῶν αὐτοῦ κτεάνων εὖ πασχέμεν* est genio indulgere ex opibus suis, et ap. Pindar. Nem. I, 37. *ἐόντων εὖ παθεῖν*. Vult autem Hieronem laete frui divitiis inter amicos et poetas, ut mox videbis. — *πρὸς μακάρων τυγχάνοντα*, ubi quid boni a diis consequatur, cf. *τυγχεῖν* Ol. II, 51. — Pergit: facile vero mutantur venti, felicitas enim magna non durat diu, quo magis tempore utendum est. — *ὄλβος*, asyndeton, explicandum per *γάρ*. — *ἄσπετος ἐπιβρίσαις*, copiosa ingruens, et ubi tam magna est, ut tua, o rex. Ad *ἐπιβρίθειν* cf. Blomfld. Aesch. Sept. 141. [Cfr. Solonis eleg. fr. 6. Emperius ascripsit: *ἔρχεται σῶς, πολὺς κτλ.*] —

V. 107. *σμικρὸς ἐν σμικροῖς, μέγας ἐν μεγάλοις ἔσσομαι*, in modica fortuna modice me geram, magnifice in magnifica, h. e. non potest magnos sumptus facere qui pauper est, at regius vir dives et opulentus debet liberalitatem et munificentiam ostendere. Neque enim quidquam hic praecipitur, quod ad superbiam pertineat. Cf. Eurip. El. 407. *ἐν σμικροῖς ὤν*. Ceterum prima persona hic et in sequentibus utitur, ut saepe, alium admonens. [Cfr. T. I. p. XVI. Non absonum ab h. l. dictum incerti poetae apud Teletem Stobaei CVIII, 82: *Ἄρμενος ἐν μικροῖσι καὶ ἄρμενος ἐν μεγάλοισιν.*] — V. 108. *τὸν ἀμφέποντ' — μαχανάν*, fortunam, quae quoque tempore praesto est, colam pro virili. — *δαίμονα ἀσκεῖν*, vim divinam s. fortunam me prosequentem non contemnam, sed venerabor, utar ut possim, *κατ' ἐμὰν μαχανάν*, ut alibi dicitur *πάσῃ μηχανῇ*. Conferas autem formulas *τὸ παρὸν εὖ τίθεσθαι, ἀγαπᾶν τοῖς παροῦσι*, quod adest memento componere aequus, de quibus v. Hemsterhus. ad Lucian. Necyom. III. p. 365. Bipont. Interprett. ad Horat. Carm. III, 29, 32. [Valckenar. ad Eur. Hipp. 708. et Hermann. in Philol. I, 369.] Ad *ἀσκεῖν* cf. Ol. VIII, 22. — V. 110. Quae generaliter dicta erant ante nunc definitius explicat. Si autem, ait, divitias deus praebeat, spero me gloriam magnam inventurum in posterum, h. e. si autem divitias magnas deus alicui obtulerit, ut tibi, potest is liberaliter iis utendo magnam gloriam per poetas sibi parare. Nestor et Sarpedon immortales sunt per poetarum carmina; hoc tu quoque tibi parare potes; paucis id assequi datum. Commendat igitur liberalitatem erga poetas, sed, ut par erat, magis indirecte significans quam aperte, ne ipse immodestior videatur. — *πρόσω*, in posterum, et nunc et post mortem. Porro cur Nestorem et Sarpedonem nominat? Nempe ut Pyth. II, 63. laudantur in Hierone iuvenile *θράσος πολέμων* et *βουλαὶ πρεσβύτεραι*, sic etiam hic. Poetarum carminibus, ait Pindarus, et bellicarum rerum laus, quas gessisti florente aetate, et senilis sapientia tua celebrabitur, et clara habebitur ut illorum heroum memoria. In quo Sarpedonem laudat, quum Syracusae colonia Corinthi essent, Corintho autem oriundus Sarpedon, utpote nepos Bellerophontis Corinthii ex Laodamia, cfr. Il. VI, 196 sqq.; Nestorem vero addens simul admonet, qualis etiam in hoc genere esse debeat. — V. 113. *φάτις* pro *φάτιας*, sermo pervulgatus, fabula hominum. — *τέκτονες*, artifices, cf. Boeckh. h. l.

Iacobs. ad Anthol. Gr. T. VIII. p. 74. T. X. p. 46. T. XI. p. 75 sqq. et Tafel. ad h. l. Dicitur enim τεκτοσύνη et τεκταίνειν de compositione poetica, et τέκτονες ὕμνων, ἐπέων sunt poetae. — ἄρμοσαν. Ut μέλη ἁρμόσατο Simonid. Epigr. CLXXI, 4. Schneidewin. Et Erycius Anth. Gr. T. III. nr. 14. — V. 115. πράξασθαι, hoc, ut celebrentur a poetis, atque ita immortales fiant. Cet. cf. Mitscherl. ad Horat. Carm. 4, 8, 22.

Carmen Pythium quartum.

INTRODUCTIO.

Arcesilaus originem deducebat ab Euphemo Taenario, Neptuni filio, Minyarum e gente, qui in reditu Argonautarum e Lemnia Malache s. Malicha genuerat Leucophanem; inde descendens quartus ab Euphemo Sesamus s. Samus Therae in condenda colonia Theraea fuerat socius. Huius filius Euphemus alter dictus, a quo descenderat decimus septimus ab Euphemo, gentis auctore, Polymnesti filius Aristoteles s. Battus. Battus Cyrenen condiderat circ. Ol. 37. Successerat Arcesilaus I., Battus II., Arcesilaus II., Battus III., Arcesilaus III., Battus IV., et nunc quidem Arcesilaus IV., octavus a Batto primo, est is, de quo agitur. De fabulis et historia gentis cf. Boeckh. h. l., Müller. Orchomen. et Res Cyrenensium novis curis illustratas a Ioann. Petr. Thrige. Hafn. 1828. — Victoria curulis Arcesilai, quae hoc et sequenti carmine laudatur, parta est Pyth. 31. Ol. 78, 3. Et illud quidem carmen cantatum in sollemni reditu pompae victorialis in urbem, hoc aulae regiae destinatum fuit, ut in convivio caneretur, transmissum una, scriptum vero Damophili Cyrenaici hortatu, ut videtur. Quum enim Arcesilaus, rex fortis et bellicosus, promptus ad iram et severitatem, seditione nuper orta durius saeviisset in principes quosdam viros atque etiam in Damophilum cognatum, Pindarus huic in exsilium pulso et Thebis viventi veniam impetrare cupit hoc carmine. — Argumentum

hoc est: Initio carmen dedicatur diis Delphicis, ubi oraculum datum sit, ut Battus Cyrenen conderet, et Medeae priscum vaticinium perficeret. Dixerat autem Medea ita: E Thera insula Libyam radicem urbium petituram, cuius cives equis curribusque insignes forent. Ad lacum enim Tritonidem quum Argonautae versarentur, Euphemo oblatam esse a deo humanam speciem gerente glebam hospitii tesseram, quae si servata esset et domum ab Euphemo relata ad Taenarum Peloponnesi, quarta aetate posteros habituros fuisse Libyam; nunc autem quum navi delapsa iaceat in Thera, primum eos hanc insulam occupaturos ex peregrinis feminis natos, postea Delphici oraculi iussu in Libyam traiecturos. Atque ita factum, pergit Pindarus. Battus postea iussus est Libyam petere, a quo nunc octavus est Arcesilaus. — Exin ipsam Argonautarum expeditionem enarraturum se dicit. Pelias Iolci rex, qui Aesoni regnum eripuerat, monitus erat oraculo Delphico, ut caveret virum μονοκρήπιδα. Fuit is Iason, Aesonis filius, qui educatus in antro Chironis, inde adulta aetate redux, grandi statura, intrepido animo processit in forum Iolci. Interrogatus a Pelia perterrito, quis sit, placide at fidenter respondet redire se, ut regnum sibi debitum recuperet. Tum patris domum monstrari sibi iubet, ibique quinque dies cum propinquis, qui ad famam reducis iuvenis convenerant, laete peragit; sexto die consilio cum iis communicato adit una cum iis Peliam haec loquutus: Pactis, non armis res nostras dirimamus, quum cognati simus; concedo tibi agros et greges, at thronum et sceptrum patris redde. Pelias accipit conditionem, ita tamen, ut Iason prius in Colchidem proficiscatur ad Phrixi animam reducendam, quam ipse iussus sit reducere, sed propter aetatem non possit. Promittit rem Iason; nec mora, statim paratur expeditio, heroibus multis undique convenientibus; et omine fausto accepto proficiscuntur, superatisque feliciter Symplegadibus ad Phasin perveniunt. Ibi Venus incantationem docuit Iasonem, qua Medeam sibi conciliaret; haec consiliis et veneficiis ei succurrit. Sic boves sub iugum cogit ignem exhalantes, et sulcum imperatum ducit, et draconem velleris custodem occidit, ipsumque vellus recuperat. Exin Pindarus contracta narratione paucis subiicit, ut per Oceanum reversi postremo Lemnum venerint Argonautae, ubi sata sit Battiadarum stirps, quae postea Lacedaemonem profecta hinc Theram migraverit indeque in Libyam. Finita narratione ad Arcesilaum conversus, hunc pluribus verbis monet, ut

lenitate utatur in turbis civilibus componendis, nec gravius saeviat in principes, inprimis vero Damophilo veniam impertiat, viro egregio, qui procul a Cyrenis in exsilio vivere coactus redire cupiat ad patrios lares. — Enarrato argumento, ut de consilio poetae dicamus carminisque summa sententia, optime et verissime Boeckhius maxime noster monuit agi in hoc carmine de lenitate et clementia in civilibus turbis componendis adhibenda, eiusque rei exemplum in Iasone proponi. Profecto enim Iason est mythicum παράδειγμα, quod Arcesilao proponitur, idque nemini dubium esse potest, qui Pindarum cognitum habet; sic supra Hieroni exempla proponi vidimus, atque alia videbimus infra aliis in carminibus aliis proposita, nisi quod Iasone pulcrior persona heroica non exstat apud Pindarum. Sed explicabimus poetam paullo diductius. Igitur in prima parte carminis (v. 1—67.) declaratur fortuna Arcesilai, Apollinis maxime numini debita. Tulit Arcesilaus ludicram victoriam Delphis; idem vero ut regiam potentiam Cyrenis habeat, factum Apollinis oraculo, qui Euphemidas in Libyam misit regnumque dedit olim a Medea praedictum, quod nunc inde a Batto hereditario iure possidet gens. Post primam partem proponitur in altera Iasonis pulcherrimum exemplum, de quo nunc videamus. Quid igitur inest in Iasone? Cum robore et fortitudine insigni moderatio summa in summo iure. Procedit in forum Iolci florente aetate, mirantur omnes staturam ingentem, loqnitur intrepide et fidenter, suscipit sine haesitatione expeditionem longinquam et periculosam; rem fortiter exsequitur. Idem vero aspernatur arma et vim inferre Peliae cognato, qui regnum occupaverat sibi patriqne iure hereditario debitum, loquitur placide cum raptore fortunae, thronum sceptrumque reddi iubet, divitias donat. Nihil in suo genere amabilius. Hinc etiam dii eum eximio favore prosequuntur, ut in expeditione Colchica luculenter apparet. Convocat Iuno heroes comites, tonitru fausto respondet Iuppiter, adiuvant iuvenem Neptunus et Venus. Comparabimus nunc Arcesilaum. Erat etiam hic florente tum aetate et eximio robore ac fortitudine, ut in sequenti carmine (v. 106.) dicitur ἀγωνίας, ἔρκος οἷον, σθένος. Quae res quanquam hic non opus fuit ut declararetur expressius, ubi maxime et inprimis admonitio agitur, vix tamen dubium alludi ad heroicam regis staturam eo loco, ubi per multos versus Iasonis forma ingens praedicatur. Idem vero ingenio plane dissimilis Iasoni, calidior, iracundior et ad saevitiam proclivis, severius compresserat seditionem nuper ortam ipsumque cognatum suum Damophilum exsilio punierat. Iam quid dicit Pindarus? Habes ius hereditarium regni Libyci; peccaverunt igitur qui seditionem contra te moverunt, et recte defendis dignitatem prisco iure sacratam, ut placet Iason recuperatum veniens regnum iniuria sibi ereptum; at in eo erras maxime, quod nonnisi per vim opprimere malum intestinum conaris. Significatur hoc aperte in ultima carminis parte, ubi regem data opera ad clementiam hortatur atque etiam Damophilo veniam precatur. Vides post haec omnia veram carminis sententiam: „Fortunae regiae, divinitus datae, hereditariae, nunc etiam Pythia victoria ornatae, adde, Arcesilae, etiam moderationis, lenitatis, clementiae virtutem; sis mitis, ut Iason fuit, in summo iure. Sic enim, nec alio modo deorum favorem conservabis qualem Iason habuit et regnum vaticiniis oraculisque genti tuae datum." Hoc modo omnia lucem habent; atque Argonautarum expeditio quod disertius narratur, partim ideo fit, quod Euphemidarum genus in hoc itinere satum est, partim vero, ut appareat viris tam iustis, quam Iason erat, etiam deos luculenter favere, atque ipsos Euphemidas tum ortos fundamenta fortunae debere Iasonis virtuti eximiae tum felici successu a diis ornatae, oratione sic praeclare in orbem redeunte omnibusque optime ad summum carminis consilium conspirantibus. [Post Dissenium, qui T. I. p. XXXV sqq. de lyrica tractatione argumenti ab epici carminis aequabilitate longe remota explicavit, subtili iudicio idem fecit Rauchensteinius Introd. p. 101 sq., quem conferent studiosi. Is simul observat Pindarum videri Iasonis personam, suavissimum heroicae virtutis exemplum, Damophilo potius assimilasse, non ad monendum Arcesilaum rettulisse, quae aliorum est sententia.]

EXPLICATIO.

V. 1 — 11. Prooemium. Dedicatur carmen diis Delphicis. — Orditur sic: Hodie adstare debes, Musa, regi Cyrenarum epinicia agenti, ut adiuves κώμου δεσπόταν et fortius cum eo excites canentes, quo grandior evadat hymnus debitus Latoidis Delphisque. Nomen proprium Ἀρκεσίλᾳ in secundo mem-

bro positum, veluti factum Pyth. VIII, 43. Tibull. I, 1, 18. Horat. Carm. I, 15, 4. — *οὖρον ὕμνων*, cf. Nem. VI, 29. et ad Ol. XIII, 49. — *αὔξης* est largius praebere et fortius excitare. — *Λατοίδαισιν*, Apollini et Dianae; magnificentius, ut carmen Nem. IX. canitur in honorem Apollinis, Dianae et Latonae, *Πυθῶνος ὁμοκλάροις ἐπόπταις*, nam hi tres praesides loci et ludorum, cf. ad illud carmen. — *Πυθῶνι*, ut infr. v. 66. *Ἀπόλλων ἅ τε Πυθὼ κῦδος ἔπορεν*, ampliore dictione ornatius. Sed his, ait, victoriae datoribus nunc maius est canendum carmen, quum regnum quoque Battiadae iis debeant. [Adde Nem. IV, 9: *τό μοι θέμεν Κρονίδᾳ τε Διὶ καὶ Νεμέᾳ Τιμασάρχου τε πάλᾳ ὕμνου προκώμιον εἴη*. Callimachus in Scholl. Ol. VIII, 21. (cfr. A. Hecker. Comm. Callimach. p. 66.): *Ζηνί τε καὶ Νεμέῃ τι χαρίσιον ἔδνον ὀφείλω.*] — V. 4. *Διὸς αἰητῶν*, ut Soph. Antig. 1027. *οἱ Ζηνὸς αἰετοί*. Philostrat. Imagg. c. VI. *τὸν τοῦ Διὸς αἰετόν*. [Formam *ἀητός*, de qua v. not. crit., nuper felicissima coniectura Io. Franzius restituit Aesch. Ag. 143: *δεξιὰ μέν, κατάμομφα δὲ φάσματ' ἀητῶν.*] Fuit autem *ὀμφαλός* qui dicebatur lapis albus in adyto templi, in quo duae aquilae aureae; cf. Aesch. Eum. 40. Plat. Rep. IV. p. 428. Fragm. Pind. Boeckh. p. 570. Strab. IX. p. 419. et Schol. nostr. loc. [Ulrichs Itin. Graec. I, 93.] Eas Phocensi bello abstulit Philomelus (Schol.), *ὀμφαλός* autem postea in *περιβόλῳ* extra templum conspiciebatur, cf. Pausan. X, 16, 2. Fabulosam narrationem de his aquilis, e finibus terrae quae huc convenerint, habent Scholia; veram earum rationem docet hic Pindarus. Ait enim: Ipsius Iovis auspiciis, praesente Apolline, Pythia dixit. Unde vides has aquilas Iovem repraesentasse, summum oraculi praesidem, collocatas prope tripodem Pythiae. Ceterum de *ὀμφαλῷ* in monumentis artis adhuc conspicuo bene disputavit Passovius in Böttigeri Archaeologie und Kunst I. Bd. 1. St. 1828. p. 159 sqq. [Cfr. Mueller. ad Aesch. Eum. p. 101 seq.] — V. 5. *οὐκ ἀποδάμου τυχόντος*, dicuntur enim proprie *ἐπιδημίαι* et *ἀποδημίαι* deorum, quum praesentes sunt in templis, aut absentes alibi, cf. v. c. Nem. V, 37. Horat. Carm. III, 28, 15. Ita etiam Apollinis variae creditae *ἀποδημίαι* in templis, veluti notus ille commeatus inter Lyciam et Delum, cf. Virg. Aen. IV, 143. ibiq. Serv. et Heyn. Excurs. II. collat. supr. Pyth. I, 39. Aliud exemplum vide ap. Menandr. de Encom. p. 38. Heeren. [Walz. Rhett. IX, 140.] Delphis celeberrima

habita profectio dei ad Hyperboreos nono quoque anno, de qua vid. Müller. Dor. I, 267 sq. Denique quum Patarae nonnisi praesente deo per hiemem responsa darentur, Delphis data videntur interdum etiam absente alicubi, quum Batti nunc oraculum laudetur ex eo, quod Apollo praesens fuerit. — Ad formam *ἱρέα* cf. Buttm. Gr. ampl. II. p. 328. [(426. ed. Lob.) et Lobeck. Pathol. p. 43.] — V. 6. *χρῆσεν*, h. e. ubi sacerdos vaticinans dixit conditorem Battum Libyae, ut relicta Thera conderet Cyrenas. Brevius dixisset: *χρῆσεν Βάττον, ὡς κτίσσειεν*. Nunc consulto ampliore oratione usus addidit *οἰκιστῆρα Λιβύας*, idque deinde pluribus explicat. Veluti quum Homerus non sine vi dicit: *ὄφρα Νύμφῃ εἴπῃ νόστον Ὀδυσσῆος ταλασίφρονος, ὥς κε νέηται*, Odyss. I, 87. alia. Cf. Nitzsch. in Odyss. I, 300. II, 65. — *καρποφόρον*, Thrige p. 19 sqq. et p. 316. Ceterum de oraculo Batti vid. Herod. IV, 155. Müller. Orchom. p. 343. — *ἱεράν*. De diis in Thera cultis, ut Iove, Apolline, Baccho, Mercurio, vid. Boeckh. — V. 8. *ἐν ἀργάεντι μαστῷ*, in colle calcario, cf. Schol. 14. et Boeckh. h. l. *ὄχθος ἀμφίπεδος* Pyth. IX, 57. — V. 9. *ἀγκομίσαιτο*, referret in illa loca ad exitum perducendo. — V. 10. *Θήραιον*, ad Theram enuntiatum. — *ἑβδόμᾳ καὶ σὺν δεκάτᾳ γενεᾷ*, has septendecim aetates computat Müller. Orchom. p. 344., Argonautarum expeditionem ponens ann. 1207., Battum vero Ol. 35. — *ζαμενής*, animosa; quippe quae peregrinis cum heroibus proficisceretur ad remotas terras. — V. 11. *ἀπέπνευσε*, cf. ad Ol. VI, 83. Frequens *πνεῖν* de poetis et cantoribus; hinc apta vox de vaticinatione. — *ἀθανάτου*. Immortalis enim credita est fuisse Medea, cf. Athenagor. c. 12, qui Hesiodum et Alcmanem auctores laudat. Add. Müller. Orchom. p. 269. Saepe vero veteres praedicatum, quod toti personae competit, parti tribuunt, ubi de parte maxime agitur; vid. Ol. VI, 8. Add. infra v. 98. et Nem. I, 42. VI, 59. Similiter Horat. Carm. I, 1, 29. doctae frontes, aliaque plurima.

V. 11—69. Narratur vaticinium Medeae data opera et repetitur oraculum Batto datum, cuius nunc successor octavus Arcesilaus, Pythiorum victor. — V. 14 sq. *τᾶσδ' ἐξ ἁλιπλάκτου γᾶς*, ex hac insula Thera conditum iri Cyrenas, ubi tum versabantur Argonautae ex Tritonide palude in Graeciam redeuntes. — *Ἐπάφοιο κόραν*, Libyam, coniuncta deae et terrae notione. Haec igitur condet, *φυτεύσεται*,

plantabit, ἀστέων ῥίζαν, Cyrenas, urbium plurium matrem. Apollonia, Hesperides, Teuchira, Barca coloniae eius primariae fuere; censendae tamen sunt fuisse longe plures aliae, licet nobis non cognitae accuratius. Cf. praeter Boeckhium Thrige pag. 113 sqq. — μελησίμβροτον, mortalibus cordi futuram, frequentem et florentem. — V. 16. ἐν Ἄμμωνος θεμέθλοις, in solo Ammoni sacro, qui eximie colebatur Cyrenis, cf. Müller. Orchom. p. 358. Boeckh. Oecon. civit. Athen. II. p. 258. Thrige p. 294. Huic igitur deo Libyco, inter Graecos deos recepto et cum Iove Graeco confuso, sacra erat universa regio. Idem intelligendus etiam Pyth. IX, 53. Postremo recorderis velim vaticinantis hanc orationem esse Medeae, ut aptiora etiam tibi videantur illa: Ἑπάφοιο κόραν, ἀστέων ῥίζαν, ἐν Ἄμμωνος θεμέθλοις; cf. v. 56. — V. 18 sq. In locum piscaturae et navigationis succedet rei equestris studium. Sed iterum ornatius ait: Delphinos equis permutantes frena pro remis et currus regent veloces. — ἑλαχυπτερύγων, quum piscium pinnae dicantur alae, Oppian. Hal. I, 745. Inprimis vero delphini veloces, cf. Pyth. II, 50. — ἀελλόποδας. Frequens equorum praedicatum, Pindaro, Simonidi, Sophocli aliisque plurimis pro Homerico ὠκύπους usurpatum, cf. Tafel ad h. l. Nunc lyrice ad δίφρους translatum. Intelliguntur autem curulia Cyrenensium certamina, unde iam supra εὔιππος Κυράνα et εὐάρματος πόλις. Plura vid. ap. Boeckh. et Thrige p. 344. Omnino clari fuerunt equi, clari et iudicri Cyrenarum currus et bellicae bigae et quadrigae. — νωμάσοισιν, cives huius urbis, ut saepe; cf. Nem. VII, 10. VI, 48. — V. 19. κεῖνος ὄρνις, illud augurium, glebam dicit. Notum hoc et οἰωνός de quovis augurio. Aristoph. Av. 719. ait: ὄρνιν τε νομίζετε πάνθ' ὅσαπερ περὶ μαντείας διακρίνει cett. Cfr. Plut. 63. Ceterum asyndeton per γάρ explicandum. — μεγαλᾶν πολίων ματρόπολιν, urbis Cyrenarum eiusque coloniarum, quae mox creverant. — V. 20. Τριτωνίδος ἐν προχοαῖς. Argonautae e Colchide redeuntes, ex Phaside in Oceanum, ex Oceano in mare rubrum delati, inde per deserta Libyae humeris portaverant navem ad Tritonidem paludem. Quam emensi quum in ipso ostio substitissent, hospitium offertur a deo Tritone Eurypyli specie induto; quo tamen uti non licet, ancora iam soluta. Tum ille glebam arripit et praebet hospitii tesseram, quam Euphemus e prora descendens accipit. Atque haec gleba erat augurium futurae possessionis,

Minyis Euphemidis, h. e. Battiadis destinatae; cf. Müller. Orchom. p. 352. et Proleg. Mythol. p. 142 sqq. — V. 22. πρῴρα θεν καταβάς, etiam insequentibus poetis Argonauticis fuit πρῳρεύς, cf. Müller. l. cit. p. 263. — δέξατο c. dativo, Il. II, 186. XVII, 207. et saepe, cfr. Porson. ad Eurip. Hec. 539. Matth. Gr. 394, 3. Bernhardy Synt. p. 87. Add. ad Ol. XIII, 29. — V. 24. ἀνίκ' — ἐπέτοσσε, quum ancoram navi suspendentibus occurreret ille deus. De verbo ἐπέτοσσε cf. Nott. critt. ad Pyth. III, 27. — ποτικρημνάντων genitivus absolutus videtur, scil. ἡμῶν, cf. Pyth. VIII, 43. Add. Matth. Gr. §. 563. Certe Pyth. X, 33. idem verbum cum accusativo iungitur. — χαλινόν, quum ancorae navem inhibeant, ut χαλινός equum. Omnino χαλινός est δεσμός poetis. — V. 26. νώτων ὕπερ γαίας ἐρήμων. Quum Homerus dixisset εὐρέα νῶτα θαλάσσης, postea suaviter traducta loquutio ad terrae aequora, qualia nunc deserta Libyae. — V. 27. εἰνάλιον δόρυ, navem, iterum v. 38. Notum e tragicis, cf. Blomfld. ad Aesch. Pers. 417. — ἀμοῖς, v. ad Pyth. III, 41. — ἀνασπάσσαντες, subducta navi meis consiliis, ut ἐρύειν, ἀνέλκειν. — Ceterum ne tu quoque reprehendas Pindarum, quod Medeam narrantem faciat Argonautis quae sciebant, τὸ πρὸς εἰδότας λέγειν quis non recordatur in tragoedia usurpatum similiter spectatorum causa, ut hic Didymus in Scholiis recte sensit nostra causa haec sic omnia narrari. Cf. de tragicis Naekium Opuscc. I. p. 94 sqq. — V. 28 sq. φαιδίμαν — θηκάμενος, splendida specie viri venerabilis assumpta, cf. Hesych. v. θήκατο et vid. ad Ol. XI, 63. Notabis porro in repetita mentione quanto ornatius expressum sit quod ante dixerat θεὸς ἀνέρι εἰδόμενος. — V. 30. Quemadmodum hospitibus benevoli homines epulas offerunt primum, cf. ad εὐεργέται Isthm. V, 70. — V. 32. πρόφασιν constat etiam veram causam et rationem esse, quam quis proferat. — De Eurypylo, qui nunc rex illius regionis, cf. Müller. Orchom. p. 348.; de voce Ἐννοσίδας Lobeck. ad Aiac. p. 389. — V. 35. προτυχόν, statim arripiens terrae quod obvium erat hoc pro munere hospitali offerebat. — V. 36. οὐδ' ἀπίθησέ ἑν, nec non obsequutus est ei Euphemus, in quo dubia forma pronominis, de qua praeter Hermannum et Boeckhium ad h. l. vide Buttm. Gr. ampl. I. p. 295. [et Ahrentis Dial. Dor. p. 252.] Notabis etiam substantivum ἦρως in principio secundi membri positum consulto, quum opponatur heros Eurypylo deo, de quo ante. Cf.

Pyth. XII, 19. — V. 37. δαιμονίαν, ob augurium quod inerat. — V. 38. πεύθομαι δ' αὐτὰν cett. Audio vero eam delapsam navi cum unda abiisse vespere, mare sequutam. — ἑσπέρας, quo tempore socordiores homines. Ceterum interpunxi non post ἅλμᾳ cum Boeckhio, sed post ἑσπέρας. — V. 40. ὦτρυνον manifesto cum dativo dixit, veluti κελεύειν c. dativo est et cum accusat. et infinit., cf. Matth. Gr. §. 382. — V. 41. λυσιπόνοις, qui illud officium habent, ut dominos labore liberent; aptum famulorum epitheton. Vocem posterioribus frequentatam notat Tafel. [Alii expl. alterna custodia se invicem excipientes.] — V. 42. καί νυν — πρὶν ὥρας, et nunc in hac insula iacet immortalis gleba Libyae ante tempus. Maris undas sequuta Theram delata erat, ibique nunc iacebat. — ἄφθιτον, durabit et servabit perpetuo vim augurii. — πρὶν ὥρας, Vig. p. 442. — Mox Euphemus, futurus Euphemidarum Battiadarum auctor, dicitur filius Neptuni et Europae ad Cephissum natus, de quo vid. Müller. Orchom. p. 262. Primitiva enim sedes eius Panopeus et Hyria; in Laconicam traductus est cum fabulis suis, quoniam Minyae postea aliquamdiu etiam ibi consederant, Müller. p. 315. — V. 45. υἱὸς ἱππάρχου Ποσειδάωνος, unde etiam nunc Euphemi posteri Battiadae re equestri delectantur, et maximopere colunt Neptunum, de cuius cultu Cyrenaico cf. Boeckh. ad v. 17. et Thrige libro laudato. Haec enim allusio ad praesens tempus inest verbis. Denique sensus loci: Si gleba ad Taenarum, sedem Euphemi, venisset, quarta aetate posteri iam cepissent Libyam, tempore migrationis Doricae in Peloponnesum; nunc vero tunc primum Theram proficiscentur. Vid. Müller. Orchom. p. 352., qui docet Danaos s. Achaeos a Doriensibus pulsos tum cum Minyis et Aegidis Theram migrasse. — V. 49. ἐξανίστανται, praesens propheticum, cf. ad Ol. VIII, 42. Supple vero Δαναοί, qui tunc e tota Peloponneso pellentur, ait. — Ἀργείου κόλπου, h. e. ex Argolide, e sedibus ad sinum Argolicum. Nunc autem, pergit, Euphemus in lectis peregrinarum mulierum, h. e. in Lemno, quo in reditu venturi erant Argonautae a Thera, consequetur genus; hi deinde e Lemno in Laconicam, hinc Theram venient et gignent Battum, dominum Libyae. De quibus rebus optime exponit Müllerus meus libro saepe laudato, ostendens Minyas, qui consederant in Lemno, inde revera migrasse in Peloponnesum, pulsos a Pelasgis; e Peloponneso transiisse Theram. — V. 51. σὺν τιμᾷ

θεῶν, beneficio deorum, adiuvantibus diis, v. 260. — Epitheto κελαινεφέων apertum est fertilitatem significari regionis eximiam, quam Pindarus a pluviis derivat, quas in illis australibus regionibus credebat esse copiosas. Et sunt ibi pluviae, sed non ita copiosae, et Theophrast. Caus. Plant. VI, 18, 3. aërem Cyrenes dicit καθαρὸν καὶ ἄνυδρον, plerumque serenum. — V. 53 sqq. Quem Phoebus aliquando admonebit oraculis templum ingressum, postero tempore ut navibus multos viros ducat ad arva Nili. — πολυχρύσῳ, Soph. Oed. R. 151., ob donaria. — V. 54. θέμισσιν, oraculis, Fragm. 101. Odyss. 16, 403. Müller. Dor. I. p. 338. — V. 55. καταβάντα, ingressum, proprie de limine in templum descendentem, cf. Hom. Od. IV, 680. VIII, 80. Add. X, 432. — χρόνῳ ὑστέρῳ ad prius comma refero, ut recte dicitur ὑστέρῳ χρόνῳ ποτέ Aristoph. Ran. 717. Ergo nec tempus designatur oraculo posterius, quod frigere vidit Boeckhius, nec secundum Batti iter in insulam Plateam; recte enim monuit Tafelius a Medea fastigia rerum tangi, non leviora. [G. Hermanni in forma πολεῖς et h. l. et Ol. XIII, 41. haerentis coniecturam in libello academico Lips. 1847. p. 16 sq. propositam καταβάντα, χρόνῳ δ' ὑστέρῳ νάεσσί ποτ' εἰσανάγει infirmare studui in Nunc. Litt. Gotting. 1848. 69. p. 682 sq.] — Νεῖλος Κρονίδης non dubium quin sit Ζεὺς Νεῖλος, cf. Boeckh. et Heyn. Rem ego ita explico: Videtur Iuppiter hoc nomine primum appellatus et cultus esse templis a Graecis Aegyptum incolentibus, de quibus vid. Müller. Orchom. p. 104. p. 111. Quum enim Hom. Od. IV, 477. 581. Aegyptum sive Nilum διιπετῆ ποταμόν dicat, coeli qui imbribus alatur, coluerunt Iovem auctorem Nili, ipsis, ut omnibus Aegyptiis, sacri, atque hic iis fuit Ζεὺς Νεῖλος. Nunc τέμενος Νείλοιο omnino Africa est pro Libya, Pindaro consulto oraculorum orationem quaesitam et ambiguam imitante; cf. ad Ol. VIII, 45. [„Si Ζεύς dici Nilus potest, ineptissime tamen Κρονίδης diceretur. Alterum enim nomen supremi deorum significationem, alterum nihil nisi patris appellationem continet, communeque est omnium Saturni filiorum. Ex quo apertissimum est τέμενος Κρονίδα a Pindaro dictum esse vicinum Nilo templum Iovis Ammonis, quod supra v. 16. Διὸς Ἄμμωνος θέμεθλα appellaverat." Hermannus Opusce. VII, p. 138., qui addit Parmenonis illud Αἰγύπτιε Ζεῦ Νειλε significare Nile, qui Aegyptiis Iuppiter es.] — V. 57. ἐπέων στίχες, ipsa verba Medeae plene reddita. — ἔπταξαν δ' ἀκίνητοι σιωπᾷ, cumulate, ut Soph.

Ai. 171: σιγῇ πτήξειαν ἄφωνοι, ibi quidem ad terrorem, hic ad stuporem significandum. — V. 59 sqq. Atque ea res, pergit, revera eventum habuit. — ἐν τούτῳ λόγῳ, huic vaticinio convenienter. — V. 60. ὥρθωσεν, ornavit, insignem reddidit, Isthm. V, 65. — μελίσσας, sacerdotis, cf. Boeckh. ad Ol. VI, 36. Creuzer. Mythol. ed. sec. T. III, 354. IV, 241. Meinek. ad Euphor. p. 95. [Lobeck. Agl. p. 817 sq.] — αὐτομάτῳ κελάδῳ, sponte, spontanea voce, quum Battus de alia re, de vocis noto vitio, interrogatum venisset, cf. Schol. Exempla alia non dati responsi ad id, quod quaerebatur, affert Valcken. ad Schol. Eurip. Phoeniss. 641. Ceterum κελάδῳ, quod oracula magna et clarisona voce edi solebant; unde λακεῖν usurpant de Apolline tragici. — V. 63. ποινά, liberatio, λύσις, cf. Schol. De linguae vitio cf. Herod. IV, 155. [et ad Heraclid. Polit. p. 60.] — V. 64 sq. Ac nunc quoque multo post floret Arcesilaus huic proli octavus. — μετά, postea. — ὄγδοον μέρος, Pyth. XII, 11. τρίτον κασιγνητᾶν μέρος, ac quum Arcesilaus posterorum a Batto septimus sit, nota Battum simul numeratum, de quo usu cf. ad Ol. VIII, 45. — ὥτε φοινικανθέμου ἦρος ἀκμᾷ, quasi purpureo vere adulto florens. Cf. Isthm. III, 36. Est enim θάλλειν nunc de prosperrima fortuna, generalius; quo pertinet etiam iuventutis flos, quum rex tum iuvenis esset. — [V. 65. παισὶν οὕτως Emperius.] — V. 66. ἐξ ἀμφικτιόνων ἱπποδρομίας, ex hippodromo populorum circumhabitantium, quorum sunt Pythia, cf. Boeckh. Nott. critt. ad Nem. VI. p. 536. Quod ita dicit ad augendam laudem; praesentibus vicinis populis victoriam a deo datam. Intellige autem Amphictyoniam notissimam Delphicam, cuius erant hi ludi. Ceterum vox per iota scripta legitur etiam in Inscriptionibus Delphicis. — V. 67. Μοίσαισιν ἀποδώσω, confer Anth. Pal. VIII, CXXVI, 3. — V. 69. θεόπομποί σφισιν τιμαὶ φύτευθεν, divini, eximii (Ol. II, 36.) honores genti conditi sunt. Nam in hac expeditione Euphemus vaticinium Medeae accepit et in Lemno procreavit futuram gentem, cf. v. 255. Ceterum poeta tacet alteram narrationis causam; nam non solum origines gentis luculenter monstrare vult, sed etiam Iasonis proponere exemplum: quae duae rationes coniungendae sunt, ut poetam intelligas.

V. 70—261. De Iasone et expeditione Argonautarum. Orditur sic: Quid coegit eos ad tam periculosam expeditionem? Saepe in initiis interrogationes praeparant quod sequitur, attentionem excitando. — τίς ἀρχά, quae causa navigationis excepit eos, accidit iis? Dicuntur nos λαμβάνειν, δέχεσθαι, ἔχειν, quae maiora sunt nobis et vi sua nos occupant, tenent, abripiunt. — V. 71. τίς δὲ κίνδυνος cett. Quodnam periculum vinxit eos validis adamantis clavis? Verbum δεῖν proprium de necessitate, cf. Herod. I, 11. Gatak. ad Antonin. X, 28. Sturz. Lex. Xenoph. I. p. 636. Hoc loco clavi adamantini additi, quibus ex symbolica veterum loquendi ratione summa vis indicatur, qua constrictus tenearis, cf. Mitscherl. ad Horat. Carm. I, 35, 17. Adamas autem est nomen mythicum ferri durissimi. Cur autem Pindarus tam gravibus verbis utitur? Quia expeditio maxima erat et periculosissima, quam nemo sine gravi causa susceperit. Nunc dubitant, quale dicat hic Pindarus periculum; vulgo Iasonis intelligunt, qui timuerit Peliam, si recusaverit. Quod recte improbans Tafel., quum nullum sit eius timoris et periculi apud Pindarum vestigium, non tamen melius explicat: Quodnam illis expeditionis periculum iniunctum fuit? Enimvero quemadmodum etiam Mitscherl. cepit ad Horat. l. cit., et Scholiastes notat, responsio inest in proxime sequentibus verbis. Peliae, ait, periculum fuit haec vis, qui metu necis ab oraculo nuntiatae hoc ab Iasone postulavit officium, quod ille recusare nolens sic ad expeditionem adactus est. [Heimsoethius p. 30: „Poeta tanquam mirabundus hic de periculo dicit quod alibi de illecebris dixeris: quodnam, inquit, fuit periculum, quod eos (non deterruit, sed) strictissimis vinculis vinxit?" Cfr. v. 207. Quam explicationem mihi probatam Rauchensteinius I. p. 10. potius poetas res equitum et heroum medii aevi tractantes quam Pindarum decere arbitratus ipse addit: „Expositurus Pindarus de rebus Argonautarum commode rem sic instituit, ut causam tantae navigationis et magnitudinem certaminum et periculorum subeundorum se polliceatur narraturum; idque fecit praefationis loco duabus interrogationibus narrationi praefixis, primum quae fuerit causa navigationis, de qua exponit hinc usque ad v. 167.; deinde, interiectis iis, quae pertinebant ad apparatum expeditionis describendum, a v. 207. inde usque ad v. 246. etiam quae quantaque pericula fuerint refert. Ingentia autem pericula quum sint ea, ex quibus vix ulla arte viriumque contentione te expedias, aptissime dixit pericula, quae clavis plus quam ferreis vinciant."] — V. 72.

Αἰολιδᾶν, nam Aeoli filius Cretheus, cuius nepos Iason, qui per Medeae fraudem post reditum e Colchide perfidum Peliam necavit. Ceterum *ἀκάμπτοις* est intrepidis, audacibus, ut Isthm. III, 71. — V. 73. *ἦλθε δέ οἱ πυκινῷ κρυόεν μάντευμα θυμῷ*, penetravit autem in animum callidum et alta mente repositum est terribile oraculum. *ἔρχεσθαι* c. dativo iam Homerus dixit, cf. Odyss. V, 226. Vide praeterea Matth. Gr. §. 401, 3. Iacobs. Delect. Epigr. p. 42. — V. 74. *εὐδένδροιο ματέρος*, terrae. De Delphis umbilico terrae cfr. Tafel. h. l. — V. 75. *τὸν μονοκρήπιδα*, cf. Schol. Add. Müller. Orchom. p. 267. Iacobs. ad Anthol. Tom. XII. p. 47. Tafel. h. l. — *ἐν φυλακᾷ σχεθέμεν*, loquutio nunc cavere significans, nunc custodire, ut Herod. I, 99. — V. 76. *αἰπεινῶν ἀπὸ σταθμῶν*, quum in Pelio apud Chironem educatus esset Iason. — *εὐδείελον*, apricum, cf. Ol. I, 111., ex altis saltuosis locis in apricam et apertam planitiem Iolci. — V. 78. *ξεῖνος αἴτ' ὢν ἀστός*, (cfr. ad Ol. XIII, 3.) quod utrumque Iasoni conveniebat. — V. 79. *αἰχμαῖσιν διδύμαισιν*, more heroum Homericorum, cf. Odyss. I, 256. — *ἔκπαγλος*, forma et statura. — *ἀμφότερον*, noto usu, ubi duo coniuncta memorantur, nunc cum particulis *τέ — δέ*, cf. Ol. I, 104. Germanice dicas: *Kleidung umgab ihn, beides, die einheimische und aber auch ein Pardelfell.* Apud Philostr. Imagg. c. VII. in pictura Medeae in Colchide est de Iasone: *λευκὸν χιτῶνα ἔξωσται, λεοντῆν ἐξηρτημένος.* — De Magnesia et Magnetibus cf. Müller. Orchom. p. 250. Tunicam habebant adstrictam, *ἁρμόζοισαν γυίοις*, contra Graecum morem, unde Müllerus non Graecos eos fuisse censet, sed semibarbaros. Nunc Iason ea veste utitur, ut educatus apud Chironem Magnetem, cf. Pyth. III, 45. *παρδαλέην* autem fert ut heros, veluti Paris Il. III, 17. et ut Herculi *λεοντῆν* dederunt Stesichorus ac Pisander aliique poetae. — V. 81. *στέγετο*, arcebat a se, cf. Aesch. Sept. 201. 219. Suppl. 134. Add. Mitscherl. ad Horat. Carm. I, 17, 3. — *φρίσσοντας*, horridos imbres; cf. Schol. h. l. et ad Eurip. Phoeniss. 1290. — V. 82 sq. Necdum comae tonsae erant, ut solebant adulti primum crinem detonsum consecrare Apollini *κουροτρόφῳ* et fluviis, cf. Blomfld. ad Aesch. Choeph. v. 6. Sic sensus erit: Alebat adhuc primam comam. Sed nisi magnopere fallor, praestat alia ratio. Alebat decus capitis, ait Pindarus,

ut Graecus homo. Constat enim prisco more heroico Graecos comam aluisse, unde sunt *καρηκομόωντες Ἀχαιοί*, idque faciebant etiam postea Spartani, cf. Müller. Dor. II, 270. *κουρά* a barbaris ad Graecos venit. — V. 83. *καταίθυσσον*, replebant radiorum instar diffusi. De his verbis cf. ad Ol. VII. fin. Obiter conf. Lucian. Amor. c. 26: *οἱ μὲν (βόστρυχοι) ἐπινώτιοι κέχυνται.* Ceterum ap. Philostr. l. cit. de Iasone est: *ἡ κόμη ξανθὴ ἐπισαλεύει τῷ μετώπῳ.* — *εὐθὺς ἰών*, recta, cf. Buttm. Gr. ampl. II. p. 290. [(366. Lob.) et Meinek. Comic. T. I, 306.] Significatur hic confidentia. — V. 84. *πειρώμενος*, periculum faciens animi sui intrepidi, ut *πειρᾶσθαι* c. genit. rei saepe est vim suam experiri. Pulcherrime dictum de iuvene primum in populi frequentiam prodeunte. [De v. *ἀτάρμυκτος* v. not. crit.] — V. 85. *πλήθοντος ὄχλου*, frequente populo. — V. 86. *ὀπιζομένων*, quanquam non noverant, mirabundi tamen adspiciebant et reverebantur eum ob insignem formam et staturam, ne deus esset. — *καὶ τόδε*, quum alia, tum hoc. [Scite T. Mommsen haec comparat cum Homericis illis Il. VI, 459 sqq. Soph. Aiac. 500., ubi in diversa quidem re quid aliquando homines dicturi sint exponitur.] — V. 87. *οὔτι πού*, interrogatio admirantis, Brunck. ad Aristoph. Ran. 522. — Apollo ob insignem pulcritudinem et caesariem, Mars ob vires bellicas. Tamen verba: *πόσις Ἀφροδίτας*, etiam formosum esse deum indicant. Porro quod in Introductione significavi, per totum hunc locum ad Arcesilaum simul alludi, id suadet etiam epitheton *χαλκάρματος*, pro quo, si Iasonem solum cogites, aptius aliud eligi poterat, nunc autem simul currus bellici Cyrenaeorum respiciuntur, de quibus vide locos apud Boeckh. supra ad v. 18. et Thrige p. 346. Arcesilaus igitur bellicosus verissime dici potest *Ἄρης χαλκάρματος*. Consulto vero Pindarus nunc non tractat expressius in Arcesilao hanc roboris et fortitudinis laudem, Iasoni tam luculenter tributam, quum rex vel sic iusto ferocior ad lenitatem potius hoc carmine cohortandus esset. — Otus et Ephialtes, Aloidae, erant ingenti statura, ut constat, simulque *πολὺ κάλλιστοι μετὰ κλυτὸν Ὠρίωνα*, Hom. Od. XI, 305 sqq., quos Boeckhius monet non contemptos fuisse, sed in Naxo cultos. Add. Müller. Orchom. p. 387. [Welckerum in Scrr. Min. II. p. CVII sqq. et Nitzsch. ad locum Odysseae.] Ego vero hos quoque propter Arcesilaum nominatos crediderim, ut rex a nimia audacia et confidentia virium avertatur, in quo me etiam ultimum

Tityi nomen confirmat. Ceterum Ephialtes fratrum videtur audacissimus fuisse, unde hunc per vocativum alloquitur poeta; nam etiam talia ab antiquioribus poetis non temere ponuntur; cf. infra 175. Pyth. XI, 62. Isthm. VII, 21. — Tityus denique a Diana occisus, quum impie Latonam tentasset, Hom. Od. XI, 576 sqq., quorsum commemoratus fuit nisi admonitionis causa? Sic Aloidae et Tityus *παραδείγματα* sunt ad deterrendum proposita, ut Iason proponitur ad imitandum; eandem rationem in carminibus Hieroni scriptis observavimus. Ceterum *θηρεύειν*, *θηρᾶν* est etiam consequi, capere, corripere, ut notum. Cf. Soph. Philoct. 1005. ibiq. Buttmann. Usitata vox de diis ultoribus. Ad *ἐπιψαύειν* vero cf. Ol. VI, 35. Et vid. de sententia Pyth. II. — [V. 92. De forma coniunctivi *ἕρατται* disserit Ahrens Dial. Dor. p. 313, allato ex Inscr. Calymnia *ὅπως μὴ καθιστᾶται*.] — V. 94. Quod Peliae mularis reda tribuitur, monet Boeckhius Thessalos mulabus omnium maxime praeter Siculos usos, cf. Schol. ad Ol. V. p. 118. — *προτροπάδαν*, concitato cursu, sine hominum respectu, ut tyranni solent. — Verba: *καὶ τίς ἀνθρώπων σε χαμαιγενέων πολιᾶς ἐξανῆκεν γαστρός*, optime observat Boeckhius cum contemptu dici. Ac primum quidem quum dicere debuisset: quod nobile genus te genuit? verba *τίς ἀνθρώπων χαμαιγενέων* certe nihil laudis habent. Illa vero: *πολιᾶς γαστρός*, quae femina enixa te est senili utero? haec igitur, inquam, vix ita dixisset, si laudare voluisset et bene seduloque educatum indicare, ut sunt *τηλύγετοι* cariores parentibus. Nam *πολιός* est senilis, ut *πολιὰ χείρ*, Epigr. Dioscorid. Anthol. Lips. Iacobs. T. I. p. 250., ad quem locum alia notavit Iacobs. in Delect. Epigramm. p. 425. Et praedicatum personae revocatum est ad partem corporis, cf. Ol. VI, 2., nunc quidem non sine sarcasmo. Sed quid est quod voluit? Sic censeo: Occultans metum, quo revera perculsus erat, quem omnes stupent simulat non adeo metuendum sibi videri, sed mollem, laevum, nunc primum a matre dimissum utpote *τηλύγετον*. Quam irrisionem, ut omnis irrisio veritatis speciem habere debet, non male petit, opinor, ex habitu Iasonis, quasi hic domi usque eo delituerit et nunc primum prodiens in publicum statim soleam amiserit, ut *μονοκρήπις* adstet, licet probe sciens graviora ipsi hoc habitu portendi. Ceterum *ἐξανῆκεν*, edidit: Eurip. Ion. 1000: *ὃν πρῶτον ὑμῶν πρόγονον ἐξανήκεγῆ*. [Hermannus p. 139: „Neque contumelia in his verbis inest, quam

valde imprudenter hic iaceret Pelias, neque ironia, quae ne ipsa quidem conveniret in eum, cuius eximiam formam populus mirabatur. Quare maneo in ea sententia, ut filium *τηλύγετον* intelligi putem, qui *διὰ τὸ τῆλε εἶναι τῆς νέας ἡλικίας* dici Pindaro videbatur."] — V. 100. *μὴ καταμιάναις*, non sine ironia dictum, ne contamina genus tuum nobile mendaciis. Ol. IV, 17. *ψεύδεϊ τέγγειν λόγον*. Cet. cf. etiam Nem. III, 16. — Post haec attende rationem sequentis responsionis. Etenim praeclare institutum est a Pindaro, ut, dum Pelias carpat Iasonem, hic occasionem nanciscatur animi sui veram indolem declarandi. Agit autem per totum carmen Iason cum Pelia non simulate, tecte, callide, dolose, sed simpliciter, aperte, vere, ut decet virum generosum, iustum, fortem. Talem igitur nunc se declarat. — V. 102. *οἶσειν*, cf. Buttm. Gr. ampl. I. p. 419. Dico me ferre mecum praecepta, disciplinam Chironis, ut a mendaciis et fraudibus alienus sim. Celebratissimae fuerunt *Χείρωνος ὑποθῆκαι*, cf. Pyth. VI, 19. — Chariclo uxor, Philyra mater Chironis, Centauri filiae castae Ocyroe cum sororibus. Sensus: Vixi nonnisi inter bonos. — V. 105. *εὐτρἀπελον*, de quo vide ad Pyth. I, 92.: Neque rem ullam neque verbum proferens fucatum, fallax, simulatum. Qualis disciplina fuit, talem etiam moribus me praestiti. Ceterum ad *ἔργον* omissum *ποιήσας* per zeugma. Commode Boeckhius confert Herod. III, 135. Add. Matth. Gr. §. 634, 6. et inprimis Lobeck. ad Aiac. p. 430. — V. 106. *κομίζων*, recuperaturus; vid. ad Ol. XIII, 59. — V. 108. *τιμάν*, *ἀρχήν*. — V. 109. *λευκαῖς φρασίν*, pallidis, opinor invidis, praecordiis, menti. Vox obscura, quam varie explicant; ut Boeckh. p. commotas, acres, cupidas, turbidas mentes, alii leves aut stultas, Tafel. felicitatis lucrique exspectatione serenatas et nitentes. Quod ipse posui, videbatur simplicissimum. Sunt enim *φρένες* aliae *ἀμφιμέλαιναι* Hom. Il. XVII, 83. 499. 573. Invidia autem, credo, *λευκαί* fiunt. [Hermannus l. c. „Homerici vocabuli interpretatio caussa fuisse videtur, qua *λευκαῖς πιθ. φρασίν* dixit, quod apud Homerum est Il. IX, 119: *φρεσὶ λευγαλέῃσι πιθήσας*. Id cum *λυγρός* cognatum esse iudicabat Buttmannus in Lexil. I, 18. Quod Hesychius scripsit *λευκῶν πραπίδων· κακῶν φρενῶν*, item ex Pindaro adnotatum videtur." Idem Opusce. VII, 289. *λευκός* proprie pallidum significare suspicatur, eandemque ad familiam pertinere *λευγαλέος*, *λυγρός*, *λυγαῖος*.] — V. 110. *ἀρχεδικᾶν*, qui legi-

timi possessores, cf. Boeckh. — V. 112. κῶδος — θηκάμενοι, luctum tanquam de defuncto instituentes atrum, funestum. Ad verbum cf. Herod. VI, 21: πένθος μέγα προεθήκαντο. — μίγα κωκυτῷ γυναικῶν, inter eiulatum feminarum, ut μίγδα c. dativ. Hom. Il. III, 437. — V. 115. νυκτὶ κοινάσαντες ὁδόν, noctem consciam facientes itineris. Nam κοινῶσαι, κοινᾶσαι est communicare aliquid cum aliquo, nunc de secreto commisso nocti. Solemniter vero poetae noctem, lunam, sidera testes, conscios dicunt rei noctu absque consciis hominibus gestae. Cfr. Mitscherlich. ad Hor. Epod. XV, 1. — τράφεν, infinit. praes., cf. Pyth. II, 45. — V. 117. λευκίππων, nobilium, principum, qui candidis equis utebantur, cf. Boeckh. h. l. — V. 118. ἱκοίμαν, Aesonis quum filius sim, indigena non peregrinam, opinor, venerim in terram, in quo optativus iterum sine ἄν positus est confidentior, cf. ad Ol. III. fin. Neque enim in hac re mihi convenit cum Reisigio Commentat. de partic. ἄν, ad Aristoph. Nub. p. 129. et ad Oed. Col. Commentt. critt. 199. Vid. Hermann. ad Oed. Col. 42. — V. 120. ὀφθαλμοὶ πατρός, debiles et infirmi, suaviter. — πομφόλυξαν expl. Schol. ἀνεβράσθησαν, ὡς ἐπὶ τῶν ζεστῶν ὑδάτων ἔφη κατὰ μεταφορὰν τὴν ἀπὸ τῶν ἀναζεόντων ὑδάτων. — γάθησεν. Pro nudo verbo significantius dicitur γήθησε θυμῷ, φρεσί, κατὰ θυμόν, γήθησε δέ οἱ φίλον ἦτορ, θυμὸς ἐνὶ στήθεσσι γεγήθει, πᾶσιν ἐνὶ φρεσὶ θυμὸς ἰάνθη et quae sunt alia. Sic nunc Pindarus suaviter ἂν περὶ ψυχάν addit. — V. 125. κατὰ κλέος, ad famam eius, Hom. Il. XI, 227. XIII, 364. Od. XIII, 415. — Pheres et Amythaon fratres Aesonis, ille Pheris habitans ad nobilem fontem Τπέρειαν s. Τπερηΐδα, de qua aqua Sophocles in Schol. h. l. Ὦ γῆ Φεραία χαῖρε σύγγονόν θ' ὕδωρ Τπέρεια κρήνη, νᾶμα θεοφιλέστατον, cfr. Eckhel. Numism. Anecd. p. 65., hic in Messenia, ubi etiam Neleus et Nelidae habitarunt secundum Pindarum, cf. Pyth. VI, 65. Mox Admetus Pheretis, Melampus Amythaonis filius. [ἀνεψιὸν a verbo ἵκειν, non a v. εὐμενέοντες pendere observavit Rauchensteinius I, 10.; quare comma post Μέλ. delendum.] — V. 127. ἐν δαιτὸς μοίρᾳ, in convivii parte eos excipiens, h. e. societate convivii. — V. 129. ξείνι' ἁρμόζοντα τεύχων, epulas convenientes, non parcas parans. Verbum τεύχειν cum δεῖπνον, δόρπον, δαίς iunctum nosti ex Homero similiterque ξείνια de epulis hospitalibus dicta. Et ἁρμόζοντα est, ut ἁρμόδιον δεῖπνον Nem. I, 21., largum et lautum. Nam per totum hunc locum de convivalibus gaudiis agitur, qualia etiam nunc sunt in Arcesilai domo. — πᾶσαν ἐν εὐφροσύναν τάνυεν (ἐντάνυεν), omnem hilaritatem intendit, ut dicunt vocem, cupiditatem, odium intendere, h. e. nunc hilaritate laetissima praeivit. Obiter attende ad separatam a verbo suo praepositionem, quae collocata post πᾶσαν aptissime hanc vocem acuit, ut etiam alias prudenter collocantur hae a verbis suis separatae praepositiones. Ceterum diversum est, utpote a navigatione petitum, sed tamen non tacendum quod Heynius ad Tibull. I, 5. fin. comparavit: Ζῆθι κάλων τείνας οὖριον εὐφροσύνας. — V. 130. Per quinque continuas noctes diesque decerpens sacrum laetitiae florem. ἄωτον esse constat omnino quod pulcherrimum, dulcissimum, optimum in suo genere. — ἱερόν Boeckhius ad sacra refert epulis iuncta, ego ipsam talem laetitiam per se sacram dici crediderim, ut coelestium deorum praeclarum donum. Ceterum ad totum hunc locum recordaberis Thessalicas εὐωχίας, de quibus cf. Plat. Criton. p. 53. e., Athen. IV. c. 14. X. c. 12. XII. c. 33. Suaviter enim hic alludere videtur ad Thessalicos mores, quemadmodum etiam in aliis locis huius carminis, cf. ad v. 94. 148. 153. — V. 132. Sexto die omnia, serium instituens sermonem, a principio cum cognatis communicavit; in foro κεφάλαια tantum dixerat circumstantibus. — σπουδαῖον, serium et serio meditatum, addit propter oppositionem antecedentis hilaritatis. — V. 133. ἐπέσποντο, approbarunt, obsequuti sunt, Isthm. V, 17. Noli de comitatu intelligere, qui statim narratur, ut hysteron proteron inferas intolerabile. — ἀπὸ κλισιᾶν, a sedibus, Hom. Od. IV, 123. XIX, 55. — V. 136. Placidum comi voce stillans sermonem; in quo vide quam suaviter, quam ornate poeta lenitatem et moderationem Iasonis depingat. Praepositio ποτί significat, opinor, conversum ad Peliam (ut in προσειπεῖν), non autem adspersum esse Peliam, quod ineptum. Ceterum loquutio ducta videbatur a notiore: Hom. Il. I, 249: τοῦ καὶ ἀπὸ γλώσσης μέλιτος γλυκίων ῥέεν αὐδή. Theocrit. 20, 26: ἐκ στομάτων δὲ ἔρρεέ μοι φωνὰ γλυκερωτέρα ἢ μελικήρω. Verbo στάζειν autem plurimum delectantur posteriores, usurpantes id vario modo elegantissime. Cf. Iacobs. ad Callistr. p. 728. — V. 138. βάλλετο κρηπῖδα σοφῶν ἐπέων, fundamenta ponebat sapientis sermonis, h. e. ἤρχετο σοφῶν λόγων. Ornata

loquutio consulto hic a Pindaro electa, quae petita est ab aedium aedificatione. Significat autem κρηπίς proprie non fundamentum sub solo latens, sed graduum molem, cui reliqua superstruenda, cf. ad Fragm. inc. nr. 103. Ceterum aliquoties utitur hac metaphora Pindarus, ut Pyth. VII. init. de prooemio fundamento carminis. Add. καταβάλλεσθαι, ut Callimach. Fragm. 196: καταβάλλομ' ἀείδειν. Vid. ad Nem. II, 4. — Πετραῖος dicitur Neptunus, quia hoc nomine colebatur in Thessalia, vid. Schol. — V. 139. ὠκύτεραι, scil. κέρδος αἰνῆσαι ἢ δίκαν. Cet. ad loquutionem: κέρδος αἰνῆσαι πρὸ δίκας, cf. Plat. Rep. II. p. 361. E: ἐπαινεῖν πρὸ δικαιοσύνης ἀδικίαν, cfr. Matth. Gr. §. 450, no. 1. — V. 140. ἐπίβδα, dies post festum proxima, qua fere laborare solent convivae ex nimia intemperantia, qualis est dies repotiorum, cf. Ruhnk. Tim. Lex. Plat. p. 119 sq. Nunc proverbiali loquutione aptissima et propter Thessalicas εὐωχίας et propter praesens Arcesilai convivium dictum pro: licet postea damna poenas inveniant. — V. 141. Pergit: Nos autem decet contrarium facere. θεμισσαμένους ὀργάς, cupiditatibus ad iusti normam frenatis et castigatis. — ὑφαίνειν ὄλβον, texere felicitatem in posterum, Spanh. ad Callim. Apoll. 57. — V. 142. μία βοῦς, abavia Enarea, Aeoli uxor, genuit Cretheum et Salmoneum, huius nepos Pelias, illius Iason. Abaviam autem communem memorat, non abavum Aeolum, quoniam Pelias supra rogaverat de matre Iasonis. Ceterum Boeckhius suspicatur etiam Arcesilaum et Damophilum cognatos fuisse, ita ut ab una femina descenderint. — V. 144. κείνων φυτευθέντες, cf. Matth. §. 374. Iacobs. Delect. Epigr. p. 87. — σθένος ἀελίου χρύσεον λεύσσομεν, lyrico ornatu pro epico: ὁρᾶν φάος ἠελίοιο. — V. 145. Μοῖραι δ' ἀφίσταντ' — αἰδῶ καλύψαι, explicat Boeckh. cum Scholiis: Parcae vero aversantur, si qua simultas intercedit cognatis, pudorem ut posuerint. Hoc improbat Herm. ad Soph. Oed. Col. 284., monens sic omitti non potuisse ὥστε. Ipse igitur verba αἰδῶ καλύψαι cum sequentibus iungit hoc modo: αἰδῶ καλύψαι οὐ πρέπει νῷν χαλκοτόροις ξίφεσιν, οὐδ' ἀκόντεσσιν μεγάλαν προγόνων τιμὰν δάσασθαι. Verum non animadvertit Pindarum sic male loquuturum fuisse. Nam pudorem e conspectu removent bello incepto, bellum autem geritur ensibus et iaculis; unde vides non bene enses et iacula hic separari, nec potuit accuratus scriptor ita loqui. Mihi Pindarus dixisse videtur sententiam longe gravissimam. Ac Parcas nominat, quia discidia et bella cognatorum contra naturam sunt; magnifice vero et praeclara dicendi audacia ipsas Parcas horrere et pudore affici ait ob tale crimen. Quare verto: Parcae secedunt, si qua simultas intercedit cognatis, ad pudorem suum occultandum. [Cfr. not. crit. In Dissenii explicatione καλύψασθαι malles. Heimsoethius p. 30 Pindari mentem hanc esse putat: „Μοῖραι ἀφίστανται per euphemismum summam calamitatem significant, qualis v. c. liberis Oedipi accidit; αἰδῶ καλύψαι autem: ut pudorem laesum (i. e. laesum per illos pudorem) occultent." Melius Rauchensteinius Introd. p. 57. „*Die Moiren, auf denen der segen des hauses beruht, wenden sich ab, wenn zwietracht unter den familiengliedern die heilige scheu verbirgt. Durch solche feindschaft verschwindet die heilige scheu beinahe.*" Confert N. IX, 36. Adde infra v. 173.] — V. 147. χαλκοτόροις (aere factis) ξίφεσιν οὐδ' ἀκόντεσσιν, h. e. bello, ac quod ἄκοντας, non ἔγχεα memorat, Thessalos historici temporis respicit, qui ἀκοντισταί fuerunt, cf. Xenoph. Hist. Gr. VI, 1, 4. Mox γάρ hoc sensu dicit: Offero enim tibi pactum aequum, quo minus vi opus. — V. 149. ἀπούρᾳς, cf. Buttm. Lexil. I. p. 79. — V. 150. πλοῦτον πιαίνων, divitias augens, cum reprehensione dictum. Ceterum cf. Ol. IV, 23. — V. 151. πονεῖ με, h. e. λυπεῖ, Anacr. XL, 14. — V. 152. ἀλλὰ καὶ σκᾶπτον καὶ θρόνος, nominativus absolutus, non temere positus, sed ad augendam vim oppositionis. Sic Plat. Theaetet. p. 173. D: σπουδαὶ δὲ ἑταιρειῶν ἐπ' ἀρχὰς καὶ σύνοδοι καὶ δεῖπνα καὶ σὺν αὐλητρίσι κῶμοι, οὐδὲ ὄναρ πράττειν προίσταται αὐτοῖς. Add. De Legg. XII. p. 953. A. et Hemsterhus. ad Lucian. Contempl. 2. Bip. III. p. 377. — Κρηθεΐδας, pater meus Aeson. — V. 154. ἱππότας λαοῖς, iterum propter Thessalos dictum, equitatu insignes. — εὔθυνε δίκας, iura dirigebat, ius administrabat. Solon. Carm. XV, 36: εὐθύνων δίκας σκολιάς. Alii vertent: iustas sententias pronuntiabat, coll. Hesiod. Opp. 36. 224. 261. — Ceterum, quod per se patet, cum his insignibus potestatem regiam sibi simul reddi vult. — V. 154. ἄνευ ξυνᾶς ἀνίας, sponte, ne cogaris, quod et tibi et mihi molestum sit. — V. 155. νεώτερον, gravius aliquod malum, cf. Heind. ad Plat. Protag. p. 461. Valcken. ad Herod. III, 62. Quum in fine minae addendae essent, si reddere nollet Pelias, vide quam leniter dicat

Iason, non tam poenas nuntians quam deplorans malum, quod oriri possit. Omnino bene de moribus Iasonis ad h. l. disputat Gurlittus. — V. 156. ἀκᾶ, v. Buttm. Lexil. I. p. 14. [et Eustath. Prooem. Pind. p. 11.] — ἔσομαι τοῖος, brevissime indicat concessionem sibi molestam. Exin vero quae narrat rex cave ficta credas ab eo, quo admisso dignitas expeditionis tota periret. Immo revera imperatum erat Peliae somniis oraculoque, ut animam Phrixi cum vellere reduceret in patriam, et piaculum erat non reducere; sed rex distulerat rem molestam et nunc oblata occasione usus Iasoni mandat, quem sic periturum sperat. — V. 157. γηραιὸν μέρος ἁλικίας, senilis pars vitae. — V. 158. ἄνθος ἥβας κυμαίνει. Notum σφριγᾶν de aetatis flore vegeto et robusto, illustratum a Foësio in Oecon. Hippocrat. Bergl. ad Alciphr. III, 19. p. 318. Ruhnken. ad Tim. p. 244., quod est tumere apud Latinos, Wunderl. Observatt. critt. in Aesch. p. 189., et turgescere Quintil. XI, 3, 28. Similiter nunc κυμαίνειν de exundante robore virium, et v. 179. κεχλάδοντας ἥβᾳ. Ac non offendit ἄνθος ἥβας iunctum cum κυμαίνει, quemadmodum Ol. I, 105. ὕμνων πτυχαῖς, recessibus poesis, δαιδαλωσέμεν dictum est recte, quum metaphoricus sensus in talibus spectetur, non primarius. Cf. etiam ad Ol. IX, 47. XII, 15. et Nem. V, 6. — V. 159. χθονίων, deorum inferorum, qui satisfactum volunt Phrixo. Tzetzes ad Lyc. 174: ἔφη γὰρ ὑπὸ δειμάτων νυκτερινῶν θορυβεῖσθαι διὰ τὸν Φρίξον. Vide plura de δείμασι mortuorum apud Lobeck. Aglaoph. p. 302. — ἐὰν ψυχὰν κομίξαι, animam suam reduci iubet in patriam. Infra Nem. VIII, 44. eadem loquutio significat reducere ex Orco. Tractat autem hunc locum praeter Schol. docte Eustathius ad Odyss. IX. p. 1614., unde discas ἀνάκλησιν intelligendam esse, etiam alias Graecis adhibitam, quum in peregrina terra aut in mari aliquis mortuus esset. Vocabant ter animam, ut in patriam veniret, haec tunc comitabatur euntes, et post reditum cenotaphium exstructum, circa quod postea anima versari credebatur, ut sunt manes cum sepulcris coniuncti, licet in Orco morantes. Dicitur res Eustathio ψυχαγωγία τις, generaliori sensu, sed praestabit ἀνάκλησιν appellare, etiam cum Eustathio, quum ψυχαγωγία proprie sit evocatio animae ex Orco. Porro notarunt Scholiastae, quum vulgo apud poetas velleris reportatio primarius itineris finis sit, a Pindaro animae reductionem primo loco poni; nec dubium hanc antiquiorem traditionem fabulae fuisse. Ceterum de velleris ratione vera et de Phrixi fabula vid. Müller. Orchom. p. 161 sqq. Noverca autem Phrixi ex vulgari fabula Ino est, Pindaro in Hymnis Demodice, domesticas Iolci fabulas sequuto, cf. Schol. et Müller. l. cit. p. 170. — V. 162. βελέων, id agente igitur noverca, ut telis periret. — V. 164. εἰ μεταλλατόντι, quum etiam falsa et mendacia somnia sint, cf. Hom. Od. XIX, 562., rogat, num haec res talis sit, de qua accuratius quaerendum, quid facto opus sit. [Scholiasta: εἰ ἐρευνητέον τι τούτων καὶ φροντιστέον ὧν ὁ ὄνειρος καθ' ὕπνους ὑπέθετο, τουτέστιν εἰ πρακτέον. Quod probans Hermannus p. 141. „quaerebit," inquit, „ille ex oraculo, an curandum illud somnium tribuendumque ei aliquid esset."] — ὀτρύνει, scil. ὁ θεός. — τεύχειν ναῒ πομπάν, reductionem navi parare animae cum vellere e Colchide. Est enim πομπή Homerico usu reductio, devectio in patriam, et τεύχειν πομπήν est Odyss. X, 18. — V. 165. τοῦτον pr. τοῦτον οὖν, cf. ad Ol. III, 24. — τέλεσον — καὶ cett., perfice et tradam pr. si perfeceris, tradam, cf. ad Nem. IV, 37. — V. 167. Ζεὺς ὁ γενέθλιος ἀμφοτέροις, gentilicius, auctor gentis ambobus, secundum eam traditionem, ex qua Hellenis pater Iuppiter. Ab Hellene enim constat ortum Aeolum et Aeolidas.

V. 171—262. Pars altera narrationis. Expeditio Argonautica. — Ac primum de heroibus dicit Iasonis comitibus, in quo iure quaeras, cur hos maxime memoret, quorum nomina legimus; quod non potest sine delectu factum esse. Igitur primum tales dico memoratos, quorum nomina non solum clara essent, sed inprimis etiam iucunda auditu iis, quibus nunc haec canuntur. Iovis filii Hercules et Castores sunt Dorienses heroes, Cyrenarum vero metropolis Sparta. Quare culti etiam Cyrenis Dioscuri, vid. ad Pyth. V, 9. Idem de Hercule valet, cf. Thrige p. 291. Neptuni filii Minyae sunt, Euphemus auctor regiae Cyrenarum gentis, Periclymenus, Minyarum Pylium regnum celeberrimum in memoriam revocans, ubi etiam postea iterum consederant Minyae per plures urbes, cf. Müller. Orchom. p. 360 sqq. Porro Apollinis filius Orpheus, poesis pater, quomodo taceri potuit, cantu citharaque nunc in his ipsis epiniciis sonante? Ne afferam musicas artes floruisse Cyrenis et Arcesilaum eorum peritissimum (Pyth. V, 107.). Heroes, quos vidimus, omnes sunt filii deorum Cyrenis cultorum, Iovis, Neptuni, Apollinis; explicatur sic commodissime nunc etiam Echionis et Eryti mentio,

quos maxime propter Mercurii patris cultum Cyrenaicum additos censeo, traductum e Thera haud dubie, ubi fuisse eum Boeckhius supra ad v. 6. ex Inscript. notat. Idem Cyrenaicum cultum dei agnoscit ad Pyth. IX, 59. Sequitur Thrige p. 288. Denique Boreadae Zetes Calaisque quid sibi volunt? Pindarus quum non posset omnes Argonautas memorare, pulcre tamen curavit, ut magnitudo expeditionis conspicua foret, finibus extremis indicatis, unde heroes venerint. Quemadmodum igitur Minyae ad Taenarum et in Pylo e Peloponnesi finibus veniunt, sic ab altera parte Boreadae a Pangaeo; tam diversa, ait, loca heroes suos miserunt. Voluisse Pindarum haec sic componi, ut facimus, inde patet, quod ceterorum heroum sedes non indicat, sed horum tantum. — V. 172. ὑψιχαῖται vulgo per βαθυχαῖται explicant, mihi tamen Tafelii sententia placet, qui ad proceram staturam respici censet (*mit hoch in der luft wallendem haar*). Ceterum animadvertes consulto Minyas per plures versus laudatos. — V. 173. Ἐννοσίδα γένος, bene monet Schwenckius Etymologisch-mythologische Andeutungen p. 186. Neptuniam prolem plerumque procerrimam fuisse. — αἰδεσθέντες ἀλκάν varie explicant viri docti. Heynius: Iasonis virtutem reveriti, quod longius petitum. Alii: suam virtutem, aut virtutem ipsam, ne timidi viderentur. Verum et parum honorifica sententia videtur et loquutio mira, cuius rationem idoneam desidero. Mihi etiam hoc propter Arcesilaum dictum videtur, quem omni modo a violentia avertere volebat. Verte: robur suum veriti, h. e. cohibentes, moderate eo utentes. Contrarium est in illo versu Hom. Od. XVIII, 139: πολλὰ δ' ἀτάσθαλ' ἔρεξα βίῃ καὶ κάρτεϊ εἴκων. Sic roboris et moderationis laudem pulcherrime habemus coniunctam eandem, quae in Iasone est. [Mihi recte facere videntur qui intelligunt pudorem virtutis suae habentes. Nempe imbelles sibi et pavidi esse viderentur, si periculorum societatem a se procul haberent. Plane ut ratiocinatur Pelops Ol. I, 81 sqq.] — V. 174. τῶν μὲν κλέος ἐσλὸν cett., horum fama eximia consummata est et perfecta hac expeditione, Euphemi quidem et tua, Periclymene. Hunc Nestoris fratrem εὐρυβίαν, late potentem, dicit ob celeberrimum regnum Neliadarum in Pylo, maius Euphemi ditione ad Taenarum. Hinc etiam alloquutione distinguitur, cf. v. 89. — V. 176. ἐξ Ἀπόλλωνος, ab Apolline missus, ut filius. [Orpheus primum ab Ibyco Rhegino (fr. XXII.) commemoratus iam ante Pindarum videtur

a Simonide Ceo expeditioni Argonautarum aggregatus esse, v. Sim. fr. 9. Del. Pindarus iterum mentionem facit χρυσάορος Ὀρφέως fr. Thren. 9. Cfr. Lobeck. Aglaoph. p. 312.] — V. 179. Erytus et Echion gemini filii Mercurii et Antianirae (vid. Catal. Argonaut. Burmann.), ex Alope Thessalica venerunt. — κεχλάδοντας ἥβᾳ, turgentes robore iuvenili, cf. ad v. 158. et vid. Ol. IX, 2. Tum de forma verbi Boeckh. ad Ol. VI, 49. [Lobeck. ad Buttm. Gr. II, 37. Ahrens Dial. Dor. p. 331.] Ceterum nota schema Alcmanicum, Hom. Il. V, 774. XX, 138. Od. X, 513. Cf. Welcker. Fragment. Alcman. p. 21. [Delect. fr. 1.] — Asyndeton, quod deleto δ' post ταχέως exsistit, mihi propter gradationem sententiae admissum videtur; sensus enim: Celeriter ad Pangaeum adeo habitantes heroes venerunt, voce Παγγαίου cum emphasi pronuntianda. Ceterum Pangaeus mons in Thraciae et Macedoniae confiniis. — V. 181. ἑκὼν θυμῷ γελανεῖ, haud invitus animo hilari, lubens Boreas filios suos Iasoni misit, qui tamen perierunt in expeditione. — ἔντυνεν, impulit. — V. 182 sq. πτεροῖσιν νῶτα περφίκοντας, alis horrentes, constructione notissima, Hom. Il. IV, 282. VII, 62. XIII, 339. De Boreadis alatis vide locum suavissimum Propert. I, 20, 25. Ad ποφυρέοις cfr. Mitscherlich. Hor. Carm. IV, 1, 10. — V. 184. Hoc vero magnum desiderium expeditionis s. navis heroibus accendit Iuno. γλυκύς et γλυκερός usitatum epitheton voc. πόθος et ἵμερος pro cupidus, magnus, cf. exempla ad Ol. III, 33. Ceterum ad adiectivorum rationem quod attinet, verte: dulce desiderium, quod ita trahebat omnes, ut nemo remanere vellet. Vis sententiae in παμπειθής. — προσδαιεν, accendit, si haec vera scriptura est. [Emperius τόνδ' ἄνεν.] Ceterum de Iunone huic expeditioni favente cf. Müller. Orchom. p. 267. Boeckh. h. l. — V. 186. αἰῶνα πέσσειν, cf. Ol. I, 83. — παρὰ ματρί, ut faciunt imbelles. Tum verba: μὴ μένειν, ἀλλ' εὐρέσθαι ad πόθον refer, sic: ut nemo manere vellet, sed parare sibi. — ἐπὶ καὶ θανάτῳ, vel morte proposita, vel mortis cum periculo, Matth. Gr. §. 586. ε. — V. 187. φάρμακον κάλλιστον ἐᾶς ἀρετᾶς, virtutis s. laborum fortissimorum pulcherrimum lenimen ac praemium, victoriam et gloriam. Ut dicitur φάρμακον πόνων Eurip. Bacch. 283. Et apud Pindarum ἄκος πλαγᾶν Nem. III, 18., ἰατρὸς πόνων Nem. IV. init. Maluerunt igitur pericula adire, ut postea recreationem factorum haberent

pulcherrimam, quam nihil agere et in tuto desidere. Ceterum φάρμακόν τινος aut remedium alicuius rei est aut adminiculum eius efficiendae; de quo Wyttenb. ad Eunapium T. II. p. 35. monet et Tafel ad h. l. [Heimsoethius p. 31: „φάρμακον ἀρετᾶς sunt facta, res gerendae. Deest illis occasio agendi ac virtute sua utendi, qualem nunc habebant pulcherrimam, itaque φάρμακον κάλλιστον ἐᾶς ἀρετᾶς." Dionis Chrys. p. 127. D. σωφροσύνης φάρμακον confert Geelius ad Olymp. p. 194.] — V. 188. κατέβα, ut in urbem prope mare sitam, a quo septem stadia aberat, cf. Müller. Orchom. p. 248. — V. 189. λέξατο, recensuit. — Mopsus, de quo vid. Catalogum Argonautarum et Müller. Orchom. p. 260., utitur, ut vides, etiam sortibus, quod genus divinationis interdum ad Apollinem refertur; cf. Müller. Dor. I. p. 341. Iunctae nunc aves et sortes, credo, ut dicat omnia auguria addixisse. Cet. cf. Aristoph. Av. 596. Constructio autem, θεοπροπέων ὀρνίχεσσι καὶ κλάροισι, est qualis ap. Herodot. IV, 67: Μάντιες δὲ Σκυθέων εἰσὶ πολλοί, οἳ μαντεύονται ῥάβδοισι ἰτεΐνῃσι πολλῇσι ὧδε, et apud Diod. χρηστηριάζεσθαι αἰξίν. — V. 191. ἐπεὶ δ' ἐμβόλου κρέμασαν ἀγκύρας ὕπερθεν, suspensis ancoris super rostro, in prora, unde etiam πρῴραθε demittuntur in mare, cf. Pyth. X, 52. ibiq. Schol. Argo vero dicitur prima navis longa fuisse, et tribuuntur ei arma, revera serius inventa, rostrum et ancorae, ut passim etiam Troiani belli navibus. — V. 193. χρυσέαν λαβὼν φιάλαν, de hac libatione sollemni ante profectionem navium cf. Thucyd. VI, 32. Arrian. de Exped. Alex. 6, 3. Et vid. Cerda ad Virg. Aen. V, 75. Scheffer. de Militia navali III, 3. Tafel h. l. — ἐν πρύμνᾳ, ubi etiam postea praetor vel trierarchus. Quum autem invocarentur ante profectionem varii dii, ut Iuppiter, Neptunus, Venti, Tempestates, Mare (cf. Scheffer l. cit.), vide nunc quam lyrice Pindarus hunc locum tractaverit. Vocabat, ait, Iovem, omnium rerum rectorem summum, et fluctus ventosque, noctes marisque vias (noctes et iter per noctem) et dies, ut secundae essent, denique optatum reditum. In quo primum εὔφρονα quanquam post ἄματα positum, aptissimo loco, sensu omnino etiam ad antecedentia pertinet, siquidem ista omnia propitia et secunda esse vult. Tum ut singula apte composita, ita noctes et maris vias quod iunxit, factum est, quia nocturnum iter periculosius diurno. Ceterum κελεύθους πόντου, ἁλός, θαλάσσης, mare pernavigandum, nemo nescit. Ἀνέμων ῥιπαί saepius ap. Pindarum, idem habet πόντου ῥιπαί Fragment. 138. Denique ne universum locum solius ornatus causa interpositum aut verbosius tractatum existimes, pulcherrime Iason pius et religiosus heros praeit ritus in sequentibus expeditionibus semper hominibus observatos; quare ut ipse singulari deorum auxilio opus esse intelligit, dii etiam favent ei eximie et fauste omnia eveniunt. Quae omnia propter Arcesilaum sic composita. — V. 199. ἀμπνοὰν ἔσταθεν, facta respiratio, animum receperunt. Ut ἱστάναι dicitur cum multis substantivis ap. poetas, veluti κραυγήν, ἰαχήν, μῆνιν, ἐλπίδα, cf. Boeckh. h. l. et interprett. ad Soph. Oed. R. 692. — V. 201. τεραοσκόπος, Mopsus Iovis tonitrum interpretans. — ἐνίπτων ἐλπίδας (λέγων, ἀγγέλλων), Buttm. Lexil. I. p. 283. — V. 202. Remigatio successit e manibus indefessa, sine taedio. — V. 204. Ποσειδάωνος. De universa expeditione Iovem supra invocatum vidimus; hoc loco Pindarus Neptunum ornat, Euphemidarum auctorem, qui profecto in huius itineris narratione negligi non poterat. Igitur quum venissent ad pontum Euxinum, condunt ibi sacrum Neptuni celeberrimo loco, atque huius dei ope fauces ponti intrant Symplegadum miraculoso motu clausas. Nempe per totam narrationem docetur manifesto deorum favore hanc expeditionem perpetratam; quem in finem praeclare nunc etiam hoc miraculo utitur. Ceterum locus est Hieron ad ponti introitum in latere Asiatico, de quo vid. Boeckh. h. l. Müller. Orchom. p. 289. Buttm. Lexil. II. p. 32. Fuit historico tempore celeberrimus. Ne de Iove Urio dicam, erat ara, quam prisca fama diis duodecim ferebat consecratam; haec est, quam Pindarus narrat iam tum ibi stetisse, est νεόκτιστος, ut posita a Phrixi filiis, cf. Lexil. l. cit. p. 33. (certe θέναρ habet νεόκτιστον λίθινον, ab his factum); quare nunc in ea etiam Argonautae sacrificant Neptuno, duodecim deorum uni, addentes tamen τέμενος circa aram, ut ara postea in τεμένει Neptuni esset. Quod constat sic facere licuisse. Condiderunt igitur non aram, sed τέμενος. — De voc. ἔσσαντο cf. Valcken. ad Hippolyt. 31. — V. 205. ὑπᾶρχεν, h. e. invenerunt ibi gregem boum, Θρηϊκίων, h. e. Bithyniorum, nam Bithyni Thraces, cf. Herod. VII, 75.; praefert vero Pindarus nomen nobilius et lyricae orationi accommodatius. — θέναρ, arae summa pars concava, τὸ κοίλωμα τοῦ βωμοῦ τὸ ὑποδεχόμενον τὰ θύματα. Ad genitivum λίθων compara

Thucyd. I, 93. Nec dubia haec constructio, cf. Matth. Gr. §. 374. b. [Rauchensteinii coniecturae (Commentatt. I, p. 11.) *θέναρ βωμοῦ λίθινον* aliquid commendationis accedere videtur ex Scholl. Paris. Homer. Il. *E*, 339. apud Cramer. Ann. Par. III, 209: *Πίνδαρος θέναρ βωμοῦ λέγει τὸ πλάτος.*] — V. 208. *συνδρόμων πετρᾶν*, quae *κυάνεαι Συμπληγάδες, Συνδρομάδες*, nobilissimae; cf. Apollon. Rhod. II, 317. Orph. Argon. 682. Valer. Flacc. IV, 561. [et Pflugk. ad Eurip. Med. 2. Nitzsch. Odyss. XII, 61.] — *ξωαί*, de motu spontaneo, quum daemonica quaedam vis iis inesset. — *κυλινδέσκοντο*, provolvebantur, ut saxa. Apta vox ad terrorem augendum, ut dicitur *πῆμα κυλίνδεται* Hom. Il. XI, 347. Odyss. II, 163. — V. 210. *στίχες*, agmina, acies. — *τελευτάν*, finem, mortem. — *ἄγαγεν*, cf. ad Pyth. X, 6. De re cf. Apoll. Rhod. II, 604. — V. 212. *κελαινώπεσσι*, propter fuscum oris colorem. — *βίαν μίξαν*, ut Nem. III, 61: *ἐπιμίξαις Αἰθιόπεσσι χεῖρας.* Homerus *μίσγεσθαί τινι.* Et manus conferunt, ait, cum Colchis apud Aeetam ipsum, h. e. ad ipsam urbem progressi. Pugnatum esse recte narrat Pindarus, licet alii omiserint; ita enim et heroibus convenit et rei ipsi. Consentaneum est Argonautas, quum urbem peterent, prohibitos, armis viam sibi parasse in urbem, ubi deinde de velleris recuperatione cum rege amplius agendum erat. In hac autem miraculosa re perficienda iterum divinum auxilium affuit; quae Veneris fuere partes. Ac iam in arca Cypseli expressa Venus fuit Iasoni favens, cf. Pausan. V, 18, 1.; modum tamen hunc auxilii Pindarus ipse excogitavit, opinor. — V. 213. *πότνια ὀξυτάτων βελέων*, ut *πότνια θηρῶν* Hom. Il. XXI, 470. — V. 214. Iynx, torquilla Linnaei esse creditur, variis nominibus vulgo recte an falso appellata, frutilla, verticilla, motacilla, mobilitate sua adumbrans aestuantis amoris agitationem. Hinc ea in incantationibus utebantur illigata rotae, quam circumagebant. Atque ita amor efficiebatur. Cf. plura apud Interpretes. — *τετράκναμον*, alis pedibusque in quattuor radiis rotae expansam, cf. Pyth. II, 40. — V. 215. *ἀλύτῳ*, indissolubili rotae, ut vinculo illigatam, unde amores indissolubiles efficit. — V. 216. *μαινάδα*, vesanam, vehementis amoris auctorem. — V. 217. *λιτάς*, *λιταευτικάς*, verba precantia incantationum. Cfr. not. crit. — V. 218. *αἰδῶ*, ita ut clam Iasonem amaret. — *ποθεινὰ δ' Ἑλλὰς — Πειθοῦς.* Et ut desiderium Graeciae virginem amore flagrantem agitaret flagello Suadae, h. e. vi insuperabili traheret. De metaphora flagelli cf. Mitscherl. ad Horat. Carm. III, 26. fin. et Tafel. ad h. l. — *δονέοι*, ita ut quietem non haberet; cf. Bion IV, 5. Tibull. I, 5, 3. Omnino enim frequens est *δονεῖσθαι* de commotis amore. Cf. Iacobs. Delect. Epigr. p. 240. — *Πειθώ* plerumque Veneri inservit, ut etiam hic; quanquam etiam ad alias res refertur. De ea vide Boeckh. ad Pyth. IX, 39. Iacobs. Animadverss. ad Anthолog. Gr. VI. p. 106. [et praeter ceteros O. Iahnii commentariolum: „*Peitho die göttin der überredung*," Gryphiswald. a. 1846. editum.] — Denique universi loci magnificentiam etiam alii senserunt, ne quis tumorem et strepitum verborum inanem loquatur. Ut virgo non vilis, sed generosa et honesta abiiceret verecundiam parentum, clam peregrino iuveni se desponderet eumque adiuvaret et in longinquam terram cum eo abiret, ista profecto magna vis necesse est fuerit et insuperabilis, qua tale quid efficeretur; quod praeclare intelligens Pindarus maximis verbis utitur, quae quidem lingua offerret. Sic Medeae honos suus constat, et Iason ornatur pulcherrimo favore Veneris. Cf. post haec Philostrat. Imaginem c. VII., ubi picta Medea adhuc dubia haerens. — V. 220. *πείρατ' ἀέθλων πατρωΐων*, quomodo superari et ad felicem exitum perduci possent certamina, labores a patre propositi; cf. *ἔργων τέλος*. — *ἀντίτομα ὀδυνᾶν* sunt remedia quae secantur et parantur alicui adversus dolores et morbos. Cf. Stanl. et Blomfld. ad Aesch. Agam. 16. Ruhnken. et Vossius ad Hom. Hymn. Cer. 229. Iacobs Animadv. ad Eurip. p. 36. Intelligas igitur radicum et herbarum succos expressos, quos oleo miscuerat, aut potius contusas et comminutas has ipsas radices et herbas sic madefactas, medicatas oleo. Est vero *φαρμαχοῦν* imbuere, tingere aliqua re, atque ita efficere, ut vim *φαρμάκου* habeat tinctum. Ac Medea sic paraverat *φάρμακον χριστόν*. *χρίεσθαι* enim in talibus proprium. — V. 222. *καταίνησαν*. Verbum omnino significans promittere, *zusagen*, cf. Blomfld. ad Aesch. Choeph. 694., Reisig. ad Soph. Oed. Col. 1625., peculiari usu est despondere, vid. Porson. ad Eurip. Orest. 1090. Unde nunc de mutua sponsione amantium dictum. Ad *κοινὸν γάμον μῖξαι* cf. Pyth. IX, 13. [Alcaei fr. 22. Del.: *μῖξαν δ' ἐν ἀλλάλοις Ἄρενα.*] Ceterum factae nuptiae in reditu, si reliquos Argonauticorum scriptores audimus. — V. 224.

ἀδαμάντινον, ut Apoll. Rhod. III, 1284. Quum igitur ex ferro durissimo esset aratrum, erat simul permagni ponderis. Hinc σκίμψατο, statuit impressum, infixum solo, bene dictum. — V. 225. βόας, de ignivomis bobus vid. Schol. Ceterum per zeugma etiam haec vox iuncta verbo σκίμψατο pr. ἔστησε. Est autem zeugma nihil nisi apta brevitas, ubi verbositas putida. — χαλκέαις, cf. Apoll. Rhod. l. cit. et Tafel. ad h. l. — V. 227. πέλασσεν, cf. Apoll. Rhod. III, 1307. Aeschyl. Prometh. 155. — ὀρθὰς αὔλακας ἐντανύσαις, tam firma manu regebat boves et aratrum. Ac non dicit ἐκτανύσαις, extendens longos sulcos, sed ἐντανύσαις, tendens rectos, ut intentum funem. — ἤλαυνε scil. βόας. Licet enim dici possit αὔλακας ἐλαύνειν, veluti ὄγμον Hom. Il. XI, 68. et τάφρον, inutilis hic ista cumulatio. [Potius αὔλακας. Docet aor. ἐντανύσαις.] — V. 228. ἀνὰ βωλακίας — γᾶς, et glebosae terrae dorsum scidit in ulnae altitudinem. — νῶτον, superficiem terrae. — ἀνά cum σχίζε iunxerim; Boeckh. ad ὀρόγνιαν refert. Ceterum ad collocationem particulae δέ conf. Ol. VI, 74. — V. 230. στρωμνάν, h. e. cui insedit Phrixus. — V. 231. θύσανον intellige villos s. lanam; totum enim vellus aureum est. — κρόκειον εἶμα, τὸ κροκωτὸν ἱμάτιον. Homerus χλαῖναν φοινικόεσσαν aut ποφυρέην dixisset. Sed uterque color pariter celebratus veteribus, cf. Voss. Epist. mythologg. T. II. p. 80. — V. 233. εἶχετ' ἔργου, aggrediebatur, ut λόγου εἶχετο Herodot. VII, 5. — ἐόλει, h. e. ἐτάρασσε, cf. not. crit. — ἐφετμαῖς, propter praecepta Medeae, h. e. propter praescripta a Medea medicamina adversus dolores et vulnera. Matth. Gr. §. 398. b. — V. 234 sq. σπασσάμενος ἄροτρον, tracto ex sulco seu potius adducto aratro et protracto, credo, illuc, ubi iungere volebat boves, iunxit eos et sulcum fecit. Post δήσαις ne copulam desideres, construe: σπασσάμενος ἐξεπόνασε μέτρον, δήσαις, postquam iunxerat, ἐμβάλλων τε, et stimulans. — ἀνάγκας ἔντεσιν, necessitatis instrumentis, loris cogentibus constrinxit cervices. Vid. Boeckh. Nott. critt. Add. ἀνάγκας χερσί Nem. VIII, 3. et δίναις ἀνάγκης Aesch. Prometh. 1060. Cf. praeterea Ol. II, 72. et Matth. Gr. §. 316. f. [Sed v. not. crit.] — φυᾷ, corpori cum significatione roboris et magnitudinis, ut Isthm. V, 47. Homerus et Hesiodus tantum de humana specie dicunt. — V. 236. ἐξεπόνασε, perfecit, peregit. Cf. de voce Valcken. ad Eurip. Phoen. 1642. Iacobs. Delect.

Epigr. p. 123. — V. 237. ἴνξεν cett. In muto et tecto quamvis dolore tamen prae miratione in exclamationem erupit. — V. 240. ἔρεπτον, h. e. ἔρεφον, cf. Boeckhium h. l. et Hermannum ap. Heynium [coll. Isthm. III, 72.]. Sic hic locus non est de φυλλοβολίᾳ intelligendus, quam vide Pyth. IX. fin. Quanquam aptior hic esset φυλλοβολία quam coronatio. — V. 242. Arietem Phrixus immolaverat Iovi Laphystio, et vellus posuerat in luco Martis, cf. Müller. Orchom. p. 172. — μάχαιραι, h. e. μαχαίραις detractum corpori, sic expansum est. Pindarus solet brevissime loqui, ubi ampliore oratione non opus. — V. 244. εἶχετο, haerebat in maxillis. Ex Pindari sententia vellus humi iacet, ne autem auferri possit, adest draco arreptum ab una parte faucibus tenens. — V. 245. πεντηκόντορος fuit Argo. — τέλεσαν πλαγαί, Plutarch. de Fortun. Roman. p. 16. Hutt.: ὥσπερ γὰρ ὁλκὰς ἢ τριήρης ναυπηγεῖται ὑπὸ πληγῶν καὶ βίας πολλῆς cet. — V. 246 sqq. Exin eventum rei et reditum Argonautarum paucis comprehendit. — ὥρα συνάπτει, brevior fit, magis magisque se contrahit. Quum enim συνάπτειν etiam significet: se coniungere et contiguum esse (cf. Monk. ad Eurip. Hippol. v. 187. Blomfld. ad Aesch. Pers. 887. Dorvill. ad Charit. p. 519. Lips.) dici potuit de tempore, cuius duo fines magis magisque coeunt, coarctantur, decrescente spatio intermedio. [Hermanno p. 142. ὥρα συνάπτει nihil est aliud quam iam tempus est: dici enim ὥραν συνάπτειν, quum congruat ad ea quae fiunt tempus. At quid hoc est: iam tempus enim est νεῖσθαι κατ' ἀμαξιτόν? Potius tempus est missa via incedere in semita compendiaria. Ita enim poeta ἀμαξιτόν (ὁδὸν δημοσίαν) distinguit ab ἀτραπῷ. Scholiasta καιρὸς γάρ με ἐπείγει interpretatur.] — V. 250. τὰν Πελίαο φόνον, exitium Peliae, quem post reditum Argonautarum perdidit, persuadens filiabus, ut patrem occiderent, se occiso inventutem restituturam, quod non fecit. Ceterum cf. Hermann. ad Vig. p. 932. Bernh. Synt. p. 46 sq. [Medeam σφοῖς ἀδελφιδίοις κᾶρα καὶ φόνον dixit Alcman, v. Philol. I, 442.] — σὺν αὐτᾷ, ipsa puella iuvante. — V. 251. ἐν — μίγεν, adierunt Oceani undas et mare rubrum et Lemnias feminas. Ac μίσγεσθαι ἀνθρώποις pr. venire ad vel ex Homero notum, ut Odyss. V, 378. 386. Idem vero Il. XV, 409. habet μιγήμεναι κλισίαις Δαναῶν pr. appropinquare, penetrare in. Ac Pindarus statim μιχθέντες ἤθεσι. Tafelius autem bene confert θαλάττῃ συμμίσγειν Callim. Epigr. XIX, 5. Add. ἐπιμίσγεσθαι Αἰγύπτῳ, Ἑλλάδι Herod. II, 104. collat. Hom. Od. VI,

205. et προσμῖξαι apud Baehr. ad Plut. Philop. p. 24. Navigarunt autem e Phaside in Oceanum, ex Oceano in mare rubrum, quod est in orientali et australi parte Africae; e mari rubro navem per deserta Libyae portarunt, ut supra vidimus, ad Tritonidem paludem, unde per mare mediterraneum Theram, a Thera in Lemnum venerunt. Ibi tum mulieres regnabant viris interfectis, cf. Müller. Orchom. p. 302. Welcker. Aeschyl. Trilog. p. 585 sqq. Habentur ab Hypsipyla ludi funebres in honorem Thoantis, in quibus Argonautae certant, tum feminarum lectos conscendunt. — V. 253. ἐσθᾶτος ἀμφίς, verto: de veste, feminarum opere, certarunt contentionibus membrorum, quae fuit ἔπαθλον, licet praeterea coronae datae, vid. Ol. IV, 23. Ad loquutionem cf. Pyth. IX, 105. ἀμφίς pr. seorsim non dixit Pindarus; sigma ut in fine versus additum. Buttmannus quidem Lexil. II, 216. absque veste vertere mavult, gymnica enim certamina fuisse, non solum armatum cursum. Concedamus hoc; tamen nusquam Pindarus talem loquutionem addidit de certaminibus dicens, quum levior res sit et fere per se intelligatur; hic autem etiam incommode additam dicerem in certamine coram feminis, sequente verbo: καὶ συνεύναθεν. — V. 254 sqq. Et in peregrinis terris tum semen fatale vestrae splendidae fortunae suscepit dies aut nox, condita ibi Euphemidarum gente. — ὑμετέρας ἀκτῖνος ὅλβου pr. ἀκτῖνος ὑμετέρου ὅλβου, cf. ad Ol. XI, 6. et ἀκτὶς ὅλβου pr. λαμπὸς ὅλβος. Tum νύκτες horae nocturnae, h. e. nox, qui usus satis frequens, cf. Iacobs. ad Anthol. Palat. III. p. 332. Blomfld. ad Aesch. Choeph. 282. et Heind. ad Plat. Protagor. p. 463. Verum cur dicit ἅμαρ ἢ νύκτες? Nempe statim post ludos coniugia cum feminis inita, et tum, ait Pindarus, regii generis vestri semina iacta vel eo ipso die vel nocte sequente. Hic est sensus simplex loquutionis, quam Heynius immerito frigidam dixit. [Heimsoethius p. 32: „De re quacunque, die vel nocte acta, solemus in universum dicere quod poeta dixit κεῖνο κεῖν' ἅμαρ διαίτασεν, tempore accuratius non definito. Quo nunc poeta praemisso leniter corrigens subiungit ἢ νύκτες, euphemismo scilicet Pindarico."] — V. 258. ἧψεσι, sedibus. Vid. Koen. ad Gregor. Corinth. p. 495. Iacobs. ad Philostr. p. 480. E Lemno, ait, postea in Laconicam migrarunt, tum Theram, postremo in Libyam. De quibus rebus uberrime exposuit Müllerus Orchom. p. 306 sqq. — τάν ποτε Καλλίσταν, hoc enim nomen habuit ante Therae et Minyarum

adventum. — V. 260. σὺν θεῶν τιμαῖς, cf. v. 51. — ἄστυ χρυσοθρόνου — ἐφευρομένοις, vobis, qui prudentiam, sapientem mentem, nacti estis ad urbem Cyrenes heroinae gubernandam; quibus verbis transitum parat ad ultimam carminis partem. Quare cum laude simul admonitio subest, ut talem μῆτιν semper habeat rex. De Cyrene heroina cf. Pyth. IX, 4.

V. 263 — fin. Absoluta narratione mythica directora monita Arcesilao dat et pro Damophilo deprecatur. Ad universum locum praeter Boeckhium conf. Müller. Dor. II. p. 173 sqq. et Thrige p. 177 sqq. — γνῶθι νῦν τὰν Οἰδιπόδα σοφίαν, disce nunc Oedipi sapientiam, h. e. sis peritus ut Oedipus aenigmatum solvendorum. Quibus verbis bene praeparat sequentia, ut attentior fiat animus, neve inopinata veniat talis oratio. Oedipum constat aenigma Sphingis interpretatum; nunc etiam Arcesilao proponitur aenigma, praecepto politico per metaphoram quercus expresso. Dicit enim: „Si quis ramos amputet magnae quercus eiusque speciem deturpet, nihilominus etiam sterilis vires non parvas retinebit, sive hibernum ignem alens sive inter columnas heriles miserum onus sustinens aliena in urbe." [Heimsoethius l. c.: „Poeta Οἰδ. σοφ. liberiore dictione appellat σοφίαν, qualis Oedipo proponebatur, h. e. cuius sensus divinatione intelligendus est." Ergo aenigma. Quod cui permirum visum est Rauchensteinius l. p. 11. iuberi censet Arcesilaum habere sapientiam qualem habuerit Oedipus in aenigmatis solvendis. Igitur cum Boeckhio facit, cui γνῶθι significat nosce cognitamque tene. Rursus T. Mommsen opinatur a Pindaro sapiens aliquod praeceptum Oedipi ipsius proponi Arcesilao: quorsum pertinere articulum τάν. At eum licet referre ad celebratam illam sollertiam Oedipi: contra de sapienter dictis regis Thebani nihil notum.] — εἰ ἐξερείψαι μέν, cf. not. crit. — V. 265. διδοῖ ψᾶφον περ' αὐτᾶς, h. e. non ad nihilum redacta est, sed adhuc indicia dat virium suarum. Nam φῆφον διδόναι non est suffragium ferre, φέρειν, sed calculum dare de te indicaturis (*sie begründet noch immer ein urtheil über sich*). Veluti est ἀοιδὰς δοῦναι βροτοῖς Eurip. Troad. v. 1245., dare hominibus quod de nobis canant. — V. 266. ἐξίκηται. Sensus: Si postremo in ignem hibernum deveniat. — λοίσθιον, extremus ignis, pro adverbio est. — V. 267. ἐρειδομένα σὺν κιόνεσσι vertas: quae fulcitur ope columnarum, ut intelligatur trabs columnis

imposita pro epistylio ad tectum fulciendum. Sed ratio idonea huius sententiae non videtur adesse, ubi de sensu metaphorae quaeritur, de quo mox. Simplicius ἐρειδομένα erit active: nitens, solo innitens, stans, ut columma, et cum ceteris columnis sustinens tectum. — Mox ἀμφέπει, tractat, habet laborem. Isthm. III, 77: ὄλβον ἀμφέπει. Gregor. Naz. T. II. p. 43. πόνον ἀμφιέποντες. Vid. de hoc verbo Tafel. ad Ol. I, 12. Exspectes autem coniunctivum: Quercus vires ostendit etiam, quum ignem alit aut inter columnas stat. Sed mutavit orationem sic: Quercus vires ostendit ignem alens, aut etiam inter columnas stat, rediens in fine ad indicativum, quo fit nervosior exitus sententiae; vid. similem mutationem post participia Pyth. III, 53. et cf. omnino ad Ol. II, 61. — Denique de sensu loci monendum. Boeckhius ὄζους intelligit principes maxime civitatis et δρῦν ceterum populum et explicat sic: „Ne demptis quidem principibus populum vires amittere nec posse in optimos viros saeviendo frangi eius potentiam; videat rex, ne seditionis incendium oriatur aut superbiam regiam indignatus populus alieno imperio accedat, ut eorum, qui tum Aegyptum tenebant." Quae ego maximam partem egregie excogitata censeo, nisi quod ultima clarius explicata velim. Nam aliis in muris columnam esse sua sede desolata, quid est aliud quam migrare in aliam ditionem ciusque vires augere? Vide, ait Pindarus, ne ad extremum seditio oriatur populi et incendio turbarum pessumdetur civitas, aut emigrent plurimi in propinquam Aegyptum et hoc imperium augeant. In quo δύστανον μόχθον bene dixit eorum, qui inviti migrant in peregrinam terram et domino barbaro (δεσποσύναισιν) se subiiciunt. Simul vides hos accedere reliquis columnis illius imperii, neque causam esse, quare pro epistylio ibi sint. Post haec denique etiam illud clarum, opinor, cur poeta aenigma adhibuerit; sunt enim haec eiusmodi, ut nec decore regi aliter dici possent, et mali ominis fuissent propriis verbis enuntiata. — V. 270. ἐσσὶ δ' ἰατὴρ ἐπικαιρότατος, tu es medicus civitatis opportunissimus, aptissimus, peritissimus. — Παιάν τέ σοι τιμᾷ φάος, et Apollo Paean, Battiadarum patronus, favet fortunae tuae et successum dabit felicissimum. Paean est sospitator et sanator Apollo, qui etiam morbis medetur (Pyth. V, 59.), cui post pestilentiam et alia mala propulsata canitur paean. Vide de nomine Valcken. ad Eurip. Hippolyt. p. 313. Müller. Dor. I. p. 298. — τιμᾶν est pro-

prium deorum, qui favore et beneficiis ornant homines; nunc, φάος, felicitatem, splendidam fortunam regis fovet, auget, ornat omni modo Apollo. Sic Aesch. Sept. 718. est νίκην τιμᾷ θεός, fausto exitu prosequitur. — V. 271. χρή, asyndeton verte: Oportet igitur, s. cura igitur. — μαλακός, proprium de manu curante, cf. Nem. III, 53., hoc loco inprimis aptum, quum lenitas commendetur. — προσβάλλειν χεῖρα per se dicitur in utramque partem, ut Eurip. Alcest. 318. est male tractare. Denique ἀμφιπολεῖν s. ἀμφιπολεύειν etiam de medica opera passim usurpatur. — V. 272. πόλιν σεῖσαι, concutere, labefactare, cf. Mitscherl. ad Horat. Carm. I, 35, 13. — V. 273. ἐπὶ χώρας ἕσσαι, in locum suum reponere. Confer Theogn. 846: εὖ δὲ θέμεν τὸ κακῶς κείμενον ἀγαλέον. Adde Suet. Octav. 28. Liv. V, 51. XXVII, 34. — V. 275. Tibi vero huius rei decus et laus paratur, contingit, ut a deo favente adintus possis mederi civitati; age igitur fac. — ἐξυφαίνονται χάριτες, ornatissime dictum, h. e. fortuna propitia texitur tibi. — V. 276. τλᾶθι, asyndeton vides vertendum ut ante per: Quare. Iterum enim cum vi redit ad hortationem primariam. Ceterum τλᾶθι est: *entschliefse dich*, aggredere, suscipe strenue ac fortiter. — τᾶς εὐδαίμονος, tot naturae bonis ornatae. — V. 277 sqq. Dixerat de universa civitate; nunc speciatim pro Damophilo intercedit, viro nobili et regiae familiae genere coniuncto, cf. Schol. 467., qui pulsus a rege tum Thebis vivebat. — τῶν δ' Ὁμήρου cett. Ex Homericis etiam hoc dictum considera et cura: Bonum internuntium ad rem mandatam perficiendam plurimum conferre. — καὶ τόδε est: apud Homerum, ubi alia multa praeclara, etiam hoc legitur. — ποῤῥύνειν, colere, observare diligenter. Ipse Homeri locus est Il. XV, 207 sq., ubi vid. Heyn. Ibi bonus nuntius est, qui moderationem suadet. Iam pergit: Valet hoc etiam nunc; etiam Musa ornatur, et augetur poesis vis, ubi nuntia bona est, suadens iusta et aequa. Ceterum amant laudare veteres poetas, ut Hesiodum laudat Isthm. V, 67. — V. 279. ἐπέγνω, norunt omnes iustitiam Damophili. Genitivum Hermannus ex Homero illustravit, ut Il. IV, 357. XXIII. 450., cf. Matth. Gr. §. 349, 3. — V. 281. ἐν παισὶν νέος, ut ὠκὺς ἐν ποτανοῖς pr. celerrimus Nem. III, 80. [Soph. Phil. 685. ἴσος ἐν ἴσοις ἀνήρ.] — V. 283. ὀρφανίζει — ὀπός, privat maledicam linguam clara voce sua, in quo ad φαεννός cf. Musgrav. ad Soph. Oed.

R. 187. [et maxime Lobeck. Rhem. p. 342.] Porro vid. Isthm. III, 26. *κελαδεννᾶς ὀρφανοὶ ὕβριος*. — Universi loci sensus hic: Iuvenili robore et prudentia senili insiguis obmutescere facit maledicas voces et didicit insolentem adversarium odisse, non adversans bonis et ad res gerendas promptus, h. e. obtrectatores contemnit et iniuriam propulsare sciet, ceterum tranquillus civis est non nocens bonis, ut utilis tibi esse possit in rebus gerendis. — Ultima: *οὐδὲ μακύνων τέλος οὐδέν*, nullius rei effectionem ducens. — *πρὸς ἀνθρώπων*, apud, inter. — V. 287. *ἔγνωκεν*, Damophilus *καιρόν*. — *θεράπων δέ οἱ, οὐ δράστας ὀπαδεῖ*, ut minister, non ut servus ei obtemperat; nam *θεράπων* liberalior minister est, ut ex Homero constat, cf. Nitzsch. ad Odyss. I. p. 233., *δρήστης* s. *δρηστήρ* famulus (Hom. Od. XVI, 248.) generaliori sensu, sed minus honesta appellatione, qui operam praestat imperatam, cf. Damm. Lex. Hom. Iam sensus loci non uno modo constitui potest. Boeckhius: Non sudat in rebus gerendis tanquam servus viliorum negotiorum curator. Heynius: Captat occasiones opportunas consiliis, non servili modo ex iis pendet, ut ex herili nutu. Ego dixerim: Libere et ingenue inservit temporibus non quamvis etiam inhonestam operam suscipiens, ut famulus quidvis faciens ad nutum heri. Vix enim video, cur pluribus de *καιρῷ* dicat, nisi fecit propter Arcesilaum, ut hic sciret, quomodo Damophilo uti posset. *θεράπων*, ait, tibi erit, non *δράστας*. Ceterum cf. *καιρῷ λατρεύειν* Phocyl. carm. *νουθετικ.* v. 112, *καιρῷ δουλεύειν* Anth. Gr. I, 38, 9. — V. 289. *ἐκτὸς ἔχειν πόδα*, cf. Aesch. Prometh. 261., ubi vid. Blomfld. — *καὶ μὰν* cett. Atqui ille Atlas (*Ἄτλας ὤν*, alter Atlas, cfr. Stallbaum. ad Plat. Symp. p. 159.) coelo luctatur, h. e. cum gravissimo onere conflictatur, exsilii scilicet, procul a patria. Similiter Atlas in extremis terrae oris stat procul a consortio deorum. — V. 290. *προσπαλαίει*, ut *παλαίειν συμφοραῖς* Polyb. II, 56., *ζημίαις* Xenophon. Oecon. XVII, 2., cf. Nem. VIII, 27. — Titanes hic sunt qui in Tartarum coniecti erant et vincti; liberatos a Iove vide etiam Fragm. Hymn. 6. et apud Aeschylum in Prometheo soluto, cf. Welcker. Aesch. Trilog. p. 38. [*νῦν γε*: „nam ante ei bene fuerat, nunc male." Emperius.] — V. 291 sq. *ἐν δὲ χρόνῳ — μεταβολαὶ ἰστίων*. Ut nautae, cessante vento, mutant vela, sic tu, mutata nunc Cyrenarum conditione, cessante seditionis periculo, Damophilum revoca. — V. 293. *οὐλομένην νοῦσον*, exantlato tristi exsilio cum aerumnis suis. — *ἰδεῖν*, de rebus iucundis et adversis, cf. Peerlkamp. ad Xenoph. Ephes. p. 182. — *ἐπ' Ἀπόλλωνος κράνᾳ*, quae Cyre dicta, unde urbis nomen, cuius antiquior pars circa hunc fontem sita erat; cf. Boeckh. h. l. Müller. Prolegom. Mythol. p. 142. Thrige de Cyrenis p. 95. Tafel ad h. l. — Mox quod de conviviis et de cantu citharae dicit, facit suavissime, quum hoc ipsum carmen haud dubie in convivio caneretur. — V. 295. *θυμὸν ἐνδόσθαι πρὸς ἥβαν*, h. e. totum tradere hilaritati; hoc enim est *ἐνδόσθαι*. Ad *ἥβαν* cf. Theogn. v. 876: *Ἥβα μοι, φίλε θυμέ*. Et erat, ut vidimus, iuvenili aetate. Comparaverit aliquis Himer. Eclog. XIV. p. 244. de Cycno dictum: *ἄρτι Ζεφύρῳ πρὸς ᾠδὴν ἐνδιδόναι μέλλων τὰς πτέρυγας*, ut sit: animum expandere vult ad laetitiam, quemadmodum contrario modo *συστέλλεσθαι* dicitur, veluti Eurip. Herc. Fur. 1417: *συνέσταλμαι κακοῖς*. Sed hoc non placet. Non vult componere animum ad laetitiam, sed laetari, ipsamque loquutionem non dicerem bonam. Alterum melius. Aesch. Pers. 837. *ψυχὴν διδόντες ἡδονῇ*. [Compara Anacr. fr. 11. Del.: *Τίς ἐρασμίην τρέψας θυμὸν ἐς ἥβην ὀρχεῖται*; sic saepe *κακοῖσι δοῦναι, ἐπιτρέπειν θυμόν* simm.] — *ἐν σοφοῖς — πολίταις*, inter cives musices et poesis peritos, quae artes florebant Cyrenis, cf. ad Pyth. V, 107., cum cithara versans, quiete frui innoxia. — *θιγεῖν* c. dativ. Pyth. VIII, 24. IX, 43. docente Boeckhio ad Ol. I, 86. Matth. Gr. §. 330. not. — Ultimos duos versus Boeckhius *Ἀρκεσίλα* scribens, non *Ἀρκεσίλᾳ*, explicat sic: Et narrabit, qualem fontem carminum, h. e. quem praeclarum poetam, o Arcesilae, Thebis invenerit. Mihi ceterorum interpretum sententia placet, ex qua etiam regi dicitur quod gratum sit. Narrabit, ait, qualem Arcesilao fontem futurae laudis invenerit Thebis, Pindaro etiam in posterum pulcra carmina promittente, si quid praeclari rex gesserit. Ac docente Pyth. V. fin. parabat Olympicam victoriam. — V. 299. *Θήβᾳ ξενωθείς*, nam Aegidam fuisse Damophilum, apud Thebanos Aegidas receptum, suspicatur Boeckhius optime.

Carmen Pythium quintum.

INTRODUCTIO.

Carmen eidem Pythiae victoriae Arcesilai scriptum, cui antecedens, cantatum vero publice in reditu pompae victorialis, sollemniter per urbem incedentis in via Apollinea; equi deducebantur sine curru, qui Delphis dedicatus erat. Reportaverat autem victoriam Carrhotus auriga, frater reginae. Post cantum probabile est in templo Apollinis coronam dedicatam; noli vero carmen in templo cantatum credere, in quo nulla sit invocatio Apollinis. Verisimile vero simul Carneorum festum eo die fuisse. — Argumentum carminis hoc est: Divitiae, ait, potentissimae, si cum virtute coniunctae sunt, quae laus in te, Arcesilae, cadit. Nunc quum clara cum virtute insignem fortunam habeas regiae magnae potentiae et recentis victoriae, deum ne obliviscaris universae tuae felicitatis auctorem esse, diligas vero etiam Carrhotum, qui victoriam reportavit integro curru currumque dedicavit Delphis, ut perenne monumentum victoriae in gravissimo certamine partae. Sine labore enim, pergit, nihil contingit, nunc autem Batti fortuna antiqua adest, quem Apollo olim insigniter honoravit, in Libyam eum deducens, ut conderet Cyrenas. Nam primum Dorienses a deo in Peloponnesum ducti, inde Aegidae Theram profecti cum sacro Carneorum, quae Cyrenas ut venirent in fatis erat Batto coloniam ducente. Hic autem, ait, occupato loco, ubi Troiani Antenoridae prius consederant, sacrificiis ornavit hos heroes, aedificavit maiora templa deorum et stravit praeclaram viam Apollineam sacris pompis destinatam, vir felix, dum vivebat, et post mortem pro heroe cultus sepulcro in foro conspicuo. Praeterea etiam ceteri reges sancti in urbe sepulcra habent. Qui omnes sub terra nunc laetantur novo decore ab Apolline concesso sibi et Arcesilao. Est vero Arcesilaus insignis vir multis virtutibus, quem utinam dii etiam in posterum tueantur et honorent. — Restat, ut de summa sententia carminis et universa eius adornatione moneam. Igitur laudat hoc carmine Pindarus ὄλβον, si cum virtute coniunctus sit. Ὄλβον quum dico, divitias et potentiam regiam hisque coniuncta bona intelligi volo; nam orditur quidem a divitiis, mox vero potentiam regiam addit, neque obscurum est per reliquum carmen non partem tractari, sed universum ὄλβον Battiadarum, eumque nixum favore deorum, inprimis Apollinis, qui Batto ἀρχαγέτας fuit et cui regnum Battiadarum debebatur. Iam si fortunae eximiae virtus coniuncta est, ut sapienter, iuste, gloriose ea utatur rex, nae is profecto potens est et admirabilis princeps. At si virtus non adest, impotentes sunt opes; dilabentur enim et peribunt. Erat Arcesilaus beatus potentia et divitiis fortunaque a maioribus tradita insigni, idemque virtutibus ornatus, sed erant etiam quae in eo displicerent magnopere, et nuperrime viderat seditionem civium. Vir consilio validus, strenuus ac fortis, caruisse tamen videtur quum aliis virtutibus, de quibus vide ad Pyth. IV., tum nimium sibi tribuens nec diis quantum deberet semper meminisse, nec hominum de se merita ubique satis agnovisse et remuneratus esse, ad severitatem quam ad benignitatem, ad superbiam quam ad modestiam proclivior. Quare non solum laudat poeta, sed etiam admonitiones proponit. Atque in principio quidem praedicatur Arcesilaus ut ea, quam diximus, opum et virtutis coniunctione conspicuus; inde vero cum laude statim sapientiae admonitionem coniungit poeta, proponens primum regi, quanta nunc felicitate gaudeat, quum magnis urbibus imperitet et iam victor sit in Pythiis, tum hortans, ne deum universae suae fortunae auctorem obliviscatur esse et ut Carrhotum gratus excipiat, cui victoriae laus debeatur. Iam in media parte ut aliis in carminibus fabula exhibetur mythicum παράδειγμα, sic nunc pro mythicis eundem in finem posita notes quae de Batto Cyrenisque conditis dicuntur, quae quidem observatio necessaria videtur ad unitatem carminis penitus perspiciendam. Praeclara illa virtutis et felicitatis divinitus datae coniunctio, ait Pindarus, in gente Battiadarum hereditaria est; conspicitur eadem luculenter in celeberrimo conditore urbis. Primum enim fortuna Batti insignis fuit, cui Apollo favit eximie; nam quum Dorienses in Peloponnesum duxisset deus et Aegidas Theram, inde profectus Battus est eiusdem dei auspiciis in Libyam, fugatisque leonibus condidit praeclaram urbem. Idem vero non minus pius fuit, honorans cultu antiquos loci heroes, colens deos magnificis templis inprimisque Apollinem. Nunc heroicos honores habet in foro. Similiter reliquorum regum sancta est memoria. Sic subiicitur tertia pars carminis, in qua data opera regis nunc viventis eximias virtutes persequitur, inter quas etiam iudicrae gloriae studium, eumque praeclaris maiori-

bus dignum ostendit, denique preces facit pro futura incolumitate et gloria. Vides proposita sententia de fortunae et virtutis societate in Battiadarum domo poetam pulcherrime consequutum omnia, quae res postulabat. Nam et populo declaratur magnificentia regiae gentis Arcesilaique eximia laus, et rex cum sua maiorumque laude admonitionem coniunctam habet sapientiae, ne corruant potentia opesque, donec virtus aderit, potentes. Quare etiam illud post haec omnia liquet, consilium carminis universum antecedenti simile esse: ut revocetur rex ab iis rebus, quibus perditum ibat regnum. Sed in antecedenti carmine lenitatem atque clementiam commendat, hic ad alias virtutes hortatur additque etiam eas, quas vere habebat rex, et quum illic primas origines gentis et ius hereditarium regni maxime spectaret, hic ὄλβον regium ipsum proponit universum. Atque ita factum, ut, licet summa sententia similis sit, alia tamen tractatione aliud ac plane diversum carmen oriretur. [Cfr. T. I. p. VIII. XVI. LI.]

EXPLICATIO.

V. 1—10. Prooemium. De coniunctione opum et virtutis Arcesilao divinitus ab ineunte aetate tributa. — V. 1. ὁ πλοῦτος εὐρυσθενής, divitiae late potentes sunt, h. e. multa praeclara et eximia iis effici et parari possunt, veluti victoriae curules. — V. 2 sqq. ὅταν τις — ἑπέταν, si quis mortalis homo eas cum praeclara virtute coniunctas fati munere domum ducat caras comites. Est πλοῦτος ἀρεταῖς δεδαιδαλμένος Ol. II, 53. Conf. etiam Theogn. 493 sqq. Welck. — κεκραμένον, mixtum, sociatum. — καθαρᾷ, praeclara, ut alias καθαρόν pro claro, illustri dicit, cf. Ol. VI, 23. — βροτήσιος ἀνήρ, additum propter praestantiam rei, quae paucis mortalium contingit. — ἑπέταν, socium, ut ἕπεται, ὀπηδεῖ πλοῦτος, ὄλβος, εὐδαιμονία. — πολύφιλον, expetitum et exoptatum. — ἀνάγῃ, post verba πότμου παραδόντος, h. e. post notionem dandi, accipio pro domum ducat, consequatur, aptissimo sensu in re rara et expetita, significatione autem verbi nota, ut Hom. Od. III, 272. IV, 534. Ac respondet huic verbo sequens μετα-

νίσσεαι. Ceterum diversus locus Pyth. VI, 47. — V. 5 sqq. „O beate Arcesila, tu eas inde a clarae vitae primis gradibus cum gloria consectaris per Castorem," h. e. tu inde ab ineunte aetate studes tibi adiungere talem socium et habere ornatas virtutibus opes idque felicissimo successu. V. 6 sqq. Verba αἰῶνος ἀκρᾶν βαθμίδων ἄπο cum Scholiis de ineunte aetate capio per hyperbolam laudis, ut infra 107. ἀπὸ ματρός et Cicer. Brut. 33. doctus a puero. Ac gradum aetatis Cicero dixit Epist. ad Famil. III, 11. et Lucret. II, 1122: gradus aetatis scandere adultae. [Rectius Pindari mentem assecutus est Rauchensteinius I, 11 sq.: „Tu profecto eas (divitias cum virtute sociatas) sectaris a summo beatae vitae fastigio profectus, h. e. in summa dignitate regia constitutus." Ceterum μετανίσσεαι et ἀνάγειν πολύφιλον ἑπέταν ita ad se referuntur, ut eadem subsit imago.] — κλυτᾶς, claras per res gestas. — μετανίσσεαι, consectaris, non divitias per se, sed virtute ornatas, h. e. tu illam societatem opum et virtutis consectaris, breviter loquente poeta, sed tamen recte. Explices hoc ita, non tam divitias consectatum iuvenem, quas hereditarias habuerit, quam virtutem, et intelliges certaminum curulium nobile studium, quibus Arcesilaus quam primum potuerit operam dederit, pecuniam quidem impendens, virtutis vero laudes colligens. Ac vid. infra 108. Verum ut dicam quod sentio, ex hac ratione non bene dixit Pindarus, divitias tamen laudans quaesitas, non solam virtutem; et quum Arcesilaus et divitias et virtutis gloriam hereditariam haberet, quidni ipse mature auxerit utrumque, quidni etiam de bellis cogitemus a bellicoso iuvene gestis (cf. v. 106.), fortasse iam sub patre etiam, quibus et gloriam paraverat et opes ex praeda? Castoris vero nomen utrique generi certaminis aptum. De Tyndaridis curulium certaminum rectoribus cf. Ol. III, 36. Iidem quum apud Spartanos in bellis praeirent (Müller. Dor. I. p. 408. II. p. 336.), potuerunt idem Cyrenis facere, ubi colebantur. Nec non epitheton χρυσάρματος convenit, si currus Cyrenaeorum bellicos memineris, cf. ad Pyth. IV, 87. Sic μετανίσσεαι ab omni parte aptum, nec offendor eo, quod πότμου παραδόντος praecessit, quum et hominum et deorum partes sint in talibus. Totum locum Boeckhius meus aliter interpretatur sic: Tu redis summa cum gloria a summis beatae vitae fastigiis, a Pythica victoria, quam Castoris debes beneficio. Neque enim opus, ait, ut Arcesi-

laus Pythiis affuerit; tamen dici poterat: modo redis, modo venis a summo hoc gloriae fastigio. In quo dissentio ab amico, et probo Tafelii sententiam negantis regem dici posse redire, qui non abfuerit, inprimis quum mox Carrhotum iubeatur rex benevole excipere reducem. Quod vero Tafelius *μετανίσσεαι* hic administras explicat, improbo; Arcesilaus iterum iterumque ludicra certamina et bella adeundo quaerebat laudem virtutis cum opibus iunctae, quae non uno facto, sed continuato studio paratur et conservatur. — *σὺν εὐδοξίᾳ*, victoriis reportatis. — *ἕκατι*, cf. Ol. XIV, 20. Cultos vero Castores Cyrenis docet hoc loco Boeckh., et Thrige pag. 290. — V. 10. *εὐδίαν — ἑστίαν*, qui deus eximie tibi favet, sed pro hoc specialem sententiam substituit e turbis civilibus paullo ante ortis et repressis ductam: Qui post hibernum imbrem serenitatem defundit in beatam domum tuam, post res adversas victoriae laude te exhilarans. Sic praesens documentum favoris luculentissimum ponitur pro universa declaratione favoris. — *καταιθύσσει*, lumina serenitatis defundit et demittit, *καταχεῖ*, cf. ad Ol. VII. fin. — *ἑστίαν* est pro *εἰς ἑστίαν*, opinor. Hermannus ait: Loquutione usus est satis trita, verbum cum nomine pro solo verbo vel verbo cum adiectivo ponens: *εὐδίαν ὃς καταιθύσσει ἑστίαν* pro *ὃς εὐδιανὴν ποιεῖ τὴν ἑστίαν*. Perperam. Nihil talibus explicationibus contortius. Nostra explicatio obversata videtur Matthiaeo Gr. §. 378. not. 3. pro *τεᾶς ἑστίας* accipienti. Ceterum de nupera seditione vidimus ad Pyth. IV. Quam lenius metaphora significat, eaque aptissima, quum Castor etiam tempestatum domitor sit, cf. Plutarch. de Oracul. Defectu, cap. 30. Horat. Carm. I, 3. init. ibiq. interprett. Welcker. Trilog. Aesch. 229. Denique haec ultima sententia ut suaviter claudit antecedentia, quum mentione adversarum rerum augeatur iucunditas secundarum, ita praeparat sequentis loci admonitionem.

V. 12—55. Fortunam regis insignem praedicans commendat simul pietatem adversus deos et gratum animum adversus amicos opportunissima admonitione post turbas civiles modo repressas. Nexus vero sententiarum hic: Sapientes pulcrius ferunt etiam permagnam fortunam; tu habes permagnam fortunam, quum rex sis multarum urbium et nunc victor in Pythiis; age sis igitur sapiens, deos colens et amicos, pro amicis autem nunc Carrhotus est. — V. 13. *καὶ τὰν θεόξδοτον δύναμιν*. Est *θεόξδοτος*

magna, eximia felicitas; cf. ad Ol. II, 36. — *δύναμιν* dixit et regiam potentiam intelligens et divitias, quibus victoriae parantur. — V. 14. *ἐρχόμενον ἐν δίκᾳ*, quum sis probus et iustus vir. — V. 15 sqq. Partim enim quod rex es magnarum urbium, habet congenita praestantia tua optimum et praestantissimum munus hoce, animo tuo tributum; accentu rhetorico sententiae in verbis *αἰδοιότατον* et *τοῦτο* ponendo. (*Erstlich insofern du König grofser Städte bist, hat deine angestammte Vortrefflichkeit die gröfste und erhabenste Ehrengabe hieran, die deinem Geiste zu Theil geworden.*) Vides minime ieiunum esse *τοῦτο*, sed optimum et optime collocatum; separatum enim a substantivo *γέρας* et sequenti membro interpositum fortiorem accentum consequitur. — V. 16. *μεγαλᾶν πολίων*, cf. supra Pyth. IV, 15 et 19. — V. 17. *συγγενὴς ὀφθαλμός*, innatum, congenitum virtutis et praestantiae lumen. Sic lumen probitatis et virtutis in aliquo dixit Cic. Amicit. 8. *ὀφθαλμός* est res aut persona lucens, ut de viris Ol. II, 10. VI, 16. et *ὄμμα* de *ὄλβῳ* infra 52. Ac potest haec notio per se aeque bene subiecti locum occupare ac praedicati. — V. 19. *αἰδοιότατον*, ut sunt *αἰδοῖοι* reges. — V. 20. *τεᾷ μιγνύμενον φρενί* non vacat. Praeclarissimum, ait, quod quidem tibi contingit. Igitur *τεᾷ φρενί* ornatius est, tuo animo pro tuae praeclarae personae. Optime conferas Isthm. III, 5: *πλαγίαις δὲ φρένεσσιν* (*ὄλβος*) *οὐχ ὁμῶς πάντα χρόνον θάλλων ὁμιλεῖ*. Hoc loco Pindarus simul verum sensum verborum *συγγενὴς ὀφθαλμός* hac loquutione monstravit esse animi lumen, non corporis, cui illud *γέρας* contigerit. De voce *μίσγεσθαι* cf. ad Ol. I, 22. Boeckhius vero et Hermannus vertunt: tua temperatum sapientia, Tafelius: cum tua iunctum sapientia. [Heimsoethius p. 34. vulgatam ita enarrabat: „Te magna felicitas circumdat. Primum, quia rex es magnarum urbium, innatus splendor venerandissimum habet hunc honorem tuae mixtum menti.“ Quibus poetam tria copiose cumulavisse: primum *εὐγένειαν* viri natu ideoque oris honestate nobilissimi (*συγγενὴς ὀφθαλμός*) (?); dein regiam dignitatem; denique dignitatem hanc ingenii dotibus auctam. Contra Rauchensteinio p. 12. *ἔχει συγγενὲς ὀφθαλμὸς αἰδ. γέρας* coniicit, h. e. „primum quod rex es magnarum urbium, tenet (vel tuetur) oculus tuus a maioribus tuis acceptam maxime venerabilem hanc dignitatem temperatam tua sapientia.“ In quo permire dictum est *ὀφθαλμὸς ἔχει συγγενὲς γέρας*. Audacius locum

tentavit Ahrens diss. de crasi et aphaer. p. 18. Nam quum libri *αἰδοιέστατον* exhibeant contra metrum, corruptelae id indicium ratus ita conformat locum: *ἔχει συγγενὴς Ὀφθαλμοὺς Αἰδὼς, ἐρατὸν γέρας κτλ.*, quorum hunc vult esse intellectum: „Tu felicissimus es: partim quoniam magnarum urbium rex es, reverentia ingenita (a patribus per hereditatem accepta) oculos tenet, gratum hoc donum tuo animo se insinuans." Egregie Ahrenti videtur veneratio regiae maiestatis in vultu conspicua comparari cum donis, quae ab iis, quibus aditus ad regem dabatur, offerri solerent. Nunc demum verba *τεᾷ τοῦτο μιγνύμενον φρενί* satis intelligi posse. Ego hoc ipsum nego: nam verba illa sic demum satis intelligo, si cur *αἰδοιότατον γέρας* sit regia potentia Arcesilai iis declaratur. Cernitur autem *τὸ αἰδοῖον* illud in eo, ut praeter potentiam Arcesilaus intelligentia atque prudentia excellat. Praeterea *συγγενὴς αἰδώς* si scriptum esset, tamen ad Arcesilaum unum posset referri, non ad homines Arcesilaum venerantes. Omnino sententia universa vereor ut antiquam simplicitatem habeat. Ego etiam nunc in Hermanni emendatione acquiesco, de qua v. not. crit. In qua verba per se ambigua *συγγενὴς ὀφθαλμός* explicantur accuratius sequentibus simulque indicatur, quod infra amplius persequitur poeta, inde a Batto claram fuisse gentem regiam.] — V. 21. *μάκαρ δὲ καὶ νῦν*, post *τὸ μέν*, quod remotius, recte mutavit constructionem, oratione etiam magis poetica. — V. 22. *δέδεξαι τόνδε κῶμον ἀνέρων*, qui victoriae laudem consequutus nunc hanc pompam accepisti in tuum honorem per urbem incedentem. — V. 23. *Ἀπολλώνιον ἄθυρμα*, Apollineum oblectamentum, ut Anacr. carm. 53. *Ἀφροδίσιον ἄθυρμα*, h. e. iucundissimum *κῶμον*, quo ipse Apollo oblectetur. Nota enim per totum locum id agere poetam, ut amplificet, quantum possit, fortunam Arcesilai. — V. 24. *Κυράνᾳ γλυκὺν ἀμφὶ κᾶπον Ἀφροδίτας ἀειδόμενον*. Sensus videtur esse debere: qui in praeclara urbe, amoenissima in regione sita, caneris, ut hoc quoque ornamentis accedat, quae benigna fortuna regi contigerunt. Quare in eam sententiam inclino, ut urbem, in qua Venerem cultam Boeckhius ostendit et Thrige p. 287., traductam Cytheris, ut Müllero videtur, cum proximis regionibus propter insignem amoenitatem hortum Veneris dici existimem a Pindaro, veluti Pyth. II. init. Syracusas *τέμενος Ἄρεος* dixit. Placuit idem Tafelio, qui bene rosas Cyrenaicas memorat celeberrimas, de quibus exponit Thrige p. 319. Rosae vero *Ἀφροδίσιον ἄθυρμα*.

Igitur *Κυράνᾳ* cum emphasi dictum, ut Patrocli nomen Ol. IX, 75. et verba *γλυκὺν — Ἀφροδίτας* per amplificationem adiecta. Boeckhius meus, ut solebat Venus in hortis coli, peculiarem quendam hortum intelligit, Veneris dictum, quem pompa tetigerit praetereundo. Sed hoc minus placuerit, si causa dicti ea est, quam posui. — V. 25. *ὑπερτιθέμεν*, universae felicitati tuae deum nominatim Apollinem auctorem superponere, qui et regiam dignitatem familiae tuae dedit, ut *ἀρχαγέτας* (60.), et nunc tibi victoriam. Nam Apollinis cultum non dubium est maxime commendari hoc carmine Arcesilao, utpote labante imperio regio. — V. 26. *φιλεῖν δέ*, post deum universae felicitatis auctorem etiam Carrhoti aurigae meritum agnosce. — V. 27 sqq. Qui non praetextus inanes et excusationes rediit afferens, quales incauti et imperiti aurigae afferunt, post casum sapientes, non ante, pro hoc brevius, concinnius, ornatius dixit ita: Qui non Epimethei sero cogitantis filiam excusationem attulit. Poeta illustraturus meritum Carrhoti utitur antithesi, et opponit imperitos aurigas eorumque excusationes, ut sic maior appareat et splendidius luceat Carrhoti laus. Iam si dixisset simpliciter *οὐκ ἄγων πρόφασιν*, dixisset obscure, non plene, omninoque phrasis magnitudine sequenti fuisset impar. Addendum igitur aliquid fuit; poeta Epimethei nomen addidit, felicissime hoc verbo comprehendens quae ego ante multis verbis circumscribens ieiunus fui. Verum, ais, illud remanet vituperatione dignum, quod personam nobis aliquam Excusationem produxit. Minime fecit, respondeo; *πρόφασις* hic non magis dea est quam Nem. IV. init. *Μοισᾶν θύγατρες ἀοιδαί* personae sunt, cf. dicta ad Ol. II, 32. — V. 29. *θεμιςκρεόντων*, tenebis publice haec cani populo. — V. 31. *ὕδατι Καστᾰλίας ξενωθείς*, ad Castaliam hospes receptus; non peculiari hospitio, sed sic, ut ludorum tempore omnes certatores et spectatores. [Ulrichs Itin. I, 20: „*Bevor die Kampfspiele begannen, kamen die Kämpfer nach Delphi, reinigten sich am kastalischen Weihbrunnen und verrichteten im Tempel des Apollo ihre Gebete.*" Adde p. 48. et 55 sq.] — *ἀρισθάρματον γέρας*, praemium, coronam praestantissimo currui debitam, circumdedit comis tuis, paravit tibi in hippodromo Delphico, *ποδαρκέων δώδεκ' ἂν δρόμων τέμενος*, in sacro luco duodecim velocium cursuum. Quum enim *πώλων* certamina octo cursus habentia tum nondum essent, cf. Pausan. V, 8., sed tantum adultorum equorum, quibus duodecim cursus praescripti (cf. ad Ol. II, 50.),

recte hippodromum, locum sacris ludis consecratum, sic designare potuit ornatius; nam ornatum hic ubique quaerit. Atque δρόμοι ποδαρκεῖς sunt ut ὠκύπους ἀγών Soph. Electr. 699. Denique ἀκηράτοις ἀνίαις, integris habenis, non confusis ruptisque, ut saepe aurigae loris impliciti, curribus excidentes, cf. Markland. ad Eurip. Suppl. 689. Dixit nunc ita propter sequentia; sensus vero: perita et felici aurigatione paravit tibi victoriam. [Ulrichs Itinerar. I. p. 10: „*In der Nähe der Ruinen Cirrhas war der Hippodrom errichtet und noch zu Pindars Zeit auch das Stadium (der Hippodrom lag im geweihten Felde, weſshalb ihn Pindar δώδεκα δρόμων τέμενος nennt), s. Pyth.* XI, 20. 73. *Der gröſsere Hippodrom blieb immer in der Ebene am Meere, für das kleinere Stadium fand man später in der Nähe Delphis einen Platz. Wegen dieser Lage des Stadiums zu Pindars Zeit nennt der Dichter den pythischen Wettlauf einen Kampf in tiefer Wiese unter Cirrhas Felsen (Pyth.* X, 23.), *womit der schroffe Berg Cirphis gemeint ist, unter dem die zerstörte Stadt und das geweihte Feld lag.*"] — V. 35 sqq. explicationem habent ambiguam propter locorum rationem. Primum partes et instrumenta currus, ἕντεα, dicuntur sollertium fabrorum artificia, δαίδαλα pro δαιδάλματα, substantive ut Hom. Il. XIX, 13. 19. Od. XIX, 227.; currus enim Cyrenaici celeberrimi fuerunt artis praestantia, v. Athen. III. p. 100. F. c. Casaub. not. Hinc nunc ut donarium suspenditur currus; et fuerunt plures Delphis inter donaria, cf. Thrige p. 345 sqq. Porro κοιλόπεδον νάπος θεοῦ aut convallis est (*Waldthal*) inter Delphos et Crisam, in qua hippodromus, Κρισαῖαι πτυχαί VI, 18., idque simplicissimum est, etiam Müllero iudicante, aut pro urbe Delphorum ipsa dicitur, aut denique est media sola pars urbis proprie νάπη appellata, quae Boeckhii sententia. Denique Κρισαῖος λόφος aut inter hippodromum et Delphos fuit, uti Boeckhius credit, aut, quod ego praetulerim, inter hippodromum et Crisam s. Cirrham, quae duo nomina Pindarus non distinguit, cf. Boeckh. et Müller. Orchom. p. 495. [Ulrichs l. c.: „*Zum Andenken an den Untergang Cirrhas, der die Einsetzung der neuen gymnischen Kämpfe möglich gemacht hatte, und zugleich weil in der Nähe der geschleiften Mauern die neuen pythischen Spiele gefeiert wurden, nennt sie Pindar Cirrhas Wettkämpfe.*"] Iam vide mecum universam sententiam. Post primum hoc diceret Pindarus: Nihil fregit, sed reducta sunt ex certamine et dedicata deo omnia, quae deduxit in certamen. Si

enim Crisaeus collis proxime prope Crisam s. Cirrham erat, ubi appulerat Carrhotus Cyrenis veniens, verba hunc sensum habere possunt: Omnia quae (profectus a Cirrha) superavit Crisaeum collem in planitiem dei deducens, ad hippodromum in certamen. Atque haec explicatio simplicitate se commendat. Ceterum ἄμεψεν est superavit, velut Aesch. Pers. 68. Alia ratio sententiae haec est: Omnia suspensa sunt Delphis, quae Carrhotus deduxit Delphos, quum primum veniret. Hoc sequuntur Thierschius et Tafelius, qui verba κοιλόπεδον νάπος θεοῦ ad solam urbem revocant, sine idonea causa, ut videtur. Ac Carrhotum cum curru ante certamen Delphis fuisse et omnino certatores cum curribus et equis ante certamen Delphos adisse indeque redisse ad hippodromum, dubitari posse censet Müllerus, cui vulgo currus in planitie remansisse videntur cum famulis, certatore ipso Delphos petente, ut deo sacrificaret. Post certamen demum Carrhotum currum duxisse ad urbem. Denique Boeckhius, ceterum κοιλόπεδον νάπος ad mediam solam partem urbis revocans, ita vertit: Omnia suspensa sunt, quae in reditu ex Crisaeo hippodromo, superato qui inter Cirrham et Delphos est Crisaeo colle, in mediam Delphorum urbem deduxit, ut dedicarentur. Haec sententia eo laborare videtur, quod sic his verbis non dicuntur omnia instrumenta currus salva. Nam si suspensa quae ex hippodromo reducta, fac dimidiam partem reductam, etiam haec dicetur suspensa; nunc autem etiam antecedens sententia opposita postulare videtur, ut notio: omnia expresse significata habeatur. Haec hactenus; eliget lector ipse. [Hermannus Opuscc. VII, 148: „*Κρισαῖον λόφον* quum ἀμεῖψαι dicitur Carrhotus, est id de ipso certamine intelligendum. Ita patet recte dictum esse ἄγων tempore praesenti. Iam currus suspensus est ἀνὰ κοιλόπεδον νάπος θεοῦ: nam quis in poeta non ferat, etiamsi in templo Apollinis [? in thesauro Cyrenaeorum] dedicatus sit currus, universe vallem, in qua urbs cum templo sita est, nominari?" Aliter Ulrichsius l. c. p. 19: „*Crissa lag unter den Felswänden des Parnasses. Pindars Angabe, daſs man vom Hippodrom über den crissäischen Abhang nach Delphi hinaufsteige, läſst keinen Zweifel übrig, daſs das Stephani die Ruinen Crissas sind.*" Cfr. ad P. VI, 6.] — V. 40. τό, quare, redeunte poeta ad antecedentia, sed sine emphasi. Hinc, ait, quia nihil omnino fregit; potest enim aliquis victor esse et tamen quaedam frangere. [Erasmi Schmidii emendatio a facilitate sane commendata χειράρα

τέκτονος ἀγάλματ' patronum nacta est Rauchensteinium I, 13. Mihi singularis numerus displicet. Sed quod idem vir doctus τῷ σφ' ἔχει coniectat, non facturus erat, si Dissenii verissimam explicationem reputavisset.] — κυπαρίσσινον μέλαθρον, cupressinus tholus aediculae sive thesauri. Ibi suspensus currus prope signum Apollinis, ut videtur, memorabile, quod Cretenses posuerant τέγει Παρνασίῳ, in hoc Delphico thesauro, τὸν μονόδροπον, ex uno ligno constans, ut truncus, caput, pedes, brachia natura cohaererent, φυτόν, natum, quum lignum natura figuram humani corporis haberet, nec nisi expolitum esset arte; cf. Boeckh. in Nott. critt. [et Hoeck. Cret. III, 161., qui hanc statuam pro signo Daedaleo habitam censet.] Ceterum thesauros civitatum, in quibus donaria, nosti e Pausania; cur autem currus in eo maxime thesauro suspensus, ubi Cretense signum, non constat, nisi quod propter cognationem Battiadarum et Cretensium fieri potuit, Boeckhio iudice, quem vide. Ceterum nec Cretenses hinc sequitur thesaurum Delphis habuisse nec Cyrenaeos, licet Pausan. X, 13, 4. in uno codice sit Κυρηναίων. [Nunc Κυρηναίων ex pluribus libris restitutum est.] — V. 44. ὑπαντιάσαι, obviam ire, excipere. De constr. c. accus. cf. Lobeck. ad Soph. Aiac. pag. 351. Repeti vides a poeta admonitionem v. 24. positam. Non igitur proclivis fuit rex ad merita et officia amicorum agnoscenda et remuneranda; tamen ei maxime opus erat amicis in seditionibus civium. — V. 45. φλέγοντι, illustrant, cf. Ol. IX, 22. — Χάριτες, Ol. VII, 11. Te praedicat cantus. — V. 47. καὶ πεδὰ μέγαν κάματον λόγων φερτάτων μναμεῖα, h. l. qui non labores solos habuisti, sed etiam post labores habes quod iucundum sit, laudes insignes posteras, monimenta virtutis tuae. — V. 50. ἐν τεσσαράκοντα si solum legeretur, crederem Carrhotum quadragesimum fuisse, nunc quum πετόντεσσιν adiectum sit, fuit quadragesimus primus. — V. 54. πόνων, nam fuerat μέγας κάματος. — De οὔτε post οὐ cf. Boeckh. Nott. critt. et Hermann. Annotationes ad Elmsleii Medeam, p. 333. Lips. — V. 55. ὁ Βάττου δ' ἕπεται sqq. Laborum quidem nemo exsors; sed Batti adest antiqua fortuna tamen vincens talia et varia bona afferens. [Cfr. T. I. p. XXXI.] — τὰ καὶ τά, cf. Ol. II, 53. Carrhotus, frater reginae, videtur ipse e Battiadarum gente fuisse. Ac pro rege Battiada certaverat. Iam praestantiam fortunae Batti declarat magnifica oppositione ad commendandos populo

Battiadas accommodata. [De intellectu verborum πόνων δ' οὔτις ἀπόκλαρος κτλ. ita Hermannus p. 149: „Quum de Carrhoto dicta sint quae praecedunt, huic aliquid adversi acciderit oportet: nam quae sequuntur ostendunt de malis et adversa fortuna sermonem esse." Ego cum Boeckhio facio.] — V. 56. πύργος ἄστεος, quamdiu igitur Battiadae regnabunt, munimentum urbs habebit adversus barbaros populos firmissimum. — ὄμμα ξένοισι, lumen, salus advenis mercatoribus, ut κοινὸν φέγγος Nem. IV, 12. Aegina, quum mercaturae causa undique advenae eo confluerent. Ceterum cf. Thrige p. 332.

V. 57—104. Societas fortunae et virtutis in gente Battiadarum. Declaratur igitur Batti conditoris et fortuna, quae tota ab Apolline profecta, et pietas, subiiciturque etiam ceterorum regum honorifica mentio. — V. 57 sqq. Battus urbem conditurus fugat leones locum habitantes, ab Apolline adiutus, quod hic fortunae Batti documentum. De leonibus in Libya maximis vid. Oppian. Cyneget. III, 35 sqq. Cyrenaica regio iis purgata erat, quantum fieri potuit, fortitudine colonorum, terram occupantium, quo pertinet fabula Cyrenae, de qua vid. Pyth. IX. Alia traditio haec est. [Sigulari arte poeta de Batto dicit, mutata vulgari fama, quae a Pausan. X, 15, 6. sic narratur: ἐπεὶ ᾤκισε Βάττος τὴν Κυρήνην, λέγεται καὶ τῆς φωνῆς γενέσθαι οἱ τοιόνδε ἴαμα· ἐπιὼν τῶν Κυρηναίων τὴν χώραν ἐν τοῖς ἐσχάτοις αὐτῆς ἐρήμοις αἰφνιδίως θεᾶται λέοντα, καὶ αὐτὸν τὸ δεῖμα τὸ ἐκ τῆς θέας βοῆσαι σαφὲς καὶ μέγα ἠνάγκασεν. — V. 58. περὶ δείματι, cf. Matth. Gr. §. 397. no. 2. — V. 59. γλῶσσαν ὑπερποντίαν, vocem trans mare afferens validam et inauditam bestiis, quae incantationibus ab Apolline traditis eas terruit, cf. Aristarchum in Schol. et Boeckhium, vel suapte vi, accedente auxilio Apollinis terrorem simul iniicientis bestiis. Atque hoc praestat. — V. 60. ἔδωκε φόβῳ, cf. Ol. II, 82. — V. 62. ἀτελής, ut ratum faceret oraculum, quo Batto Libyae possessio promissa erat. Dativum μαντεύμασιν sic intellige: ut perfector fieret vaticiniis. — V. 63 sqq. Amplius explicaturus fortunam Battiadarum et universae urbis iis subiectae Apollinis favore et patrociniis niti (ad quam sententiam cf. Thrige p. 282.), pergit sic: Qui deus multis modis salutifer, medica arte corpora sanans, musica animos mansuefaciens, oraculis denique condens civitates. Quae omnia nunc propter Cyrenas dicta. Ac primum quidem Apollo ibi haud dubie medicus erat, licet etiam Aesculapius ibi cultus sit, cf. Boeckh. h. l. et Müller. Dor. I. p. 407.

Thrige p. 283. Diana quoque medica interdum, Hom. Il. V, 448. Deinde etiam musicae artes ab Apolline datae vigebant Cyrenis, cf. v. 107. et Pyth. IV, 295. — V. 66. ἀπόλεμον εὐνομίαν, inserens per has animis modestiam et tranquillitatem a bellis intestinis alienam, cf. Iacobs. Delect. Epigramm. p. 377. inprimisque Antonin. Liberal. c. 4., ubi legitur: παῦσαι ἐμφύλιον πόλεμον καὶ ἔριδας καὶ στάσιν, ἐμποιῆσαι ἀντὶ τούτων δ' εὐνομίαν καὶ θέμιν καὶ δίκην. Postremo cf. Horat. Carm. III, 4, 1: „Vos (o Musae) lene consilium datis et dato gaudetis." Nunc autem hoc manifesto propter seditionem, quae fuerat, dictum, praeclare monente Pindaro regem, ut omni studio Apollo colatur, quo musicae artes, quae iam multum contribuerint ad urbis florem, etiam in posterum vigeant magisque augeantur; sic enim sperat regis animum a saevitia, civium animos a seditionibus aversum iri. — V. 68. μυχὸν μαντεῖον, recessum fatidicum, h. e. Delphis oracula edit. Est μυχός igitur de valle sub monte Parnasso. Oracula in multis quidem rebus deus edit, sed nunc de civitatibus conditis agi sequentia docebunt. Accipe iam sensum universi loci paucis redditum: Qui hodieque corporibus et animis vestris salutiferum se praebet et in posterum utinam pergat, olim vero civitatem vestram condidit oraculis auspiciisque suis. — V. 70 sqq. succedit iam locus difficillimus de Cyrenis conditis, in quo explicando dissentiunt dissentientque viri docti, nec ego mihi plus aliis arrogo sagacitatis. Nexus universus videtur hic: Docere vult Cyrenas Apollinis auspiciis conditas. Quum autem Sparta metropolis esset Cyrenarum et Cyrenaci Dores esse vellent, cf. Müller. Dor. I. p. 123., orditur necessario a migratione Dorica in Peloponnesum, Apollinis auspiciis facta, ut a vero rei principio. Fuit autem inter Spartanos magna gens Aegidae (Herod. IV, 149.), qui orti Thebis (cf. Isthm. VI, 15. ibiq. not.), sed egressi omnes, inter ceteros Dorienses in Peloponnesum venisse credebantur cum Carneis sacris sibi domesticis, inde in Laconicam propagatis. Ex horum posteris Theras Sparta coloniam duxit in Theram auspiciis Apollinis; cum Aegidis etiam Minyae profecti ad Taenarum habitantes, cf. Pyth. IV. Aegidae tamen duces et reges Therae. Thera alio tempore Cyrenas venit Euphemida Battus, Minyis expeditionem ducentibus, non Aegidis, quorum tamen pars se adiunxisse videtur. Sic Carnea Apollinis Sparta per Theram Cyrenas delata. Haec omnia Pindarus mirabili brevitate complexus est et

plus etiam. Etenim quum Aegidae haberentur etiam Thebis et Pindarus ipse Aegida esset, Theraeis Aegidis cognatus, ne credas Aegidas directe Thebis in Theram venisse, non profectos e Peloponneso Dorica nec Dorica migratione, Doricarum civitatum principio, in Peloponnesum delatos, consulto addit suos quoque patres Aegidas a Spartanis Aegidis ortos; atque haec mihi primaria causa esse videtur, quare sui mentionem iniiciat, ut de universae rei historica ratione, qualem ipse narrare volebat, plane constaret. Iam vide paucis rerum nexum: Fuit primum migratio Doriensium in Peloponnesum, cum quibus venit tota Aegidarum gens Spartam; pars Aegidarum inde cum Minyis migravit Theram, Minyae postea cum Aegidis Cyrenas. Pro his Pindarus: „Fuit primum Dorica migratio in Peloponnesum; ego vero a Spartanis Aegidis ortus sum (h. e. omnes omnino Aegidae Dorica migratione Spartam petierunt). Sparta Theram profecti sunt, a quibus et ipse descendo, Aegidae, non sine deo, sed quum in fatis esset, ut Carnea Cyrenas venirent. Cyrenaicam regionem Antenoridae insederant olim; huc deinde venit Battus." — V. 70. τῷ, quo, eo quod tenet fatidicum locum. — V. 72. ἔναισεν, habitare fecit, [cfr. Pyth. I, 52.] Notum vero triplex regnum in Laconica, Argolide, Messenia. Cet. cf. ad Pyth. I, 62. — V. 73. τὸ δ' ἐμὸν sqq., meam gloriam, meas origines dicunt a Sparta esse. Verissime Boeckhius meus Pindarum de se ipso loqui contendit; nam in dramatica quidem poesi et in epica (praeter invocationes Musarum similesque locos) prima persona eorum est quos poeta loquentes introducit, at in lyrica ipsorum poetarum, nisi ubi etiam hi aliorum verba directa oratione narrant, idque diserte significant. Tam aperta est haec differentia horum generum, ut iure mireris non statim ab omnibus intelligi. Frustra dices: in plerisque Pindari locis „ego" sane poetam significat, at interdum tamen hic repente dramaticum agit et chorum a te non monito postulat ut intelligas. Minime vero: lyrica et dramatica diversa sunt et manebunt, ac ne semel quidem potest admissum esse quod ab indole lyricae poesis alienum est. Denique quod chorum Cyrenaicum censent nunc loqui de se, ego vehementer dubito hunc ex solis Aegidis constitisse, cui probabile est etiam Battiadas multos interfuisse aliosque. De constructione γαρ. ἀπὸ Σπ. sc. ὄν s. εἶναι cfr. ad Nem. IX, 43. — V. 76. ἐμοὶ πατέρες. Fuerunt patres Pindari in Thera, ut ipse dicit; inde igitur in tot migrationibus Graecorum huc illuc

pars Aegidarum Thebas, priscam universae gentis sedem, rediérat, atque hinc ortus Pindarus. Dissentio hic a Boeckhio meo, qui Pindari parentes dicit non eos, qui Spartam abierint et Theram, sed qui Thebis remanserint. Mea sententia Aegidae Doricae migrationis tempore dicuntur Thebis egressi omnes et Doriensibus adscripti. Ceterum poeta suum nomen immiscens simul significat se ex veritate omnia tradere, ut ipsum cognatum iis, de quibus dicat; ac non parvum pondus etiam admonitionibus suis accedit. — V. 77. πολύθυτον ἔρανον sunt Carnea; ἔρανον, ait Boeckhius, quum singuli victimas conferrent, ut quasi de symbolis coenaretur. De Carneis per Aegidas propagatis vide Müller. Orchom. p. 327. Tum cum Hermanno et aliis iungo: ἀλλὰ μοῖρά τις ἄγεν πολύθυτον ἔρανον Κυράνας ἀγακτιμέναν πόλιν, Boeckhius post ἔρανον interpungit. At enim Thera hic unice propter Cyrenas memoratur, quo tendunt omnia per totum locum; quare videtur mihi oratio non subsistere debere in medio cursu. Non dicere debet: Aegidae Theram venerunt, quum in fatis esset, ut Carnea in Thera essent; sed hoc: Aegidae Theram venerunt, quia in fatis erat, ut Carnea Cyrenas venirent. — V. 78. Verba ἔνθεν ἀναδεξάμενοι, Ἄπολλον, τεὰ Καρνεῖα ἐν δαιτὶ σεβίζομεν Hermannus sic explicat: inde, ab illo sollemni, nos quoque duximus Carnea eaque in epulis celebramus. Ac si Dorica migratione Aegidae omnes Spartam migrarunt, Pindari vero maiores Thera venerunt, concedendum est, quae tum Thebis habebantur Carnea, ducta esse ab illo sollemni, quod Aegidae Theram adduxerant. σεβίζειν, pie facere, agere, ut θυσίας σεβίζειν θεοῖς Eurip. Helen. 1373. Boeckhius vero aliter interpretatur locum, prout ipse constituit, sic: „Unde receptam, Apollo, tua, Carnee, in comissatione verecundamur Cyrenae pulcre exstructam urbem." Ut Thebani Cyrenas in sollemnibus suis celebrare dicantur. Ceterum ἀγακτιμένα urbs ob magnificentiam aedificiorum, quam etiam rudera testantur. Pyth. IX, 69. καλλίστα. Vide etiam infra v. 90 sqq. [Quod ex hoc loco variis interpretum opinionibus mirifice vexato discimus, poetam Aegidarum gentilem fuisse, confirmatur titulis Anaphaeis, in quibus nomen Πίνδαρος Aegidarum genti familiare — Anapha autem Therae vicina habebat Aegidas et ipsa — identidem recurrit, cfr. Boeckh. C. I. II. p. 1092. et Symboll. meas poett. lyr. p. 84. et vide T. I. p. LXXXIII. Conati autem multi homines docti post Dissenium sunt huic loco et

integritatem suam reddere et veram mentem poetae eruere subtilius. Quorum sententias percensere inutile est, postquam G. Hermannus felicissime perfecit quod frustra annisi erant alii. Sed qui cognoscere varias opiniones volet, adeat Heimsoeth. p. 35., Rauchenstein. Introd. p. 54., Commentatt. Pind. I, 13 sqq., postremo eundem in Bergkii et Caes. Diar. Antiq. 1847. nr. 91. p. 735 sqq. et T. Mommsen Pindar. p. 10 sqq., ubi quae de Pindaro Aegidarum gentili disputaverat in Bergkii et Caes. Diar. 1845. nr. 1. 2. vernaculo sermone repetiit. G. autem Hermanni commentatio extat in libellis qui inscribuntur: *Berichte über die Verhandlungen der kön. Sächs. Gesellsch. der Wissensch. zu Leipzig*, a. 1847. VI. p. 221 sqq. Profectus vir venerabilis ab eo, non esse credibile, quod quidam interpretes sumpserunt, Aegidas quidem Thebis Spartam migrasse omnes, sed proavos poetae vel plures vel unum aliquem Thebas remigravisse, singulas difficultates deinceps excutit. Quo facto verissime e fluctuantibus librorum scripturis hanc priorum verborum speciem elicit: τὸ δ' ἐμόν, γαρύειν ἀπὸ Σπ. κτλ., h. e. meum autem est, iucundam famam a Sparta (ortam) celebrare: cum τὸ δ' ἐμόν verbis compara Pyth. XI, 41. Isthm. VII, 38. Porro σεβίζομεν non videri sincerum esse: quo in σεβιξέμεν mutato apparere simul ἀναδεξάμενοι deberi iis qui, quod infinitivus postulat, ἀναδεξαμέναν illi σεβίζομεν assimilavissent. Sic demum clare dici id quo omnis tenor loci tendat, Carnea divinitus venisse Cyrenas: vulgo enim de Thebanis Carneis Thera repetitis vel de Cyrena nympha et urbe in Thebanorum festo celebrata cogitant. Postremo γεγενναμένοι nec ipsum posse pro incorrupto haberi: quippe fidem excedere, gloriatum esse Thebanum poetam, se per patres suos Aegidas Sparta ortum esse. Quare reddito poetae κεκοιναμένοι hic existit universi loci habitus: τὸ δ' ἐμόν, γαρύειν Ἀπὸ Σπάρτας ἐπήρατον κλέος, Ὅθεν κεκοιναμένοι Ἵκοντο Θήρανδε φῶτες Αἰγείδαι, Ἐμοὶ πατέρες, οὐ θεῶν ἄτερ, ἀλλὰ μοῖρά τις ἄγεν, Πολύθυτον ἔρανον Ἔνθεν ἀναδεξαμέναν Ἄπολλον τεᾷ Κάρνειε Ἐν δαιτὶ σεβιξέμεν Κυράνας ἀγακτιμέναν πόλιν, h. e. „Mir ziemt es, von Sparta eine erfreuliche sage zu singen, von wo theilhaber des zugs, die Aegiden, meine väter, nach Thera kamen, nicht ohne göttliche fügung, sondern ein geschick führte sie, damit von dort aus die festgegründete stadt Kyrene das opferfest aufnehmen und bei deinem mahle, o karneischer Apollon, feiern sollte." Addit Hermannus nunc etiam cum Herod. IV, 147. haec con-

gruere, qui cum Spartanis Aegidas testatur Theram venisse. Simul tangi illud, Aegidas non solos, sed cum Spartanis venisse Cyrenas, poetam autem hac gentilium suorum communione excitari ad Aegidarum memoriam instaurandam, qui cum urbe genteque regia illo modo coniuncti erant. — Ceterum quod Mommsenius ad explicandum vulg. σεβίζομεν suspicabatur, ipsum tunc Pindarum Cyrenis affuisse eoque die festo Apollinis cum gentilibus suis Cyrenam urbem celebravisse, id scite excogitatum — favet enim eximie, quod Pindarus loca ipsa Cyrenarum civiliumque rerum turbas accuratissime cognitas habet — vel sic potest verum esse, etiamsi iam non eo confugere coacti sumus. Sed qui Hermanni conformatione ultimorum verborum spreta in vulgata acquiescent, Mommsenii scitam coniecturam amplectentur.] — V. 82 sqq. Post ἀγακτιμέναν continuans laudem loci addit: Ubi Troiani Antenoridae heroes sunt ἐγχώριοι. Magna enim et eximia laus loci peculiares heroes habere ibi sepultos, quum vulgo coloniae non alios heroes haberent, quam quorum cultum e patria adduxissent. — ἔχοντι, cf. Nem. IV, 49. De Antenoris Troiani filiis cum Menelao Libyam delatis, ubi Antenoridarum collem dictum occupaverant, cf. praeter Scholia Boeckh. et Heyn. Excurs. ad Virg. I, 242. Thrige p. 79. et 292. [et Welcker. Trag. Gr. I, 170.] — V. 85. Nunc tandem ad Battum venit s. Aristotelem, et huius in illas regiones adventum tractat. Quum autem, ut supra expositum, non solum fortunam Batti declarare vellet, sed etiam virtutem, nunc huc revocat orationem atque id agit, ut maxime pium eum fuisse appareat. Talem enim etiam Arcesilaum volebat. — ἐλάσιππον ἔθνος, ob curulia studia a Cyrenaeis regibus continuata bellis et ludicris certaminibus. — V. 86. δέκονται, praesens historicum, veluti Pyth. IV, 163, 4., ceterum rarum apud Pindarum. Studiose eos exceperunt sacrificiis et heroicum cultum iis tribuerunt, adeuntes eos cum donis, οἰχνέοντες, cf. Ol. III, 40. [δέκονται pro praesenti historico habenti Dissenio adversatur Rauchensteinius I, 15. Antenoridas a Cyrenensibus cultos et tanquam heroas ἐγχωρίους donis et honoribus excipi solitos arbitratus.] — V. 88. ἀνοίγων, quum Battus primus viam patefaceret navigantibus in Libyam. — V. 89. μείζονα, quam quae ibi inveniebat. Cave enim Theraea comparari credas. Nempe Antenoridae venerant cum comitibus plebeiis, ac vixerant inde ab hoc tempore hic homines, etsi tenui victu. — V. 90 sqq., inprimisque Apollinem

coluit. Fecit enim rectam planam pavimento inductam viam, quae equis calcari posset in Apollineis pompis, ubi Cyrenaei in curribus transvecti videntur. Haec Σκυρωτὴ πλατεῖα dicta Cyrenis secundum Scholia, nunc autem σκυρωτή adiectivum est, ceterum a σκύρῳ sive λατύπῃ, pavita, cf. Boeckh. Oeconom. civitat. Athen. I. p. 217. et h. l., ubi plura de hac nobili via, add. Thrige p. 99. — εὐθύτομον, recta sectam, quum τέμνεσθαι proprium sit de viis. Hoc tamen loco Boeckhius eam simul saxo incisam probabiliter putat, ut in plano curreret. — V. 91. ἀλεξιμβρότους pompas dicit hominibus salutares. Voluit enim Battus conditor, urbis saluti prospiciens, cultu diligenti Apollinis pompisque magnificis ei ductis arceri mala ab urbe eiusque civibus, ut est ἀκέσιος, ἐπικούριος, ἀλεξίκακος, ἀποτρόπαιος, προστατήριος Apollo, cf. Müller. Dor. I. p. 296. Ducebat autem haec via per urbem ad templum Apollinis, nec dubium etiam huius carminis pompam in ea ductam. — V. 92. Denique ἱππόκροτος, quae quatitur ungulis equorum sonantibus. Similiter de strepitu curruum κρότος est, ut ἅρματα κροτητά, ἵπποι ὄχεα κροτέοντες, κροταλίζοντες, Hom. Il. XI, 160. XV, 453. Nunc ad adiectivum ἱππόκροτος confer οἶμος ἐπίκροτος, multum rotis pulsata et applanata, Anthol. Lips. Iacobs. T. II. p. 63. ibiq. not. T. VIII. p. 193. Denique καλὸν Συρίης ἱπποκρότου δάπεδον in Posidippi Epigr. nr. 3., Anthol. T. I. p. 47. — V. 93. ἔνθα, ibat a foro inde, ubi ad fori extrema Battus sepultus iacet seorsim a ceteris omnibus sepulcris, quae in urbe. Κτισταί enim in foro sepeliuntur, cf. Schol. ad Ol. I, 149. Hoc est illud Batti veteris sacrum sepulcrum Catull. VII, 6. — V. 95. ἥρως λαοσεβής, scil. est, quum conditores post mortem pro heroibus colerentur, cf. ad Ol. VII, 77 sqq. — V. 96. πρὸ δωμάτων, quum opponatur foro, ubi Battus, capiendum sane de via, ac suspicatur Boeckhius haec sepulcra alicubi in via aliqua conspicua urbis fuisse, et quidni ante regias aedes ipsas, quae δώματα? — V. 98 sqq. Verte: Et maguarum virtutum per libamina, rore recreante carminum encomiorum facta (*unter der sprenge ihrer tugenden mit dem thaue der komoslieder*), dum laudantur virtutes eorum cantu hoce encomio, audiunt, opinor, sub terra suam felicitatem et filio Arcesilao communem gloriam iustamque. χεύματα μεγαλᾶν ἀρετᾶν sunt libamina sparsa virtutibus, ut χοαὶ τάφων, unde metaphorica oratio loci tota pe-

tita est, idque pulcherrime post sepulcra modo memorata. Ad constructionem cf. Eurip. Suppl. 974. λοιβαὶ νεκύων, cfr. Herm. ad Soph. Ant. 598. At χεύματα ῥανθέντα, h. e. effusa, ut ἱκμάδα ῥαίνειν. Porro χεύματα ῥανθέντα δρόσῳ κώμων, quae facta sunt rore carminum. In quo dativum attende. Nota sunt στάζειν et stillare c. dat. Dicitur νιφέτω μὲν ἀλφίτοις, ψακαζέτω δ' ἄρτοισιν, ὑέτω δ' ἔτνει, et ὁ Ζεὺς ὕων οἴνῳ Athen. VI. p. 269. Adde ap. Latinos sacrificare, facere agnis, hostiis, litare latice, libare vino. Denique confer ἀκοντίζειν, βάλλειν, alia c. dativo, ad Ol. XI, 72. et Nem. I, 18. Ac ne duplex dativus te offendat, qui non displicuit veteribus, vid. Ol. V, 6: ὑπὸ βουθυσίαις ἀέθλων τε ἀμίλλαις, ἵπποις ἠμιόνοις τε μοναμπυκίᾳ τε. Ipsam vocem δρόσος, quum etiam alibi dicat ἄρδειν δρόσῳ χαρίτων, ῥαίνειν εὐλογίαις, ὕμνῳ, nunc felicissime usurpavit propter χοάς. Et μαλθακᾷ est recreante, Nem. IX, 49. Recreantur enim Manes χοαῖς. Dictum ὑπὸ χεύμασι ῥανθεῖσιν ἀκούειν ut alia innumera, in quibus ὑπό simul, sub significat. Postremo quomodo Manes, virtutes eorum dum canuntur, audiunt felicitatem suam? Nempe κώμων rore sparsae virtutes; discunt igitur encomios cantus nunc apud superos haberi, haberi epinicia, florere gentem Battiadarum. Atque ut tristissimum Manibus audire perditam gentem, interisse nomen suum nec superstitem esse qui mortuos colat, sic laetissimum, si prosperrima omnia comperiunt. [Scripturae nunc repositae haec interpretatio est: quum magnae virtutes victoris tenero rore tinguntur sub epinicii carminis libaminibus, audiunt profecto suam felicitatem etc.] — V. 103. χάριν, decus victoriae, υἱῷ κοινάν, quum non minus patrum sit et universae gentis.

V. 104 — fin. Rediens ad Arcesilaum huius virtutes praedicat et vota facit pro futuro tempore. — νέων, iuvenum, ex quibus chorus compositus. Chorus est eius qui κώμου δεσπότας, ut nunc Arcesilaus. Hic per chorum canit deum. Boeckhius etiam de aliis temporibus cogitare videtur, unde putat adolescentes intelligi lectos e trecentis regis comitibus. — χρυσάορα, aurea cithara instructum, ut Orpheus χρυσάορ Fragment. incert. 84. Boeckh. [fr. Threnor. X, 10.] Plura de hoc epitheto obscuro vid ap. Boeckh. h. l. et Müller. Dor. I, 358. Mitscherl., Ilgen. et Voss. ad Hymn. Hom. in Cer. 4. — V. 105. Quum habeat ex Pythone per victoriam ab Apolline datam victoriale hoc carmen iucundum impen-

sas remunerans. — V. 106. καλλίνικον adiectivum est, similiterque λυτήριον. Alias cantus λύτρον καμάτων, ἄποινα μόχθων, ubi lucta, pugilatu, pancratio certatum, nunc δαπανᾶν, quum rex sumptus fecerit, non corpore laboraverit. — V. 108. λεγόμενον, non mea verba, sed quae alii iudicant. [„Λεγόμενον, ἐρέω est trita dico. Refertur enim ad ea quae sequuntur, quae vulgaris sermonis sunt, esse aliquem κρέσσονα ἀλικίας. Similiter κοινὸν ἔπος dixit Pyth. III. initio." Hermannus p. 151.] — V. 110. φέρβεται, alit, habet. Cf. inprimis τρέφειν, de quo dixit Casaubon. ad Athen. VII. c. 18. p. 549. Erat rex iuvenis. — V. 111. Lingua, dicendi facultate, et confidentia, παῤῥησίᾳ ait Boeckhius, tantum praestat aliis, quantum aquila ceteris avibus velocitate. [Sed vide not. crit.] — V. 114. ἀγωνίας iunge cum σθένος, postulante sententia, certaminis vero robur tanquam murus, ut saepe πύργος, ἕρκος Ἀχαιῶν ap. Hom. Fuisse videri regem grandi statura et insigni robore notavi ad Pyth. IV. Ceterum cave domesticas cum civibus contentiones innui putes; sed disce ex hoc loco, quod ad prooemium conieci, bella gessisse regem cum vicinis civitatibus. — Attende vero ordinem rerum. Laudat primum prudentiam cum peritia confidentiaque dicendi; his opponit bellicum robur, unde nunc infertur δέ. Tum in sequentibus componit musicas ingenii artes et curruum regendorum dexteritatem, quae corporis est. — V. 115. ἔν τε Μοίσαισι ποτανός, *und in den musenkünsten flügge von der geburt.* Nam ποτανός est πτηνός, pulcre dictum, quum Musis volatum tribuere ament veteres, cf. Isthm. I, 64., et artibus musicis qui operam dat, volatu se tollat in altum. Ad verba ἐν Μοίσαις cf. Eurip. Hippolyt. 451. Dicitur de rebus musicis latiore et angustiore sensu. Ceterum de musica apud Cyrenaeos dicit Boeckh. et Thrige p. 354. — Denique ἀπὸ ματρός, cf. ἐκ ματρός Aesch. Choeph. 416., ἐκ γαστρός Theogn. 107. Verbum autem supplendum est πέφανται ex proximis. — V. 116. ἐπιχωρίων καλῶν ἔξοδοι, et quotquot sunt domesticarum laudum aditus, tentavit, quod de curulibus et gymnicis certaminibus intellige in ludis domesticis, de quibus vid. Pyth. IX. Sunt enim haec proxime cum antecedentibus iungenda. De musicis agonibus nihil constat; alioquin etiam hos addere posses. — V. 117. τελεῖ, tribuit, Hom. Il. IX, 157. XXIII, 559. — V. 120. ἔχειν, scil. δύνασιν. — V. 121. δαμαλίζοι, perdat, cf. de his formis Monk. ad Eurip.

Hippol. v. 231. *Χρόνον* intelligo quod tempus maturavit, ut ver (ver sacrum), *θέρος* (*χρυσοῦν θέρος*), *ὀπώρα*, *ὥρα*, auctumnus, annus dicuntur pro iis quae gignuntur his temporibus. Iam sensus: Valeas viribus et consilio etiam in posterum, ne ventus brumalis tibi perdat temporis fructus, h. e. ut arceas seditiones et tuearis fortunae benignae ornamenta. Metuebatur enim finis regni. In tali re metaphora opus fuisse non est quod te moneam. Pergit: Iovis utique mens regit fortunam hominum dilectorum, quare etiam de tuis rebus optima speramus. Iamque mittens istos politicos metus claudit carmen alia re, votis pro Olympica victoria, quam rex parabat atque etiam adeptus est. — V. 124. *δόμεν — ἔπι*, h. e. *ἐπιδόμεν*, addere, praeterea dare.

Carmen Pythium sextum.

INTRODUCTIO.

Victoria reportata est Pyth. 24., Ol. 71, 3., et victor quidem renuntiatus Xenocrates Agrigentinus, frater Theronis, regis Agrigenti, cf. Ol. II, 49.; auriga vero Thrasybulus fuit pro patre victoriam reportans, iuvenis nobilis, etiam Pindaro eximie dilectus. Cantatum Boeckhius suspicatur carmen Delphis, ipsis Pythiis vespere in comissatione, quum poeta expetitos per nuntium versus prompte transmisisset. Ratio carminis vere poetica. Quum enim Thrasybulus pro patre certasset, canit aeternum splendorem victoriae pietate erga patrem insigni reportatae, quum pietas inter principes virtutes sit, a Chirone olim Achilli pro maximo officio commendata post deorum venerationem. Ac quum etiam mythicum exemplum adesse deberet, quo summa pietatis praestantia tanquam in clarissima luce ob oculos poneretur, Antilochi celebratissimi apud Graecos iuvenis nobile factum se offerebat, qui, ut patrem Nestorem morti eriperet, ipse mortem tulit a Memnone caesus. Huic igitur nunc Thrasybulus similis in suo genere, antiquam Nestoridae virtutem luculenter refert, qui pia

mente ad patris Xenocratis patruique Theronis normam se componit, quemadmodum etiam aliis multis virtutibus placet, in fine commemoratis. [Cfr. T. I. p. XXXI., ubi pro Archilochi corrige Antilochi.

EXPLICATIO.

V. 1—18. Principium. Profectione poetica ad Thrasybulum suum canendum Delphos tendit Pindarus, ubi gloria aeterna exstat victoriae curulis. — V. 1 sq. Veneris arva vulgo hic eadem habent quae Gratiarum et Musarum, de quibus vid. ad Ol. IX, 27. Sed hoc sensu *Ἀφροδίτας καὶ Χαρίτων* dicendum erat. Sin *ἤ* accipitur sic, ut alias in eadem re post verbum minus aptum aut definitum additur aptius, nihil hoc loco erit iciunius. Praeterea sine exemplo est Venerem alii quam amatorio generi poesis praeesse, nec potest opponi Prosod. nr. 3., ubi vide. Quare aliter de hoc loco iudico. Ut Musae universam poesin curant, sic Gratiae Pindarico usu *κῶμον* et epinicia [cfr. Engel. Cypr. II, 415 sqq.]; quum autem poeta dilectissimum iuvenem canat, venuste carmen suum sive amatorium sive epinicium dicit, prout spectes; est vero quodammodo utrumque. Atque huc etiam *ἀκούσατε*, quod poeta tanquam praeco exclamat, refero, ut in re singulari. (*Merket auf; denn ein liebeslied ist's oder ein siegeslied, was ich singe.*) [De poetis universe accipit Mommsenius. Vix recte, quum sequatur *ὀμφαλὸν — προσοιχόμενοι.*] — V. 4. *προσοιχόμενοι* de profectione poetica. [Cfr. not. crit.] — V. 5 sqq. Paramus hymnum, ait, Delphos accedentes, ubi praeclara materia hymnorum laudisque exstat genti, urbi et maxime Xenocrati. — *Ὕμνων θησαυρός*, qui *ἑτοῖμος* Delphis est accedenti ibique *τετείχισται*, muris inclusus iacet, vix potest hoc carmen esse, quippe quod nunc demum paratur. Est, credo, gloria victoriae, cum donario comparata, plane ut Ol. XIII, 36. *αἴγλα ποδῶν ἀνάκειται ἐπ' Ἀλφεοῦ ῥεέθροισιν*, et *ἀρετὰ κεῖται* Isthm. IV, 17. [Heimsoethius *ἑτοῖμος ὕμνων* coniungit, h. e. *δυνατὸς παρέχειν πολὺν ὕμνον*. At *ἑτοῖμος* genitivum pati docere debebat.] — Verba *ἐν πολυχρύσῳ Ἀπολλωνίᾳ νάπᾳ* alii omnino pro urbe dictum censent, quae in Schol. ad Iliad. II, 519. antea *Παρνασία νάπη* nominata fertur, collat. Pausan. X, 6, 1. Sic *ὀμφαλὸς χθονός* et *Ἀπολλωνία νάπη* erit idem. Boeckhius autem

mediam urbis partem intelligit, quum urbs tres partes habuerit, superiorem, inferiorem, mediam, quae proprie *Νάπη* dicta. Ac quum *πολύχρυσος* adiectum, *περίβολος* templi sane permagnus, in quo thesauri quos memorat Pausanias, videtur Boeckhio in *Νάπην* descendisse (nam templum ipsum in superiore urbe fuit). Defenditur haec sententia eo, quod Pindarus primum universe videtur urbem indicare per *ὀμφαλὸν χθονός*, deinde specialiter eam partem, ubi thesauri; ac si media pars *Νάπη* dicebatur, pulcre Pindarus hoc nomen respexerit, ut Pyth. V, 87. *σκυρωτὰν ὁδόν* dicens *Σκυρωτάν*. Restat una difficultas haec, quomodo gloria in urbe aut in media urbe dicatur reposita, quae extra urbem in hippodromo reportata est ad Crisam. Nam quod vulgo donaria et thesauri in urbe sunt, non sufficit, nisi etiam haec gloria ibi aliquo modo exstat. Enimvero mea sententia currus, quo vicerat Thrasybulus, repositus est in thesauro aliquo, ut Pyth. V. currus Carrhoti, atque ita etiam gloria Delphos translata; quo respiciens Pindarus, ut solet ubique a praesentibus rebus victorum comparationes ducere, nunc pulcherrime a reali donario ducta loquutione praedicat idealem gloriae laudisque thesaurum iam in *Νάπῃ* repositum. Sic verbum *τετείχισται* ipsa re oblatum est. Boeckhius, qui cum Scholiastis *ὕμνων θησαυρόν* pro ipso hoc carmine accipit, *κῶμον* censet in *Νάπῃ* habitum et propterea hymnum dici ibi *τετειχίσθαι*. Vide tamen Pindarum Nem. V. init. [Ulrichs Itiner. I, 30: „*Die Ἀπ. νάπα liegt Κρισαίαισιν ἐν πτυχαῖς oder ὑπὸ πτυχὶ Παρνησοῖο. Auch erklären die Scholien ersteres durch ἐν Πυθῶνι, letzteres durch ἐν Δελφοῖς.*" Et p. 42: „*Was* Hymn. Ap. Pyth. 284. *κοίλη βῆσσα, ist* Pyth. V, 50. *κοιλ. νάπος und hier Ἀπ. νάπα. Dafs ein Theil der Stadt Delphi νάπη hiefs, widerspricht der Bedeutung des Worts. Auch Strabo bezeichnet mit dem Ausdruck νάπη das ganze Delphische Hohlthal zwischen dem Parnafs und der Cirphis, durch das der Plistus hinfliefst.*" Etiam Hermann. Opuscc. VII, 153. intelligit totam illam Parnassiam vallem, in qua sita erat urbs Pytho.] — V. 10 sqq. Pindarus per totum hoc carminis principium immortalitatem gloriae illustraturus reportatae pergit: „Sed cetera donaria elementorum furori obnoxia deleri possunt, hunc autem idealem gloriae thesaurum nec imbres irruentes, nubis exercitus ferus, nec venti in recessus maris abripient omnis generis colluvie pulsatum." Conferendus ante omnia locus Horatii Carm. III, 30, 3. Ceterum ornatius extulit loquutionem notissimam de ventis auferentibus, cf. Hom. Il. VI, 346 sqq. Od. VIII, 409. Theocr. XXII, 167. Tibull. I, 5, 35. III, 27., ubi venti et nubes memorantur, ut Catull. XXX, 10. Videatur omnino Cerda ad Virgil. Aen. IX, 313. [Similis est Simonidis fr. encom. 1. Del. locus, qui ad discernendam indolem utriusque poetae plane factus est.] — *ἐπακτός*, procul veniens et irruens, ut peregrinus hostilis exercitus, cf. Blomfld. ad Aesch. Sept. 580. — *στρατὸς ἀμείλιχος* per metaphoram dixit, minime vero personificatus est imber. — *πάμφορος χεράς* est colluvies omnis generis, glarea, limo, lapillis aliisque rebus constans. — V. 14. propter vocem *πρόσωπον* personificationem ne inferas, alienam a donarii comparatione per totum locum regnante. Est *πρόσωπον* omnis rei facies externa, cf. Isthm. II, 8., nunc huius metaphorici thesauri, qui pulcrior auro semper faciem habebit splendentem. — *ἐν φάει*, scil. *ὤν*, h. e. *λαμπρὸς τὸ πρόσωπον*. Hom. Il. XV, 643. — *καθαρῷ*. Vox propria de splendido lumine, ut *φέγγος καθαρόν* Pyth. IX, 90. et *ἀμέρας σέλας* Fragm. incert. nr. 3. Deinde cum aliis substantivis iungitur eodem sensu, ut *ἀρετά* est Pyth. V, 2. et *κέλευθος* Ol. VI, 23. — Mox iunge *νίκαν ἅρματι* usu Pindarico, et *νίκαν ἐν πτυχαῖς* scil. reportatam, vid. ad Ol. I, 94. De valle, ubi hippodromus, cf. ad Pyth. V, 36. Denique ad *ἀπαγγελεῖ λόγοις* cf. Pyth. I, 92 sqq. Iam verte: Sed splendens facie et nunquam non integer hic gloriae thesaurus victoriam curulem, patri tuo gentique communem, sermonibus hominum nuntiabit. [Hermannus Opuscc. VII, 154: „Multo et simplicius et venustius ita construetur oratio: *ὁ θησαυρὸς ἀπαγγελεῖ πατρὶ τεῷ πρόσωπον ἐν φάει καθαρῷ κοινάν τε γενεᾷ νίκαν*, carmen hoc patri tuo nunciabit hilarem vultum (i. e. exhilarabit ei vultum) communemque genti victoriam." Longe praefero Dissenii explicationem, commendatam positura verborum *φάει δὲ* κτλ., quae sponte ad *θησαυρόν* applicantur. Praeterea *θησαυρόν* falso Hermannus hoc carmen dici censet. Et aperte *κοινὰν πατρὶ τεῷ γενεᾷ τε* cohaerent.] Perlecto toto loco monendi sunt lectores, ne pro inanibus verbis habeant quae Graecis aliter videbantur. Habet iis virtus, gloria revera aeternam quandam vim solo ei, ubi exstat, ut ita dicam, affixam; quod dicit Pindarus *αἴγλα ποδῶν ἀνάκειται ἐπ' Ἀλφεοῦ ῥεέθροισιν* Ol. XIII, 36., aut Ol. I, 24: *λάμπει δέ οἱ κλέος ἐν εὐάνορι Ἀνδοῦ Πέλοπος ἀποικίᾳ*, id vere creditum est: vivit,

splendet gloria victorum Olympiae, Delphis ceterisque in locis, aeternum affixa ibi et nulla vi delebilis, quamdiu solum ipsum manebit. Sic etiam haec gloria usque splendet et splendebit Delphis, postquam ibi reposita est, et nunc, puto, etiam illud optime intelligimus, cur ab umbilico orsus sit poeta: Habemus aeternam gloriam in aeterno solo splendentem. His explicitis una quaestio restat. Quaenam est huius nunc gloriae tanta tamque insignis praestantia, ut tam insignem laudem poetae mereatur? Nempe, ut docetur sequentibus, est pietatis erga patrem documentum pulcherrimum; pietas autem maxima virtus est post deorum venerationem. Sic igitur pietatis lumen praeclarum est verum huius carminis thema.

V. 19—46. Media pars. Illustratur pietas Thrasybuli. — V. 19. *Σύ τοι σχέθων νιν ἐπιδέξια χειρὸς* cett. verto: Tu consequutus eam (victoriam) dexteritate manus, optimum exsequeris praeceptum a Chirone olim Achilli datum, ut prae ceteris quidem Iovem veneraretur, hoc autem honore (ope manus) ne privaret parentium vitam fato concessam. — *σχέθων* aoristus est, ut constat, quanquam Buttm. Gr. ampl. II. p. 36. (62. Lob.) accentum in prima syllaba retineri vult. — *ἐπιδέξια χειρός*, dextre quoad manum, cf. Matth. Gr. §. 337., h. e. dexteritate manus, quemadmodum etiam Isthm. II, 21. manus in aurigatione laudatur. Vulgo vertitur: Tu tenens eum (patrem) dextra manu, aut manu ad dextrum latus, quod tamen nec antecedentibus nec sequentibus satis bene convenire mihi videtur. Victoria patris est; Thrasybulus certans pro patre optime meritus est, ut Antilochus pro Nestore pugnans; sic exsequitur Chironis praeceptum; de factis igitur, de rebus gestis hic agitur. Minus etiam placet tertia explicatio: Tu ducis dextra manu victoriam. [Rectius haec accipit Heimsoethius p. 4. et 38. Perspexit enim *νιν* esse quod sequitur *ἐφημοσύναν*, ut hoc dicat poeta: Tu Chironis praeceptum ad dextram ducens recta tenes, h. e. *du führst die vorschrift grade, haltend sie zur rechten hand.* Etenim Thrasybulus tanquam carum comitem ad latus habere fingitur Chironis praeceptum.] — *ὀρθάν*, ut *ὀρθὸν ἔπος*. — *ἄγεις*, agis. *ἄγομεν* quae non quiescunt neglecta, quibus operam damus. — *τά* pro *ἥν*. Confertur *οἷα* Pyth. II, 57., *ὅσα* Pyth. VIII, 69. Vid. plura ap. Thiersch. Gr. p. 670. ed. tert. Bernh. Synt. p. 294 sq. — *ὀρφανιζο-*

μένῳ, a parentibus separato. Vide de educato apud Chironem Achille eximium locum Nem. III, 43 sqq. Plutarch. T. II. p. 1146. Chiro dicitur *μουσικῆς τε ἅμα ὢν καὶ δικαιοσύνης καὶ ἰατρικῆς διδάσκαλος* Achilli. Sequentia praecepta tradita erant in *Χείρωνος ὑποθήκαις*, quae Hesiodo tribuebantur, cf. Scholia, atque inde hausit Pindarus. Conferes Eurip. Antiop. fr. 42. (46. Wagner.): *Τρεῖς εἰσιν ἀρεταί, τὰς χρεών σ' ἀσκεῖν, τέκνον, Θεούς τε τιμᾶν τούς τε φύσαντας γονεῖς, Νόμους τε κοινοὺς Ἑλλάδος· καὶ ταῦτα δρῶν Κάλλιστον ἕξεις στέφανον εὐκλείας ἀεί.* Vide praeterea de praestantia pietatis in parentes ex Graecorum iudicio Welckerum Trilog. Aeschyl. p. 101. [Hesiodus *Χείρωνος ὑποθήκαις* in Scholl. h. l., fr. CLXXVIII. Goettl. p. 275: *Εὖ νῦν μοι τάδ' ἕκαστα μετὰ φρεσὶ πευκαλίμῃσιν Φράζεσθαι· πρῶτον μέν, ὅτ' εἰς δόμον εἰσαφίκηαι, Ἕρδειν ἱερὰ καλὰ θεοῖς αἰειγενέτῃσιν.*] — *μάλιστα μὲν Κρονίδαν*, h. e. primum deos et inter deos Iovem. — V. 26. *ταύτας τιμᾶς*. Hunc vero honorem, ut manu adiuves et subleves, parentibus deberi. *τιμή*, ut *τιμᾶν γονεῖς*, usu notissimo, cf. Welcker. Theogn. p. 4. Pronomen *οὗτος*, quod semper emphasin habet, iam non friget, sed ad *χειρός* refertur v. 19. Porro notabis sententiae formam simul sequenti narrationi accommodatam, vide statim iterum v. 44 sqq. Nunc quum sententia omnino haec sit: Manum vero parentibus consecratam esse debere, propter Antilochum sic dicit: Manus ope ne committat, ut destituta parentum vita finiatur ante tempus, uti Nestor non explevisset *βίον πεπρωμένον*, nisi defensus et ereptus esset a filio. [Fallitur Dissenius: *ταύτας* est *τῆς τοῦ σέβεσθαι*, huius, quem diis tribuit, honoris.] — V. 28. *καὶ πρότερον*, ut nunc alio modo Thrasybulus. — *νόημα τοῦτο φέρων*, ut Isthm. I, 40: *ὁ πονήσαις νόῳ προμάθειαν φέρει*. Ipsa res, quam tangit poeta, petita est ex Aethiopide Arctini, ubi Antilochus Nestori adversus Memnonem succurrisse et a Memnone occisus esse tradebatur; cf. Procli Chrestomath. p. 528 sq. Gsf. et Boeckh. et Tafel. h. l. [et de Antilocho universe Nitzsch. Odyss. IV, 187.] — *ἅρμ' ἐπέδα*. Nestoris equus vulneratus a Paride impediebat currum, quae res etiam Hom. Il. VIII, 80 sqq. legitur ut tum gesta. — *ἔφεπεν*, immisit, v. Abresch. ad Aeschyl. p. 214. — *Μεσσανίου*, quum Pindaro aliisque veterum plurimis Nestor non ex Triphyliaca, sed Messenica Pylo esset, cf. Müller. Orchom. p. 365. Boeckh. h. l. Notavimus idem ad Pyth. IV, 126. — *φρὴν*

βόασε, cf. Monk. ad Eurip. Hippol. v. 794. Matth. Gr. §. 430. b. — V. 37. χαμαιπετές, cf. Ol. IX, 12. — ἀπέρυψεν, cf. dicta ad Pyth. II, 81. — πρίατο, emit morte salutem patris. — μέν sequente τέ vel καί, cf. Pyth. II, 58. — ἐδόκησεν, Ol. XIII, 56. — ὁπλοτέροισιν ὕπατος ἔμμεν, cf. de dativo Hom. Od. I, 71. Verto: Gloriam eam habebat et iudicabatur inter iuniores veterum hominum princeps esse pietate adversus parentes; cf. locum notabilem de Antilocho ap. Xenoph. de Venat. I, 14. [et maxime copias Ungeri de Valgio p. 337 sqq.] — παρίκει, praeterita sunt. — τῶν νῦν δὲ cett. Sequi debebat: Recentiori vero tempore etiam Thrasybulus est unus eorum, qui pietate erga parentes se distinguunt maxime. Sed iterum pro generali forma peculiarem substituit, ita dicens: Inter recentiores etiam Thrasybulus maxime ad patris normam incessit et patruum imitans virtutis et victoriae decus ostendit s. conspiciendum praebuit, h. e. inter recentiores etiam Thrasybulus prae aliis pium se ostendit patrem patruumque imitans virtutis et gloriae studio eosque victoria reportata illustrans. De virtutibus Xenocratis et Theronis vidimus ad Ol. II., quanquam huius victoriae tempore nondum rex erat Thero. [Heimsoeth. p. 41: „Pindarus dicit: eorum, qui nunc sunt, etiam Thrasybulus, praeclarum illud εὐσεβείας edens exemplum, patris patruique virtutes splendide imitatus est. Thrasybulus ipse aurigaverat. Hoc sciebant omnes. Hoc subest verbis. Quod dum tacetur, ut res nota, et accurata cum Antilocho comparatio, quae evitanda erat, evitatur, et Xenocratis laudes adduntur Theronisque. Quae vera huius loci causa est, ut in carmine brevi Xenocratis simul atque Theronis virtutes celebrentur."] — ἑπερχόμενος, accedens ad eum, imitans. Videtur Thero iam tum victoriis clarus fuisse. — ἔδειξεν, ut Nem. IV, 83: ὁ χρυσὸς αὐγὰς ἔδειξεν ἁπάσας. Hom. Od. VIII, 237. ἀρετὴν φαινέμεν.

V. 47 — fin. Exitus carminis. — νόῳ prudenter, Hom. Od. VI, 320. — νόῳ πλοῦτον ἄγει, sapienter regit, moderatur, h. e. utitur. — ἄδικον οὔθ' ὑπέροπλον ἥβαν δρέπων, non iniustae nec insolentis iuventutis florem decerpens, non iniustam aetatem agens iuvenilem, ut νεανίας est etiam de feroci et insolente homine, cf. Markland. ad Eurip. Suppl. 580. δρέπων ἥβαν, ut omnis flos, iucunditas, fructus δρέπεται, h. e. fruuntur eo homines. [T. Mommsen ὑπεράφανον ἀκμὰν δρέπων coniicit, ἄδικον et ἥβην ex interpretatione orta ratus:

hoc quidem fortasse ex Pyth. IX, 109: Ἥβης καρπὸν ἀνθήσαντ' ἀποδρέψαι. Kayserus etiam nunc perseverat in ἑπέταν suo: nam δρέπων non tam ad ἑπέταν, quam ad πλοῦτον referri.] — Porro οὔτε semel positum vid. Pyth. X, 29. 41. et cf. Boeckh. Nott. critt. Schaefer. ad Lambert. Bos. p. 777. Elmsl. ad Soph. Oed. R. 817. et Eurip. Med. 452. Hermann. Opuscc. III, 155 sq. — ἐν μυχοῖσι Πιερίδων. Quis nescit Musarum antra et fontes in vallibus et recessibus montium? Hinc suaviter Pindarus poesin et poetarum opera sic designat, ut reconditiora studia, incognita vulgo. His igitur mentem fingit iuvenis. Obiter conferas Horat. Carm. III, 4, 40. Ceterum cf. δρεψάμενος σοφίην Anthol. Palat. VII, 716. — V. 50. Tibi vero, Neptune, qui invenisti equestria certamina, lubentissime se dedit. — ἵππιαι ἔξοδοι sunt ἱππικαὶ ἅμιλλαι. Ac proprium εἰσέρχεσθαι de iis, qui stadium aut hippodromum intrant ad certamen, cf. Pyth. V, 116. Sophocl. Electr. 700. et Pausaniam multis locis. Similiter Dionysum possis dicere χορικὰς ἐξόδους invenisse. — V. 52 rell. Dulcis autem indoles eius etiam ad convivii societatem est adeo, ut mel superet iucunditate. γλυκύς c. infinitivo ut ἡδύς Aristoph. Nub. 1068. Similiter γλυκεῖαν ὀργάν patris laudat Isthm. II, 36. Fuit amoenitas morum in hominum societate et conviviis non ultima virtus iudicio veterum, ut notat etiam Tafelius e Theophrast. Charact. c. 15., tamen etiam Boeckhii annotatio verissima est, suaviter simul ad κῶμον alludi, in quo cantatum est hoc carmen haud dubie.

Carmen Pythium septimum.

INTRODUCTIO.

De gente Alcmaeonidarum illustri doctissime exposuit Boeckhius ad h. l., quem conferas. Nunc aut Hippocratis aut Clisthenis filius Megacles intelligitur; sunt enim duo huius nominis, qui illo tempore vivebant. Ac Scholiastes quidem si accurate loquutus est, Clisthenis filius intelligitur, quum Hippocratem non patrem, sed συγγενῆ dicat. Victoriam hanc Boeckhius Pyth. 25.,

h. e. Ol. 72, 3. reportatam iudicat, quo anno pugna Marathonia fuit. Altera Pythia gentis, quae memoratur, ignota; ignotae etiam Isthmiae quinque, nisi quod duas Boeckhius Alcmaeoni tribuit, Pisistrati aequali, idonea ratione. Denique hoc carmen unam Olympicam agnoscit, quae est olim ab Alcmaeone parta, ceteras, quae vulgo feruntur, Boeckhius acute sustulit. Carmen cantatum videtur Delphis in comissatione vespertina. [T. Mommsen Pind. p. 40 seq. censet Pindarum solam aedificationem templi Delphici, omissa recenti pugna Marathonia, in laudibus gentis commemorare, quia et gens Alcmaeonidarum et ipse poeta optimatium partibus studiose dediti metuerint, ne animi plebis splendidissima victoria supra modum elati iniquius agerent in optimates. Mihi caussa non fuisse videtur, cur poeta Pythiam victoriam celebrans in carmine Delphis canendo de rebus publicis verba faceret, in tam exiguo potissimum poematio. Et, si quaeris, ne silet quidem Athenarum gloriam, cum splendido mactat encomio, *κάλλιστον εἶναι προοίμιον τὰς μεγαλοπόλιας Ἀθάνας.*]

EXPLICATIO.

V. 1. *Μεγαλοπόλιες* propric ad magnitudinem urbis pertinet, quae ambitum habebat stadiorum XLIII. Vid. Müllerum in Ersch. Encyclop. s. v. Attic. p. 240. Sed non dubium nunc simul potentiam innui, quae iam tum magna, cf. Herod. V, 97. Ceterum de forma *μεγαλόπολις* et similibus cf. Lobeck. ad Phrynich. p. 606. [Solon. Eleg. 2, 5: *αὐτοὶ δὲ φθείρειν μεγάλην πόλιν ἁφραδίῃσιν βούλονται.*] — *κρηπῖδ' ἀοιδᾶν βαλέσθαι*, initium canendi facere, cf. Pyth. IV, 138. Dicit: Optimum exordium magnae Athenae, Athenarum nomen in fronte positum carminis, s. quo Alcmaeonidarum genti fundamentum carminis iaciatur. Ad constructionem duplicis dativi *γενεᾷ* — *ἵπποισι* cf. Isthm. I, 14. — V. 5 sqq. Quamnam enim patriam, quam domum hominum nominem per Graeciam clariorem auditu? Non exstat per Graeciam domus ulla clarior, clariore in patria. [Pro *ναίων* transpositis elementis Kayserus nunc malit *αἰνέων*. At displicet *αἰνέων ὀνυμάξομαι*. Contra genitivum mihi quidem videtur *οἶκον* flagitare. Qui quum Kaysero mirus videtur et ab usu sermonis abhorrere, non meminerat vir doctus eiusmodi locos, qualis Soph. O. C. 2.] — V. 10. *Ἐρεχθέος*

ἀστῶν, ut alias *Ἐρεχθεῖδαι* dicuntur Athenienses honoris causa, cf. Isthm. II, 19.; nunc Alcmaeonidas dicit, quippe qui templum Delphicum, Ol. 58, 1. igne deletum, ab Amphictyonibus locantibus redemerant tum exsules et splendide exstruxerant cum magna sua laude, cf. Boeckh. p. 301. — V. 13. *ἄγοντι*, impellunt ad canendum. — *ἐκπρεπής*, utpote Olympica. [Heimsoethius p. 42: „Pindarus dixerat in canenda Alcmaeonidae victoria pulcherrimum prooemium esse Athenas. Nunc pergit: *ἄγοντι δέ μεκτλ.*, h. e. ducunt autem me in carmine continuando quinque victoriae Isthmiacae“ sqq. Mommsenius: *Es treiben mich zum Isthmos fort fünf siege.*] — V. 17. *ὑμαί*, vestrae, qui nunc vivitis et maiorum. — V. 18. *νέᾳ δ' εὐπραγίᾳ χαίρω τι*, recenti victoria gaudeo non parum, *τὸ δ' ἄχνυμαι*, illud vero doleo, invidiam obscurare pulcra facta. *τι* post *χαίρω* addit significans gaudere se quidem valde, maius tamen gaudium futurum, nisi partem demeret dolor ob invidiam. — *ἀμειβόμενον*, antevertentem, praevertentem, cf. Pyth. I, 45. II, 50. Boeckhius interpungit: *τί τόδ' ἄχνυμαι* cet., quod Hermannus monet propterea displicere, quia poeta nondum dixerit se dolere. [„Invidia illa, quae tum Alcmaeonidas premebat, ad proelium Marathonium videtur referenda, a quo usque ad huius odae tempus octo fere menses effluxerant. Etenim quum in Marathonio proelio ab Atheniensi quodam esset clypeus sublime elatus, quo signo Persis, quum iam in navibus essent, ex compacto per proditionem suaderetur, ut urbem peterent (Herod. VII, 115.), calumnia eam rem in Alcmaeonidas transtutit, v. Herod. VI, 121 sq.“ Boeckhius.] — V. 20. Intelligo ut Hermannus: Dicunt tamen sic felicitatem stabilem florentem varia homini afferre, h. e. etiam incommoda afferre, quemadmodum nunc vobis invidiam. — *τὰ καὶ τά* igitur lenius dictum et per euphemismum. Similiter Isthm. IV, 52. Boeckhius aliter vertit sic: Quid ego indignor, quod invidia praeclaras res remuneratur? Aiunt certe, ubi illa sequatur, constantem felicitatem esse et haec atque illa bona afferre solere. [Scholia: *Ἀρίσταρχος συμβεβηκέναι αὐτῷ τι σύμπτωμα περὶ τὴν νίκην ταύτην. ὅθεν καί φησι τὸ μὲν χαίρειν, τὸ δ' ἄχνυσθαι, φθόνου τινὸς παρακειμένου τοῖς καλοῖς ἔργοις. οὕτω μέντοι γε γίγνεσθαι παραμονίμους τὰς εὐδαιμονίας, ἐπὰν ἔχωσί τι κρᾶμα καὶ δυστυχήματος.*]

Carmen Pythium octavum.

INTRODUCTIO.

Aristomenes, Xenarcis filius, Aegineta puer Midylidarum e gente, Pythiis lucta vicit secundum Scholia Pyth. 35., h. e. Ol. 82, 3. Sed hoc incredibile. Nam Ol. 80¾ Aeginetae ab Atheniensibus victi, obsessi, classem tradere, moenia diruere, tributum pendere coacti erant; huius autem carminis tempore adhuc liberam fuisse Aeginam e fine apparet. Praeterea etiam argumentum carminis subiectae insulae minime convenit, sed cuius tamen futura salus in magno periculo esset. Ac Medica quidem, ut Isthm. IV., non indirecte significasset, ut hic fit, sed suis nominibus; post Medica autem nullum aliud tempus notum, cui carmen aptum sit, praeter ipsum annum Ol. 80, 3. Tum enim fuit pugna ad Cecryphaliam, qua vicerant quidem Athenienses Peloponnesios, narrante Thucydide I, 105., sed Aeginetae qua parte pugnae steterant videntur vicisse Athenienses. Post hanc pugnam si carmen scriptum statuimus et ante debellationem Aeginae mox sequutam, eximie omnia conveniunt; mythica adversus Athenienses dicta sunt, quorum naves sibi oppositas vicisse gloriabantur Aeginetae. Eo anno Pythias 33. celebrata est. Disputavimus haec omnia de sententia Müller i Aeginet. p. 177. et Boeckhii in Introductione, quibus assentitur etiam Thierschius in Epoch. Art. Gr. II. p. 39. et nuper Tafelius. Nec labefactatur haec sententia iis, quae nuper Krügerus dixit contra Müllerum in Seebodii *Neuem Archiv für Philologie und Pädagogik, erst. Jahrg. dritt. Heft*, p. 83. Thucydidis testimonium minime reiecimus, ut ait vir doctus, sed tantum accuratius definivimus, historico breviter dicente. Erat primum Peloponnesiorum bellum cum Atheniensibus, in quo Aeginetae socii; tum Aegina ipsa bello petita est, in quo Peloponnesii socii. Nunc de priore agitur, in quo socios fuisse Aeginetas Peloponnesiorum inde concludimus, quod etiam aliunde constat eos per illa tempora Lacedaemoniis coniunctos fuisse, quod revera iam tum eorum salus agebatur (Aeginam enim invasuri Athenienses volebant prius Peloponnesios vincere), et quod pugna ad Cecryphaliam paene est ante ipsas portas Aeginae

pugnata, ut permirum sit, si Aeginetae naves suas in portu continuerint, vid. Müller. l. cit. Quare nondum eripi nobis patiemur testimonium Stephan. Byzant. v. *Κεκρυφάλεια, ἄκρα τις, περὶ ἣν ἐνίκησαν Αἰγινῆται Ἀθηναίους*, quod ex nostra explicatione nec cum Thucydide pugnat et egregie convenit cum hoc Pindari hymno. — Argumentum hoc est: In principio invocatur Hesychia s. Tranquillitas, ut Aristomenis honores recipiat; esse enim deam potentissimam, quae mitis et benigna esse sciat, ubi commodum, alio vero tempore gravis et aspera contundat ferocium hominum iniustas iras et Gigantum adeo depresserit violentiam. Prostratos enim Typhoeum et regem Gigantum fulmine Iovis et Apollinis arcu, qui contra benevole Delphis exceperit victorem Pythium Aristomenem. Esse vero laudis insulam minime expertem, quae heroes aluerit in proeliis ludisque victores, et viris excellat. Nunc Aristomenem sequi vestigia cognatorum et meruisse laudem ab Amphiarao quondam ad Thebas Epigonis et Alcmaeoni dictam: conspici patrum fortitudinem in filiis. Atque etiam hoc tempore Alcmaeonem poetae Delphos proficiscenti fausta vaticinatum. Hinc ad victorias Aristomenis reflexa oratione dicit eum in Megarensibus et Marathoniis ludis, in Delphiniis et Heraeis domesticis vicisse, unde ad novissimum decus Pythium redit; laudibus intexit et subiicit dicta gravissima de infirmitate rerum humanarum. Denique in fine preces facit ad Aeginam, Iovem et Aeacidas pro futura incolumitate insulae. — Restat, ut veram rationem horum omnium explicemus. Igitur accommodatissimo praesentibus rebus argumento laudat Pindarus Aeginam inde ab antiquo tempore bellicis ludicrisque victoriis claram, quum et heroes viderit in bellis et certaminibus summos et viris talibus conspicua sit. Ac de heroibus Aeacidis nihil praeterea addit, unice nunc praesentibus occupatus; civium autem Aeginetarum bellicam quidem gloriam novissime denuo comprobatam, invidiae vitandae causa, mythice significat iis, quae de Hesychiae vi canuntur, et mox iterum tangit Amphiarai dictum memorans, licet hoc propter solum Aristomenem afferre videatur; ludicra vero virtus illustratur uberrime Aristomenis luctatoris laude, quem dignum dicit familia patribusque suis adhibito illo Amphiarai dicto, victoriasque eius celebrat omnes. Vides artem poetae. Maiores tum erant res politicae; huc igitur inprimis dirigendum fuisse credas argumentum carminis. Tamen bellicas res ipsas brevius tangit et per maiorem carminis partem ludicra

Aristomenis virtute declaranda occupatur. Nempe tecte loquitur Atheniensium causa, atque etiam quae de gymnicis victoriis dicuntur simul ad maiorem finem referenda sunt: declarant omnia virtutem civium heroibus maioribusque suis dignam. Hae vero praeclarae laudes, pergit poeta, quas olim habuit et nunc habet, contigerunt ei divinitus ob iustitiam. Deducimur hinc ad Hesychiam, Iustitiae filiam. Est ἡσυχία in civitatibus, quum factionum discordiae absunt, et cives placide modesteque rempublicam tractant, iustitia legibusque vigentibus, cf. Ol. IV, 16. Pyth. I, 70. Fragment. incert. 125. [fr. Hyporch. p. 291.]; quae inter Graecos quidem nusquam magis regnavit quam in Doricis urbibus, ac nihil ea magis Doricum, quum Dorienses legum et institutorum veterum tenacissimi εὐνομίαν, πειθαρχίαν, κόσμον prae ceteris colerent eoque suapte natura ferrentur. Quare ut aliae multae abstractae notiones pro numinibus apud Graecos cultae, veluti Athenis aram habebant Αἰδώς, Φήμη, Ἔλεος, Pausan. I, 17, 1., sic etiam Ἡσυχίαν non dubitamus in Aegina pro numine habitam; videntur autem ampliore sensu et externae et internae tranquillitatis pacisque deam coluisse, quum in insula tota commerciis dedita pax foris cum civitatibus circumiectis non minus cara esset quam tranquillitas interna. Haec igitur Ἡσυχία patrona est insulae, qua universa eius salus nititur, sub cuius tutela pacis negotia ibi vigent, quaeque opprimit iniustos perturbatores, si qui pacatum Aeginae statum infestant. Ita, opinor, censebant Aeginetae, nec quidquam huic insulae invenies accommodatius; Pindarus autem suscepit hanc notionem et susceptam amplificavit et sublimius exornavit, ut infra videbimus. Iam non mirum dixerim, si Aristomenes primum novum decus gymnicum post pugnam navalem Aeginetis non infaustam tutelari Hesychiae offerre decreverat, ipso fortasse Pindaro suasore, Aeginetis amicissimo. Ut igitur ad carminis rationem explicandam redeamus, vidimus Aeginam inde a principio bellicis ludicrisque victoriis claram: haec ornamenta Pindarus nunc ad Hesychiam refert, Iustitiae filiam, quae insulam iustam sic ornaverit et ornet. Hesychia igitur pacis iucunditates amans ludicra decora tribuit et epiniciis delectatur; eadem alio tempore bellicas iras sumit et aggressores hostes prosternit; pulcra oppositione pacis et belli, quae fundamentum est carminis, optime nunc ad huius deae unum numen revocata. Similiter Isthm. IV. haec a Thia repetuntur omnia, Ol. XIII. autem Corinthi decora Horis

tribui vidimus, nec quidquam magis Pindaricum quam sic varietatem rerum revocare ad unam aliquam altiorem vim causamque. Post haec aliud ut addam restat. Quanquam laeta et fortunata quae memoravi omnia, non tamen securum esse licebat futuri temporis, quum Athenienses interitum insulae meditari pergerent, effectum etiam eodem anno. Hinc explicatur ultima carminis pars, in qua identidem poeta de deorum vi et de hominum infirmitate humanarumque rerum inconstantia monet, quae primo adspectu propter solius Aristomenis multas victorias dicta videntur, revera autem non huic soli, sed universae insulae dicta sunt, ne glorietur laetius, sed pia, modesta, cauta sit et ad futuros casus parata. Docet hoc et ipsorum verborum gravitas et exitus carminis magnificus, ubi Pindarus, ut in maximo periculo, totam Aeacidarum gentem singulatim invocat, ut servent libertatem huius populi. Carmen cum Boeckhio in Aegina cantatum iudico, dedicante, ut mihi quidem videtur, Aristomene coronam Hesychiae, cuius aram adit cum choro puerorum aequalium.

[Considerata accuratissima C. G. Kruegeri disputatione, quae novis curis retractata extat in Stud. Hist. Philol. p. 177 sqq., vix quenquam fore spero, qui Muellerum, Boeckhium, Dissenium in explicando carmine a vero longe aberravisse infitias eat. Primum enim evincit Kruegerus pugnam Cecryphalensem, in qua Athenienses vicerunt Peloponnesios, nihil pertinuisse ad Aeginetas; tum quam nihil fidei loco Steph. Byz. tribui conveniat, exsequitur (ei enim iam L. Holstenius ita succurrit, ut Αἰγινήτας Ἀθηναῖοι reponeret, cfr. G. Hermann. Opuscc. VII. p. 155 sq., idque nunc reposuit A. Meinekius. Nempe videtur Stephanus vel sic per errorem alias Aeginetarum cum Atheniensibus pugnas, quae satis crebrae fuerunt, permutasse). Ita collabuntur quae ex victoria scilicet illa Aeginetarum ad Pindarici carminis voluntatem patefaciundam hausta erant. Deinde Kruegerus negat ex prooemio carminis elucere, quo id tempore scriptum sit, Aeginetas liberos fuisse et in bello gerendo occupatos. Ἀσυχία enim, Δίκας filia, quum invocetur a poeta, de intestinis Aeginetarum discordiis potius quam de externo bello cogitari debere, ut Pindarus tranquillitatem domesticam et quietum statum reipublicae celebret, quum praesertim σύμφωνον ἀσυχίαν et φιλόπολιν et μεγαλάνορα identidem domesticis dissensionibus opponat. Nec verba βουλᾶν τε καὶ πολέμων ἔχοισα κλαΐδας ὑπερτάτας ducere eo, ut bellum tum ab Aeginetis gestum fingamus. Quippe universe

significari Ἀσυχίαν et in pace et in bello summopere prodesse civitati. Pariter non esse, cur verba τιθεῖς ὕβριν ἐν ἄντλῳ ad bellicas res spectare credantur. Nec quicquam praesidii Boeckhianae opinioni videri inesse in v. 12 sq.: τᾶν οὐδὲ Πορφυρίων μάθεν κτλ. Ea enim optime illustrari, si quis sumat peti aliquos duces praepotentium partium, qui iura legesque evertere sibique per vim summum imperium arrogare studuerint. Quam sententiam a principio menti poetae obversantem optime convenire cum illis v. 13: κέρδος δὲ φίλτατον, ἐκόντος εἴ τις ἐκ δόμων φέροι. Denique ne finem quidem carminis Boeckhianis rationibus magnopere favere. Eum enim et ipsum commode referri posse ad internum civitatis statum moliminibus ferocium civium concussum. Sed si quis, id quod profecto non absurdum sit, ad externa potius pericula referri malit, iam tum ex satis longo tempore Aeginetarum rempublicam fuisse haud exiguis periculis infestatam. Veluti posse carmen Ol. LXXVII, 3. scriptum videri, quo tempore Athenienses contra Persas copias comparabant. Tametsi ne Ol. LXXVIII, 3. quidem alienam esse, quum devictis eo anno Thasiis etiam Aeginetis metuendum esset. Postremo Kruegerus nec illud prorsus excludit, posse carmen scriptum esse eo tempore, quo Aeginetae iam Atheniensibus parebant: quapropter non esse protinus scholiastae de aetate carminis testimonium abiiciendum. — Hactenus Kruegerus, quem nollem ultima scripsisse: exitus enim carminis nullo pacto aptus est, nisi libera etiamtum civitate. Mihi summa carminis, quae in eo versatur, ut Aegina divinitus magna esse dicatur, utpote iustitia et moderatione insignis, satis videtur cum ea sententia, quam de intestinis discordiis et scholiastae (v. 3. ἰδίᾳ Αἰγινήταις ἦσαν στάσεις περὶ τὸν τῆς νίκης τοῦ Ἀριστομένους καιρόν) proposuerunt et Kruegerus disertius explanavit, convenire. Contra G. Hermannus Opuscc. VII, 155 sqq. ad opinionem a Boeckhio satis repudiatam relabitur, Persica bella spectari. Incredibile enim esse, Athenienses a Pindaro comparatos esse cum Porphyrione, Typhoeo, Alcyoneo, quorum temeritatem Iuppiter fulmine et telis suis Apollo prostraverunt. Immo de Persis certissime dicta esse illa: βία δὲ καὶ μεγάλαυχον ἔσφαλεν ἐν χρόνῳ. Verum Persica mihi quoque videtur minus tecte tacturus poeta fuisse: contra illud cui non persuadeat Hermannus, Pindarum φιλαθήναιον non posse Athenienses cum immanibus monstris comparavisse? Ergo maneat, non bella, sed intestinas conversiones civitatis carmini subesse.]

EXPLICATIO.

V. 1—20. Principium. Invocatur Hesychia, ut pompam Aristomenis benigne recipiat, et celebratur eius potentia ornamentorum poenarumque dispensatrix. — Ἀσυχία vulgo pro poetica persona habetur, quod me non probare Introductio ostendit. Antiquiorum et seriorum poesis etiam eo differt, quod hi pro arbitrio personas fingunt non creditas pópulo, illi ab ipsis opinionibus hominum religiosis proficisci solent, eaque non minima eorum vis est. Quare hoc loco si fictae, non verae deae tribuimus praeclara Aeginae decora, peribit gravitas carminis, et inferemus in Pindarum quod ab eius poesi abhorrere videtur, qui alias ubique victorias ceteraque ornamenta civitatum et singulorum civium a veris diis repetit. — φιλόφρον. Suavis loquutio Aristoph. Av. 1324. τὸ τῆς ἀγανόφρονος Ἡσυχίας εὐήμερον πρόσωπον. — μεγιστόπολι, civitates maxime augens. — Δίκας θύγατερ, quoniam tranquillitas non est, ubi iustitia non regnat. — βουλᾶν τε καὶ πολέμων ἔχοισα κλαῖδας ὑπερτάτας, penes quam deliberationum senatus populique summum regimen est et bellorum, ut domi consilia sapientia, iusta, utilia capiantur, in bellis iniusti hostium impetus repellantur et puniantur, vincant iustitiae pacisque cultores. Vides βουλᾶν longe praestantius dictum quam quod alii exspectabant εἰρήνης, quum res internae et externae opponantur. Quare nihili est inaequalitatis quaesitae reprehensio, hic, ut alias fere, obiter inspecta sententia mota; cf. Ol. XII, 5. Denique ut hic Hesychia clavigera est, sic Suada Pind. Pyth. IX, 39., Minerva Aesch. Eumenid. 825. Aristoph. Thesm. 1142., Proteus Orph. Hymn. XXIV, 1. coll. Welcker. Aeschyl. Trilog. p. 229. Vid. praeterea Wesseling. Observatt. I, 3. Heyn. Observatt. ad Apollod. p. 308. Tafel. h. l. — V. 5. Πυθιόνικον τιμὰν δέκευ, honorem ob victoriam Pythiam accipe ab Aristomene, accedente ad aram tuam cum pompa et coronam tibi offerente. — Ἀριστομένει, de dativo c. v. δέχεσθαι vid. Pyth. IV, 23. — V. 6 sq. Tu enim suavia munera dare et recipere nosti, tu coronas ludicras dare (nam Hesychia haec decora Aeginae praestat) et ipsa gaudere honoribus victorialibus, qualis haec pompa, tibi vicissim oblatis nosti iusto tempore, καιρῷ σὺν ἀτρεκεῖ, h. e. ubi vacare iucunditatibus et ferias agere

licet. Adiectum hoc propter sequentem oppositam sententiam, cuius sensus: alio vero tempore eadem aspera et immitis esse poenasque exercere nosti in eos, qui tibi adversantur. Sic voci μαλθακάν opponitur mox τραχεῖα. — V. 9. ἐνελάσῃ, infixit immitem iram animo, ut χαλκὸν ἐν πλευραῖσι Nem. X, 70. Nunc pro ἐνθέσθαι χόλον, κότον θυμῷ, Hom. Od. XI, 101. XIII, 342., consulto dictum de implacabili inimicitia, quae evelli non possit, qualis erat Atheniensium adversus Aeginetas. Ceterum cf. Nem. III, 62. — V. 10. δυσμενέων ὑπαντ. κράτει, hostium occurrens violentiae, ut Γιγάντεσσιν μάχαν ἀντιάξειν Nem. I, 68. Constructionem verbi cum accusativo vidimus Pyth. V, 41. [Rauchensteinio I, 16. ὑπαντιάζειν obiecto carere, reliqua sic struenda videntur: κράτει τιθεῖς ὕβριν ἐν ἄντλῳ. Rectius Dissenius.] — τιθεῖς ὕβριν ἐν ἄντλῳ, demergis eorum superbiam. ἄντλος est πέλαγος, veluti Eurip. Hecub. 1025. Add. supra ad Ol. IX, 53. Ceterum cf. ad hanc loquutionem Lobeck. ad Soph. Ai. v. 1083. Exponit Scholiastes ἀφανίζειν καὶ ἀμαυροῦν. [Kruegerus p. 187. de demersis ab Aeginetis aliquot hostium navibus colorem dictionis petitum, quod intpp. putant, negat. Neque enim usitatum esse τιθέναι ἐν ἄντλῳ de demergendis navibus. Omnino locutionem a re navali translatam, ut saepe multas apud Pindarum, ad pugnam aliquam nuper pugnatam non referri.] — V. 12 sqq. Sensus: Quam etiam Gigantum rex Porphyrio non reputavit se contra fas lacessere, ut nunc Athenienses temere Hesychiam irritant; verum poena sequuta est. Ultimum ampliore oratione et graviore extulit sic: Suavissimum et faustissimum lucrum est e volentis quod quis domo auferat et sine vi; contra vis iniusta etiam superbissimum prostravit postremo cet. — Proxima sententia: κέρδος — φέροι, amplificationis causa interposita, ut per oppositionem luculentius illustraretur sequens locus, de quo usu cf. Ol. IX, 48. Observa etiam optativum εἰ φέροι. Quum enim hic de vi facta ut re vera gesta dicatur, contrarium nunc cogitatione tantummodo ponendum erat. [Hermanno l. c. de Persis cogitanti haec spectare videbantur ad Darium, cui Ol. LXXII, 2. Aeginetae cum ceteris insulanis terram et aquam obtulerant. Darium enim a Pindaro, ut in Persis ab Aeschylo, tanquam iustum et aequum regem oppositum videri insolenter se efferenti Xerxi. Hoc a Pindarico loco mihi vehementer abhorrere videtur.] — V. 16. οὗ

μιν ἄλυξεν, h. e. βίαν, eventum, poenam superbiae, quem sensum vel antecedens ἔσφαλεν ἐν χρόνῳ attento ostendit. Boeckhius bene comparat Soph. Electr. 627: θράσους τοῦδ' οὐκ ἀλύξεις. Ceterum in universum conferes Horat. Carm. III, 4, 65 sqq. Typhoeum addit ut unum e ferocissimis et maximis. — βασιλεὺς Γιγάντων, Porphyrio. Antea nondum dictum erat de poena Porphyrionis, sed de temeraria laesione tranquillitatis. — V. 17. δμᾶθεν, Typhoeus a Iove, Porphyrio ab Apolline. Ceterum non miraberis, quum Hesychiae ultio perturbatorum tribuatur, nunc nihilominus Iovem et Apollinem memorari. Similiter alias saepe ad Δίκην, Νέμεσιν, Μοίρας referri videas quae Olympii dii perficiunt, summarum idearum socii et ministri; vid. Iacobsium ad Philostr. p. 449. varios deos notantem Parcarum decreta exsequentes. Denique aliud addo de tractatione universi loci: Dixi Hesychiam mea sententia cultam ab Aeginetis ut tranquillitatis et pacis deam domi forisque, sub cuius tutela pacis et mercaturae negotia essent, quaeque etiam adversus hostium aggressorum impetus iniustos insulam tueretur. Hoc igitur non excogitavit Pindarus; illud vero ab ipso profectum dixerim, quod amplificata notione deae primum etiam gymnica decora ad eam retulit, ut omnium pacis artium patronam, et quod nunc magnifice ad universum mundi ordinem eius potentia transfertur, et Gigantes ut κόσμου Olympici perturbatores Hesychiae suprema vi prostrati dicuntur. Atque haec est vera laus lyrici poetae, non facere deos, at magnificentius declarare deorum naturam. — V. 18. ὃς εὐμενεῖ νόῳ ἔδεκτο, qui contra benigne Aristomenem excepit. Sic redit ad Aristomenem, unde orsus erat, quae de aspera vi Hesychiae adversus Athenienses dicuntur in medio positis, quasi tantum per nexum oppositionis eo delatus sit, non de industria. Est etiam hoc inter artificia tectae orationis. — ἐστεφανωμένον κώμῳ pro: ornatum, per zeugma dictum, cf. Ol. I, 88. — Verum graviores hoc loco quaestiones oriuntur. Primum, ubi recepit eum Apollo? In Aegina, respondet Tafel, reducem Cirrha. Sed ita manifesto languent verba: Δωριεῖ τε κώμῳ, quum in Aegina, Dorica insula, ne possit quidem aliter adiri Apollo quam Dorico cum cantu. Delphos autem quum petunt e Cirrhaeo campo victores cincti amicis popularibus, pompa deo gratias acturi, Atheniensis victor Atticum, Boeotius Boeotium s. Aeolium, alius alium κῶμον adducit, Aristomenes autem Doricum adduxerat, gratissimum deo et illustrissimum, quum Doricum

nomen apud Pindarum ceteris omnibus sit illustrius; cf. ad Ol. VIII, 30. Quare recte Heynius Boeckhiusque Delphis nunc statuunt Aristomenem receptum dici post victoriam. [Boeckhius ad Fragm. Inc. 98. p. 660: „Δωριεὺς κῶμος non est carmen Dorio modo cantatum, sed sollemnitas musica acta a Doriensibus viris Aeginetis: unde poeta non dixit Δωρίῳ, sed Δωριεῖ. Ceterum praedicatio Aeginetici chori, ut Doriensis vocetur, simul (praeter insigniorem laudem) a poeta praelata est, ut Aeginetae Dorienses opponerentur Ionibus Atheniensibus, et Apollo Doriensibus, qui Atheniensium tum hostes erant, magis favere videretur." Id subtilius videtur.] His positis sequitur aliud. Vides enim nunc praeter hippodromum etiam stadium ceteris certantibus aptum Pindari tempore in Crisaeo campo fuisse, quod etiam Boeckhius censet; idem docet Pyth. X, 15. Quare etiam Ol. XIII, 106. τὰ ἐπ' ὀφρύϊ Παρνασίᾳ decora in hac ipsa valle reportata sunt Parnasso subiecta (quae Παρνάσιος μυχός Pyth. X, 8.), neque alius sensus ubi Pytho et Castalia memorantur. Monemus hoc propterea, quia Pausanias X, 37, 4. hippodromum quidem memorat in campo Crisaeo, sed non stadium, contra stadium vidit in urbis suprema parte, cf. X, 32, 1. Ac conspiciuntur hodieque vestigia stadii ibi. Est longum circ. 640 pedes Angl., quae est certaminibus apta longitudo. Accedere videtur locus Heliodor. Aethiop. IV. p. 159 sqq. Narrator ad urbem Dephorum venit II. p. 106. et excedit V. p. 202. Illo autem loco de Pythiis ludis dicit et inprimis de cursu armato in stadio, neque tamen verbo memorat in planitiem se extra urbem descendisse. Quanquam hoc argumentum non plane certum videatur, si Heliodorus istud praeteriit ut rem per se intelligendam, praesertim ubi scriptoris orationem et narrandi genus consideres. Tamen non repugno, quominus posteriori tempore revera stadii certamina in urbe fuisse censeantur, quae Pindari temporibus in campo fuerunt. Ubi etiam coronae datae. Neque enim aliter haec res explicari posse videtur. [Cfr. ad Pyth. V, 31.]

V. 21—60. Canuntur insulae laudes et Aristomenis virtus. — ἔπεσε, loquutione nunc ducta, ut videtur, a sparsis per mare insulis. Insula licet sit, non remota factum est ut iaceat a Gratiis, h. e. a carminum encomiorum laude. De Gratiis cf. Pyth. VI. init. — θίγοισα, quum tetigerit, viderit apud se virtutes Aeacidarum, quorum bellicis ludicrisque victoriis plurima materia κώμοις data. Tangere, θιγεῖν,

est etiam de rebus praeclaris, altis, sublimibus, quas habere alicui contigit. De constr. c. dativ. vid. Pyth. IV, 296. — V. 25. πολλοῖσι iunge cum ἀέθλοις, multis in ludis proeliisque victores, atque ita cum veritate res convenit. — θρέψαισα, Peleum, Telamonem. — V. 28. τὰ δέ, partim vero viris distincta est. — V. 29. εἰμὶ δ' ἄσχολος cett. Non vacat tradere omnem rem prolixam lyrae et cantui, ne fastidium superveniens pungat. In quo πᾶσαν μακραγορίαν rectissime dictum cum vi. — ἀναθέμεν, consecrare, tradere, ornate ut in re eximia. Confer autem Nem. III, 11: ἐγὼ δὲ κείνων τέ μιν (ὕμνον) ὀάροις λυρᾷ τε κοινάσομαι. Et Horat. Carm. IV, 9, 11: „vivuntque commissi calores Aeoliae fidibus puellae." Denique notabis contractius dicendi genus, duabus causis una constructione nexis, quum verus sensus sit: Et tempus deficit ad omnia narranda, et fastidium crearem, si tentare vellem. — V. 32 sqq. τὸ δ' ἐν ποσί, quod nunc praesto est, τρέχον ἴτω, expediatur celeriter, divulgetur, Hemsterhus. ad Callim. in Del. 128. — ἐμᾷ ποτανὸν ἀμφὶ μαχανᾷ, mea arte volans, alatum; cf. Theogn. 237. Virgil. Georg. III, 9. Mitscherl. ad Horat. Carm. II, 20. init. Vid. praeterea Pind. Nem. V. init. et Nem. VII, 22. — τεὸν χρέος, tua res, tuum facinus. — νεώτατον κα-λῶν, novissimum Aeginae decus. — ὦ παῖ. Primum ex hoc loco colligi potest puerum fuisse Aristomenem. Alia res esset, si legeretur ὦ παῖ Ξενάρκεος. Sed ὦ παῖ absque genitivo in his quidem carminibus vix alium quam puerum designat, cf. Nem. IV, 90. — V. 35 sqq. ἰχνέων, vestigiis pressis sequens. — κατελέγχεις, Ol. VIII, 19. Isthm. III, 14. VII, 65. Nem. III, 15. Theognetus olim puer et ipse lucta vicerat, cf. Pausan. VI, 9, 1. monente Boeckhio, qui etiam θρασύγνιος ad luctam pertinere bene observat. [Statuae Theogneti, Olympia inter pueros victori, subscripsit Simonides epigr. CCVI: Γνῶθι Θεόγνητον προσιδὼν τὸν Ὀλυμπιονίκαν Παῖδα, παλαισμοσύνας δεξιὸν ἀνίοχον, Κάλλιστον μὲν ἰδεῖν, ἀθλεῖν δ' οὐ χείρονα μορφᾶς, Ὅς πατέρων ἀγαθῶν ἐστεφάνωσε πόλιν. Nam Θεόγνητον pro Θεόκριτον duce Pausania restitui.] — πάτραν, gentem. — λόγον φέρεις, fers, aufers laudem, dictum, olim Epigonis significatum. [Conferendus nunc Welckerus Cycl. Ep. II, 80 sqq.] — V. 39. Ὀϊκλέος παῖς, Amphiaraus, quum celeberrimum oraculum prope Oropum haberet, hoc nunc Boeckhius

quem vide, intelligit per legatos ab Epigonis Thebis missos consultum. Tamen Amphiaraium etiam Thebis fuisse ex Herodoto VIII, 134. concedit. Müllerus Potniense dixerat, quod displicet Boeckhio, quum Pausaniae, ubi de Potniis agit, non memoretur. Sed fortasse desierat, ut alia multa oracula procedente tempore, cf. Plutarch. de Oracul. Defect. c. 5. et Müller. Orchom. p. 149. Nam Amphiaraus est daemon subterraneus, e terra oracula edens; consentaneum igitur ibi eum sub terra versari, ubi descenderat. Rem probat Oropus, ubi postquam oracula edebat, similiter terra haustus dicebatur Pausan. I, 34, 2. Antiquissima vero traditio ad Thebas eum absorptum ferebat, Nem. X, 8., ibi igitur antiquissimum Amphiaraïum; Oropium vero serius conditum, quod si scriptores fere solum memorant, ut ait Meinekius ad Euphorion. p. 139., non mirandum est, quum diu florere pergeret Thebano cessante, eaque causa videtur narrationis Thebanum oraculum Oropum translatum ferentis, cf. Strab. IX. p. 619. A. Quae quum ita sint, nos Potniense oraculum intelligimus. [R. Ungerus Parad. Theb. I, 167: „Ego tantum est ut Amphiaraum per legatos Thebis vel Oropum vel Potnias missos consultum esse intelligam, ut, si quando unquam Oropi oraculum celebre responsis clarumque fuit, certe illo tempore, quo apud Glisantem Argivi castra habuerunt, dictionem ex eo censeam editam fuisse." Cfr. eundem p. 414 sq., ubi inter alia Herodoteum testimonium ad Oropium oraculum rettulit.] — *ἰδὼν νίοὺς ἐν Θήβαις παρμένοντας αἰχμᾷ*, quum videret filios ad Thebas fortiter stantes cum hasta. Pyth. I, 48. *παραμένειν ἐν μάχαις*. Dativus *αἰχμᾷ* positus ut *ἔγχει ἐπαΐσσειν*, *ἐφορμᾶσθαι ἄκοντι*, similia. — *αἰνίξατο*, quum oracula tecte significent verbis ambiguis quae interprete egeant. Denique *νίούς* ait, quum etiam Alcmaeon filius Amphiarai interesset; praeterea mox positum nomen *Ἐπίγονοι* sensum declarat. — V. 43. *μαρναμένων*, absolute ut v. 85. Quod ante dixerat *αἰνίξατο ἰδὼν παρμένοντας αἰχμᾷ*, nunc dicit: *ὧδ' εἶπε μαρναμένων* s. *μαρναμένους ἰδών*, ita nempe dixit, quum pugnarent. Nempe Epigoni flagrantibus proeliis ante Thebas ad Amphiaraium miserant de exitu belli consulturos. *μαρναμένων* igitur non est de conatu: quum pugnaturi essent. Quanquam enim praesens et imperfectum non paucis in verbis de conatu dicitur, cf. ad Ol. XIII, 59. add. Buttm. Ind. ad Orat. Demosth. in Midiam, cave tamen omnibus verbis hanc potestatem tribuas.

Nec *μάρναμαι* nec *τύπτω* hisque similia multa ita dici potuerunt, sed ea tantum, credo, in quibus actio et effectus differunt. *κτείνω* est: occupatus sum occisione, h. e. conor occidere; effectus alia res. At *τύπτω*, *μάρναμαι*, occupatus sum pulsatione, pugnando; vides non posse significare conor pulsare, pugnare; atque ita in aliis. — V. 44 sqq. Sensus: Naturae dono generosa virtus conspicitur nunc e patribus in filiis. *ἐπιπρέπει*, ut Hom. Od. XXIV, 251. [Plutarch. Arat. 1.: *ὧ γε φύσει τὸ γενναῖον ἐπιπρέπει ἐκ πατέρων, κατὰ Πίνδαρον.*] — *θαέομαι σαφές* cett. Video enim clare oculis mentis Alcmaeonem pugnantem primum ad Cadmi portas, sive, quod magnificentius dictum, draconem in clypeo versantem. — *νωμῶντα δράκοντα* pro *νωμῶντα ἀσπίδα* dracone insignem, ut *ἀσπίδ' εὔκυκλον νέμων* Aesch. Sept. 575. Draconem habet ob Melampodis, unde descendit, dracones, cf. Schol. At Epaminondas draconem in clypeo habet, Pausan. VIII, 1, 5., ut Thebanus, quum Thebani Sparti dicantur propter mythicos Spartos (Isthm. VI, 10.). Praeterea addi debet quod Welckerus meus me docet, etiam alios heroes, ut Achillem, Aiacem, in vasculis conspici draconem in clypeo gerentes eam solam ob causam, quod bellicosa sit bestia. — Ceterum cum Alcmaeone nunc Aristomenem comparari sentis, ut unum ex illustrissimis iuniorum gymnicis multis victoriis distinctum, quemadmodum saepe apud Pindarum luctatores, pugiles, pancratiastae cum heroibus priscis componuntur. — V. 48 sqq. Eventus autem expeditionis felix erit. — Adrastus ut primi, ita secundi belli summus dux, cf. Schol. — *ὄρνιχος ἀγγελίᾳ*, quoniam *ἄγγελοι* dicuntur aves augurales, cf. Hom. Il. XXIV, 292. 196. Od. XV, 526., nunc felicioris avis augurium pro felicior fortuna dictum omnino, ut saepe *ὄρνις* et *οἰωνός* de quovis augurio signoque deorum, cf. ad Pyth. IV, 19. [Welckerus l. c. mire *Ἀρείονος ὄρν.*, Arionis alati.] — *ἐνέχεται*, de fatali necessitate. quemadmodum dicitur *ἐνέχεσθαι ἀνάγκῃ*, vel quod idem *δεδέσθαι ἐν ἀνάγκῃ*. Verbum nunc propter comparationem prioris belli positum: Non ea tristi fortuna, ait, qua ante, obstrictus tenetur. Sic Soph. Ai. 366. *ἄφοβοι θῆρες* pecudes dictae propter oppositionem *φοβερῶν θηρῶν*, unde cum laus reportari potuisset, Aiax in *ἀφόβους* saeviit. Notabis hoc genus dicendi. — V. 51. *τὸ δὲ οἴκοθεν* cett. ad filium Adrasti Aegialeum pertinet apud Glisantem occisum, cf. Schol. et Apollod. III, 7, 3. Ad *ἀν-*

τία πράξει cf. Ol. VIII, 73. — V. 52. μόνος γὰρ cett. Solus enim e Danais ossa filii leget, filium amittet, ceterum feliciter redibit exercitu cum incolumi. — Ἄβαντος ἀγυιάς, Argos, vid. Schol. et Hygin. f. 136. not. 9. Argis vero constat expeditionem profectam. — Postremo ut de toto loco moneam, perspicuum est quae legimus non propter solam gymnicam victoriam Aristomenis dicta esse, sed simul pugnam ad Cecryphaliam spectari, in qua optime steterant Aeginetae parentibus suis digni, Pindaro pulcre Aristomenis gymnicam et Aeginetarum bellicam laudem hac mythica narratione coniungente. Ait igitur, credo: „Estis Aeginetae maioribus vestris plane digni. Ut tu Aristomenes ludicro in genere luctae puer maximopere excellis, quasi alter Alcmaeon inter Epigonos, sic nuper in proelio navali praeclaras res gessit iuventus Aeginae, conspectique sunt etiam illic egregii iuvenes, Alcmaeoni similes virtute, qui primi esse vellent in navibus hostium." Haec explicatio necessaria tibi videbitur, ubi iam antistropham comparaveris, quae non potest non certo nexu cum antecedentibus iuncta esse. Haec autem a ludicris rebus plane aliena est. Significatur in ea exitus belli Epigonorum felix, non tamen sine luctu privato ducis Adrasti, qui filium amisit. Quae res, nisi ineptum credimus Pindarum, non potest aliter quam de hac ipsa pugna navali Aeginetarum accipi. Ac mihi quidem non improbabile videtur ducem classis Aeginetarum e gente Midylidarum fuisse, reversum λαῷ σὺν ἀβλαβεῖ, filio tamen amisso. Nam filium occisum Midylidarum uni in hac pugna navali etiam Boeckhius monuit. Tecte hoc enuntiat poeta, qui per totum carmen de bellicis rebus, quae tum erant, tecte loquitur, ceterum haud dubie intellectus a Midylidis omnibus. Iam sensus antistrophae hic: „Ac quanquam dux vester privato luctu filii amissi afflictus est, exercitum tamen salvum ex illo proelio reduxit, ut olim Adrastus." — V. 56 sq. Redit iterum ad Alcmaeonem et ad Aristomenis gymnicam victoriam. — καὶ αὐτός, quemadmodum olim ab Amphiarao laudatus est. — στεφάνοισι βάλλω, ut victorem, olim ad Thebas. Vid. de φυλλοβολίᾳ ad honorandos victores Pyth. IX. fin. — ᾄνω δὲ καὶ ὕμνῳ, ὅτι cett., et laudo etiam hymno (Isthm. V, 21.), quia vicinus mihi et custos bonorum meorum occurrit Delphos petenti, et vaticinandi exercuit congenitas artes. Simplicissima fit explicatio, si Alcmaeon Thebis sacellum habuit

prope domum Pindari, et quum hic ad Pythia iret, gratum facturus poetae, cui etiam bonorum custos erat, in itinere noctu apparuit in somno et victoriam Aristomenis praedixit. Tamen historia Alcmaeonem Thebis cultum tacente, Boeckhius id omnino negat, quum etiam Oropi cultus non sit, et statuit in itinere Delphico poetam forte venisse aliquo ad sacellum Alcmaeonis, veluti, si ex Arcadia Delphos petierit, sepulcrum Alcmaeonis Psophide Arcadiae posse cogitari; in eius vicinia Pindarum habitasse, fortasse in luco pecunias servandas deposuisse, tum Alcmaeonem oblatum proficiscenti. Sed vereor, ne paullo artificiosior videatur plerisque haec coniectura. [V. 59. De γᾶς ὀμφαλῷ v. P. XI, 10. VI, 3.] — V. 60. ἐφάψατο μαντευμάτων τέχναις, cum dativo, cf. ad Ol. I, 86. — συγγόνοισι, quum vulgo non videatur vaticinatus esse, nunc exercet artem, ipsi ut Melampodidae congenitam. Occurrisse autem cum Pindaro in somno etiam Tafelius suspicatur, atque erat Amphiaraus certe ὀνειρόμαντις, Pausan. I, 34, 3. Denique oraculum Alcmaeonis ad victoriam proximam Aristomenis pertinuisse res ipsa suadet. Hinc statim in proximis versibus de hac victoria dicit, per locum de Alcmaeone ad praesentia rediens. [„Fortasse ad Amphiaraum haec pertinent: nam filii laus propter patrem commemorari potuit." Emperius. Non credo.]

V. 61 — fin. Cum Pythia etiam ceteras Aristomenis victorias praedicat, intexitque et subiicit sententias de imbecillitate humanarum rerum et deorum potentia, modestiam et pietatem commendans Aristomeni et omnibus Aeginetis. — V. 61. Apollinis πάνδοκος ναός opponitur sacello Alcmaeonis significato v. 58. — Πυθῶνος ἐν γυάλοις, in valle, ubi Pytho. [Vide ad Pyth. VI, 9.] — τόθι, ergo non Delphis canitur carmen, quod etiam per se certum. De Delphiniis Aeginae cf. Müller. Aeginet. p. 150. Hae nunc sunt ἑορταὶ ὑμαί, vestra sollemnia, Apollo, h. e. tua et Dianae, ut videtur, quum his duobus diis coniunctim consecrata fuisse videantur, ut Delphinia Attica. — ἁρπαλέαν, cupide expetitam, pergratam, iucundam. Sic Hom. Od. VIII, 164. κέρδεα ἁρπαλέα sunt studiose quaesita lucra. Theogn. 1046. δέξεται ἁρπαλέως est cupide, lubentissime; ibid. 1353. ἁρπαλέος ἔρως est iucundus, ut Mimnerm. I, 4. ἄνθεα ἥβης ἁρπαλέα. Idem XIII, 8. dicit εὕδειν ἁρπαλέως. Add. Pind. Pyth. X, 62. Maximum gaudiorum,

ait, Delphis praebuisti; domi vero pergratum et ipsum donum, quinquertii victoriam. Ceterum πεντάθλιον pro πένταθλον, ut Isthm. I, 26. — V. 67 sqq. Benevolo animo, rex, precor te, ut respicias verba, quae de quaque harum victoriarum cano. Hic solus sensus verborum mihi aptus videtur universo loco. Primum igitur iungi fortasse potest εὔχομαί τιν, duobus membris orationis transposito pronomine conflatis in unum, vid. ad Pyth. II, 66. Locis ibi laudatis adde nunc alia exempla. Sic Ol. VIII, 5: μαιομένων μεγάλαν ἀρετὰν θυμῷ λαβεῖν. ibid. v. 67 sq.: ἀνορέας δ' οὐκ ἀμπλακὼν ἐν τέτρασιν παίδων ἀπεθήκατο γυίοις νόστον ἔχθιστον. Nem. II, 1 sqq.: ὅθενπερ καὶ Ὁμηρίδαι ῥαπτῶν ἐπέων ταπόλλ' ἀοιδοὶ ἄρχονται. Vide etiam P. III, 108. Lenius tamen Hermannus τίν pro accusativo habet, cf. de dialect. Pind. p. 14. (Opuscc. I, 257.) et Buttm. Gr. ampl. T. I. p. 295. Quanquam aliud exemplum apud Pindarum non exstat. — Mox καταβλέπειν ἁρμονίαν, ὅσα νέομαι, respicere cantum, quem cano. ἁρμονία enim verba cum melodia. Ad ἁρμονίαν ὅσα cf. Pyth. VI, 21. Non iungam vero τὶν ἁρμονίαν pro σοῦ ἁρμονίαν, quae constructio admodum dura, cf. ad Ol. I, 57., nunc etiam durior fieri videtur praeposito pronomine. Ac pro εὔχομαι καταβλέπειν non bene omisso pronomine melius dicetur εὔχομαί σοι καταβλέπειν aut εὔχομαί σε καταβλέπειν. — Mox ὅσα νέομαι, quae percurro, persequor, cano, ut ἀναδραμεῖν Ol. VIII, 54., διελθεῖν Nem. IV, 72. Add. ὁδὸς λόγων Ol. I, 110. Latini dicunt ire per, Ovid. Fast. I, 15. Trist. V, 9, 22. — ἀμφ' ἕκαστον, cf. Pyth. II, 15. Hoc si universe accipimus, quae cano nunc de hoc, nunc de illo, vereor, ne aliena inferamus et quae hic nullam vim habeant. Immo de praesentibus rebus loquitur, orans, ut quae nunc canat de duabus his victoriis ab Apolline datis placeant deo. Praeparat sic optime sequentes sententias. Sensit hoc etiam Boeckhius meus, explicans: propitius respice mea carmina et alias et nunc: quod tamen sic non dixit Pindarus. Ex nostra ratione simplicior res et transitus facillimus. Pergit vero poeta v. 70: Nam comissatio quidem haec iusta est, utpote bonum virum vera et merita laude canens, deorum vero curam perennem opto fortunae vestrae, oppositis, ut vides, κώμῳ μὲν — θεῶν δέ. Comissatio igitur talis est, ut displicere non posse videatur diis; modo hi nunc praestent quod ipsi soli possunt. Atque ita transit ad locum ultimum carminis de vi et potentia deorum, unde humana omnia pendent. [Emperius: „Puto: volens vera et apta facias verba mea, et propitius ea ad eventum perducas. Nam ἁρμονίαν congruentiam hic significat." Rauchensteinius I, 16. explorata Kayseri ratione „videtur," inquit, „poeta indicare, utpote in carmine Pythio, cur et quomodo Apollinis mentionem inserere soleat suamque in deum pietatem testari. Scripserim igitur βαλεῖν vel, si mavis, πλέκειν: Apollo, affirmo me libenter tuum in honorem tuamque in gratiam concinnare harmoniam, quidquid de singulis victoribus persequor, i. e. si qua carminibus meis gratia est, libenter eam tibi refero acceptam, eamque tuum in honorem carminibus meis conciliare studeo. Scribendum enim νέομαι" etc. His iure spretis T. Mommsenius servatam librorum scripturam (κατά τιν' ἁρμονίαν, quocum Kayserus composuit Ol. IX, 26: εἰ σύν τινι μοιριδίῳ παλάμᾳ νέομαι κἄπον) ita expedit: „*mit bereitwilligem geiste behaupte ich von mir, auf allen meinen wegen nach irgend einer übereinstimmung (mit der göttermacht) auszuschauen. So, wenn auch volles recht diesem siege und also auch dieser feier und diesem sieger zur seite stand, erbitte ich doch den unwandelbaren schutz der götter für eure ferneren schicksale.*" Quae satis concinna sunt. Et similiter nuper Kayserus: „*Nach einer gewissen harmonie und ordnung rühmt sich der sänger bei seinem gotte alles, was er übernimmt, zu überschauen, so dafs dem siegesliede gerechtigkeit zur seite steht.*"] — V. 71. Δίκα παρέστακε. Sensum huius dicti optime explicat Schol. v. 99: οὐ ψευδόμεθα οἷς λέγομεν περὶ τοῦ Ἀριστομένους, ἤτοι δικαίως κωμάζεται ὁ Ἀριστομένης καὶ ἐπιτηδείως. Et confer Pind. Nem. III, 29. IX, 6. Pyth. IX, 95. Ceterum confer Theogn. 1227: ἀληθείη δὲ παρέστω σοὶ καὶ ἐμοί. — ὄπιν, h. e. ἐπιστροφήν, curam et providentiam, cf. Boeckh. Nott. critt. ad Ol. II, 6. — Ξέναρκες, patrem alloquens ut caput familiae. — V. 73 sqq. Sensus: Si quis enim laudes consequutus est brevi labore, ut Aristomenes brevi tempore multas victorias, multis eximie sapiens videtur, qui vitam munire possit rectis consiliis et conatibus. — πέπαται, cf. Buttm. Gr. ampl. T. II. p. 205. (263. Lob.) — μὴ σὺν μακρῷ πόνῳ, ut Aesch. Prometh. 75. οὐ μακρῷ πόνῳ, hoc est celerius, brevi tempore, ut non opus sit altera lectione χρόνῳ. Cf. Boeckh. de Crisi Pindar. §. 42. — Mox Tafelius iungit πολλοῖς πεδ' ἀφρόνων, multis inter stultos, pro πολλοῖς

ἄφροσι. Sed permirum est, quod multis inter stultos sapiens videtur, ac non omnibus stultis. Melius Boeckhius σοφὸς πεδ' ἀφρόνων construit cum Schol. Idem tamen vertit: prudens apud eos, qui stulti sunt; ego vero explico: Multis sapiens videtur inter stultos (ein weiser unter thoren), h. e. eximie sapiens, sapiens prae aliis plurimis, qui stulti comparati cum eo. Similis loquutio: ἀνὴρ ἐν ἀνδράσιν ἀπολωλόσι καὶ τρυφῶσιν, Philostr. Sen. Imag. II, 31. ibique Iacobs. p. 557. — κορυσσέμεν, armare, instruere, videtur esse firmare adversus mala et pericula, aptissimo sensu his Aeginae temporibus. — ἐπ' ἀνδράσι, in hominum potestate, vulgatissimum εἶναι ἐπί τινι, cf. Matth. Gr. §. 586. — κεῖται, velut Polyb. VI, 15. dicit: ἐν τῇ συγκλήτῳ κεῖται, penes senatum est, et Pindarus Pyth. X. fin.: ἐν ἀγαθοῖσι κεῖται. — παρίσχει, scil. αὐτά, praebet hoc. — V. 77. Sensus: Alias alium tollens, alius vero fortunam deprimit. Varias loquutiones, quibus haec sententia exprimitur, vide ap. Mitscherl. ad Horat. Carm. I, 34, 12. Hoc loco quaeritur, quid sit ὕπερθε βάλλων, quid χειρῶν μέτρον. Videtur explicatio partim peti posse e carmine Pallad. Alexandr. in Brunck. Analect. T. II, p. 431. Iacobs. Anthol. Gr. T. III. p. 138: Παίγνιόν ἐστι Τύχης μερόπων βίος. — καὶ τοὺς μὲν κατάγουσα πάλιν σφαιρηδὸν ἀείρει, τοὺς δ' ἀπὸ τῶν νεφελῶν εἰς Ἀΐδην κατάγει, nisi quod Pindarus non tam lusum quam vim divinam designare voluit. Verto igitur: Alias alium valida manu sua in altum iaciens ut pilam; in quo ὕπερθε, in altum supra se, dixit pro ὑψόσε, propter oppositam in sequentibus notionem: infra se. [Fortasse a rota sumpta comparatio, cfr. ad Ol. II, 21.] Iam enim sic declarata manus divinae vi, clarior fiet etiam altera loquutio, alium vero infra manuum suarum mensuram descendere facit deus. Quum manus infra medium corpus descendant, si quem infra manus meas deprimo, eum humi comprimo minimumque facio, ut ne eam quidem mensuram attingat, quae manuum mearum altitudine definitur. Unde iam non abundare vides μέτρον, uti perperam visum quibusdam, sed optime positum. Quod igitur Hesiodus dixit Ἔργ. 6: ῥεῖα δ' ἀρίζηλον μινύθει, καὶ ἄδηλον ἀέξει, et Xenoph. Anabas. III, 2, 10: οἵπερ (οἱ θεοί) ἱκανοί εἰσι καὶ τοὺς μεγάλους ταχὺ μικροὺς ποιεῖν, καὶ τοὺς μικρούς, κἂν ἐν δεινοῖς ὦσι, σώζειν εὐπετῶς, aliique aliter, hoc magnifice eloquutus est Pindarus. Ceterum καταβαίνειν est vi

activa ut passim. Cave vero participium postules pro καταβαίνει. Nunc enim non explicatur παρίσχει (quod fit verbis ἄλλοτ' — βάλλων), sed contraria sententia subiicitur. Denique ὑπὸ μέτρῳ, h. e. ita ut sit sub, ne postules accusativum. [De causativa significatione verbi καταβαίνει v. Buttm. Gr. II, 125 sq.] — Μεγάροις δ' ἔχεις γέρας cett. Habes autem, ait, multas victorias. Ceterum de ludis Megarensibus vid. ad Ol. VII, 86. Valde frequentabantur a pueris et iuvenibus Aeginetis. γέρας autem est praemium victoriae. — De Marathoniis cf. ad Ol. IX, 89. — Ἥρας ἀγῶνα ἐπιχώριον intellige Heraea s. Hecatombaea, quae Aeginetae Argis traduxerant; cf. Schol. h. l. et Müller. Aeginet. p. 149. In his igitur domesticis ludis vicerat ter, s. ut Pindarus loquitur, tribus victoriis eos subegerat forti certamine. — ἔργῳ, Schol. μετ' ἔργου καὶ ἐνεργείας πολλῆς, recte. Pyth. IX, 92. — V. 81 sqq. Redit ad Pythiam victoriam. Tamen non legitur in initio Pythiura nomen; quo igitur modo opposuit hunc locum antecedentibus? Nempe comma ponendum, ut feci, post φρονέων, non colon. Iam sensus: Quattuor autem cum adversariis certasti in Pythiis a te victis. Pro hoc dixit: Quattuor autem desuper irruisti adversariis, quibus nec reditus pariter iucundus in Pythiis est decretus, neque vero, quum venissent ad matrem, circumstantium risus dulcis iis excitavit laetitiam. — τέτρασι, scilicet alterum post alterum, quum ἔφεδρος esset et cum quattuor parium victoribus certare deberet; de qua re multis hic exponit Boeckhius. Ceterum tot non deiecerat, opinor, in antecedentibus certaminibus, quare bene in fronte posita haec vox orditur oppositionem. — ἔμπετες ὑψόθεν, apte de luctatore, qui adversarium medium prehensum flectit superincumbens et deiicit. Tafel. comparat καθύπερθεν ἐπεσσύμενος de Aiace, Quint. Smyrn. IV, 253. — σώματα pro personis dicunt, ubi corporis nomen aptum, cf. Soph. Oed. R. 643. Eurip. Alcest. 639. Nunc propter luctam, ut γυῖα memorantur Ol. VIII, 68. — κακὰ φρονέων, veluti Hom. Il. XVI, 783: Πάτροκλος δὲ Τρωσὶ κακὰ φρονέων ἐπόρουσε. — Mox οὔτε — οὐδέ, neque — neque vero, Isthm. II, 44, 5., cf. Boeckh. Nott. critt. ad Pyth. V, 54. Matth. Gr. §. 609, 1. c. β. Similiter τὲ — δέ, de quibus monitum ad Ol. VIII, 58. — ὁμῶς pariter ut tibi. — κρίθη, iudicio Amphictyonum. Boeckhius contra: Non ab iudicibus, sed, opinor, certamine, κρίσει ἀέθλων. — V. 85. μολόντων πὰρ ματέρα, casu absoluto, ut supra

v. 43. Sed nunc, quum verba opposita sint antecedentibus ἐν Πυθιάδι, ad augendam vim oppositionis. Confer dicta de nominativo ad Pyth. IV, 154. Ceterum ex hoc quoque loco vides, quod ad v. 33. monitum, puerum fuisse Aristomenem; nam non aliter hic apta videtur matris commemoratio, quam si pueri fuerunt redeuntes hi adversarii. Sententia haec est: Nunc reduces ad matrem non excipiuntur laete, quod factum esset, si victores venissent ad eam. — ἀμφί, risus dulcis circum, h. e. circumstantium. — V. 86. κατὰ λαύρας, per vias angustas curvasque (*enge nebengassen*), angiportus. Vox explicatur p. στενὴ ὁδός in Schol. ad Od. XXII, 128. 130. et ab Hesych. Hic quidem si vox simpliciter viam urbis qualemcunque significaret, male in fronte posita esset sententiae, quum plane certum sit in oppositis sententiis statim principium tale esse debere, quo niti possit oppositio. Recte dices: Victores laete excepti essent, nunc per angiportus trepidant; male vero sic: nunc per vias trepidant, quae sic potius collocanda: nunc trepidant per vias. Nam per vias incedunt etiam laeti; hac igitur voce per se non potest niti oppositio. Monui hoc pluribus verbis, quum non semper attendere viderim ad talia viros doctos. Ceterum cf. ἐπίκρυφον οἶμον Ol. VIII, 69. — ἐχθρῶν ἀπάοροι, inimicorum occursum suspenso animo devitantes, ne rideantur. ἀπήορος, suspensus, nunc timore (cf. φόβος μ' ἀναπτεροῖ Eurip. Suppl. 89.), sic iungitur cum genitivo, ut anxius, pavidus, formidolosus, alia, de quibus vid. Wunderlich. Observatt. critt. in Aeschyl. p. 122. Aliis placet interpretari: semoti, quum vox etiam διεστώς, ἀφωρισμένος, κεχωρισμένος explicetur a veteribus; minus commode. — δεδαιγμένοι, h. e. δεδαϊγμένοι. Vox primum designat saucium, perfossum, ut Hom. Il. XVII, 535., deinde est tropice dicta Od. XIII, 320. pro contristatus, quemadmodum etiam est δαίεται ἦτορ Od. I, 48. — V. 88 sqq. Sensus: Qui autem decus novum consequutus est tenera aetate, magna spe incitatus fertur animosus alatis consiliis (*schwebt auf den flügeln muthiger gedanken*), habens maiorem divitiis curam. — νέον, novum post alias iam partas, ut Pyth. VII, 18. νέα εὐπραγία. Sententia licet generalis sit, tamen simul accommodata est Aristomeni, more Pindarico. — ἁβρότατος ἔπι, optime vertes teneris annis, ut ἁβρόν est tenerum. Similiter Latini teneros annos dicunt pueriles. De ἔπι cf. Matth. Gr. §. 584. — ἐξ ἐλπίδος, Matth. Gr. §. 574. — πέτανται.

Metaphora, usurpata etiam de iis, qui metu suspensi sunt aut gaudio exsultant, et omnino de quovis animi motu, nunc de iis est, qui spe excitantur et ardore incalescunt ad maiora tentanda. Vid. Blomfld. ad Aesch. Choephor. 233. add. Crinagor. Epigr. Anthol. Gr. Iacobs. T. II. p. 136. cum not. T. VIII. p. 406. et vid. Aristoph. Av. 1445 sqq. Usurpantur πτεροῦσθαι, ἀναπτεροῦσθαι, πεποτῆσθαι, aliae formae. Compara etiam verba αἰωρεῖσθαι et μετεωρίζεσθαι, ἐπαίρεσθαι. — ἀνορέα est virtus, fortitudo, ἀνορέαι sunt animosa consilia, molimina fortia; cf. ad Pyth. III, 13. De alia denique significatione monitum ad Nem. III, 20. — ὑποπτέροις, veluti Theogn. dicit 707: φροντίδες ἀνθρώπων ἔλαχον πτερά. Vid. plura ap. Tafel. ad h. l. — Sic igitur nunc etiam Aristomenes maiorum rerum cogitatione ardebat et audaciora consilia conceperat, Olympicam, ut pulcre suspicatur Boeckhius, meditans victoriam. — μέριμναν de ludicrarum victoriarum studio vidimus Ol. I, 108. — κρέσσονα πλούτου, maiorem divitiis, h. e. non parcentem iis, posthabentem eas gloriae et erogantem in laudes ludicras, ut bene Boeckhius, qui addit: In itinera, in diuturnam apud peregrinos commorationem, in corporis exercitationem, in victum curatissimum et praeceptores, postremo in sacrificia, poetas, musicos, choreutas pompaeque apparatum, haud raro etiam in donaria dedicanda sumptus faciunt. Idem est Nem. IX, 32: κτεάνων ψυχὰς ἔχοντες κρέσσονας ἄνδρες. Redit nunc poeta, ut de consilio loci dicam, ad eandem sententiam, quae supra iam posita erat v. 73 sqq. Quorsum vero hoc facit? Num tam levis et immodestus erat Aristomenes, ut bis gravissimis verbis monendus esset? Non credo. Obscurum enim non est dici haec propter Aeginae periculosa tempora. Dilata quidem erat expugnatio insulae, sed non plane propulsata, ut modesti, cauti et ad omnia parati esse deberent cives. Quod igitur nunc Aristomeni dicit, propter omnes dictum est; idque maxime liquet ex fine carminis. Iterum enim rediens ad eandem sententiam nunc surgente oratione verbis longe gravissimis utitur, et postremo universam gentem heroicam insulae invocat, ut populum tueri velint. — ἐν δ' ὀλίγῳ cett. Similes sententias vid. Soph. Ai. 131. Antigon. 1156. aliaque hic laudantem Tafelium. — ἀποτρόπῳ, infenso, tristi consilio, decreto dei concussum. Contrarium est ἐπίτροπος Ol. I, 106. — V. 95. ἐπάμεροι, ἐφήμεροι, ἐφημέριοι, unum diem viventes, brevis et caducae vitae homines. Pind. Fragm.

incert. nr. 25. 72. Aeschyl. Prometh. 253. 347. 945. Eurip. Orest. 964. et Aristoph. Nub. 223. Vide plura apud Tafelium h. l. Idem ἀμέριοι. Primi Pindarus et Aeschylus ita hac voce usi. Ceterum ἐπάμεροι haud dubie vocativus est. Fac esse nominativum, ἐπάμεροί εἰμεν, et ieiuna fient quae sequuntur, τί δέ τις; τί δ' οὔτις; σκιᾶς ὄναρ ἄνθρωπος. Haec autem verte: Quid est magnus? quid est parvus? Umbrae somnium homo, h. e. magnus et parvus pariter nihil sunt nisi umbra, et ne umbra quidem, sed somnium umbrae. Est igitur τὶς hic homo fortunatus, opibus, honore gloriave ornatus, omnino qui in aliquo numero est. Theocrit. XI, 79: δηλονότ' ἐν τᾷ γᾷ κἠγών τις φαίνομαι ἤμες. Similiter τὶ dicitur. Cf. Matth. Gr. §. 487, 5. ibique laudata. Idem Latinis aliquis et aliquid. Contra οὔτις est, cui haec negata sunt, εὐτελής, ἐν σμικροῖς ὤν, tenui sorte, humilis, ut saepe οὐδείς et μηδείς, οὐδέν et μηδέν de homine nullius momenti, quemadmodum etiam de homine nullius pretii. Veluti Aristoph. Equitt. 157: ὦ μακάρι', ὦ πλούσιε, ὢ νῦν μὲν οὐδείς, αὖριον δ' ὑπερμέγας. — σκιᾶς ὄναρ sic dictum, ut nihil dici possit gravius. Ceterum similia sunt multa, ut Soph. Ai. 126: ὁρῶ γὰρ ἡμᾶς οὐδὲν ὄντας ἄλλο πλὴν εἴδωλ', ὅσοιπερ ζῶμεν, ἢ κούφην σκιάν. Atque ita ὄνειρον, πνεῦμα, σκιᾶς εἴδωλον, καπνός, καπνοῦ σκιά de homine et de rebus humanis dicuntur, cf. ad Soph. Antig. 1155. et vid. Wyttenb. ad Plutarch. Consol. ad Apollon. p. 713. et Tafel. h. l. [Aliter V. F. L. Petri Anthol. Pindaric. p. 11 sq., qui hunc statuit sententiarum nexum: „Nihil interest, superisne auris fruatur quis, an fato interceptus occidat; somnii instar et umbrae tenuis volubilisque visi nocturni celeritate dilabitur aevum. Tenebricosa tamen haec vita lucidis passim intervallis distinguitur divinitus interpositis" cett.] — V. 97. ἔπεστιν, adest. — ἐλευθέρῳ στόλῳ, libero populo hanc urbem fove et serva. στόλος, exercitus, dicitur ut στρατός de populo, et nunc quidem de nautico Aeginetarum populo, quum στόλος inprimis etiam navales copiae sint. Boeckhius: Libero cursu deduc Aeginetas. Sed dubito urbi recte tribui cursum. Ceterum vides alludi ad pericula libertati Aeginae imminentia. Invocat autem universam Aeacidarum gentem cum parentibus Aegina et Iove. [Kruegerus l. c. p. 190 sq. merito Dissenii explicationem vituperat, quoniam Pindarus vocem στόλος eo significatu nusquam usurpaverit, v. ad Nem. III, 17. Ipse collatis similibus translationibus imaginem, ut saepe civitates cum navibus comparantur, a re navali ductam ratus redit ad Boeckhii explicationem: „*führe diese stadt in freiem zuge, in freier bahn.*"]

Carmen Pythium nonum.

INTRODUCTIO.

Telesicrates Cyrenaeus, Carneadae filius, Pythia vicerat armato cursu Pyth. 28., Ol. 75, 3. Idem postea stadio vicit Pyth. 30., Ol. 77, 3. Vide Scholia. Pindarus tamen de priore tantum victoria agit, ut scriptum sit carmen Ol. 75, 3. Victor nondum redierat Cyrenas, quum carmen caneretur; cf. ad v. 73. et adde quae v. 91. ad πόλιν τάνδε et v. 93. ad ἀστῶν monita sunt. Sed quemadmodum Cyrenis non cantatum est primum, ita etiam Delphicae comissationis ne minimum quidem vestigium reperitur, quum Olympiorum quae Olympiae cantata sunt et Pythium sextum Delphis cantatum non diu dubitare te sinant de loco. Disputavi haec omnia de sententia Boeckhii, qui pulcram coniecturam addit, Thebis cantatum videri. Videtur enim Telesicrates ex Aegidis fuisse (cf. ad v. 84 sqq.), Aegidae autem et Spartani et Cyrenaici Thebis oriundi erant. Probabile igitur Telesicratem post victoriam Pythiam Thebas cognatosque Aegidas visurum cum popularibus comitantibus eo venisse, ibique a Pindaro expetitum carmen etiam cantatum esse primum in victoriali comissatione, ceterum post reditum victoris in patriam haud dubie repetitum etiam illic in convivio inter alia carmina. Atque huic coniecturae nihil repugnat, favet autem maximopere locus v. 84 sqq., de quo infra videbimus. [Welckerus Opuscc. II. p. 198. monet pariter Iamidae Agesiae Syracusani victoriam Stymphali celebrari Ol. VI., Demophilum Cyrenaeum ab Arcesila expulsum Thebas sese contulisse, Pyth. IV., et Tenedium Theoxenum Scol. fr. 2. Thebis versatum videri.] — Argumentum hoc est: Post introitum poeta transit ad fabulam de nympha Cyrena, filia Hypsei, Lapitharum in Thessalia regis, quae non ut aliae puel-

lae textorio opere delectabatur conviviisque domesticis, sed venationis studiosissima armenta patris defendebat a feris. Sic eam quondam luctantem cum leone vidit Apollo, subitoque amore correptus quaerit ex Chirone in illis regionibus habitante, quaenam sit haec puella, et num liceat statim ei manum inferre, an in lecto praestet decerpere florem virginitatis. Centaurus dulce ridens leniter monet cohibendum impetum cupiditatis, tectam praeferendam persuasionis viam, neque apud deos neque inter homines licitum haberi palam tentare concubitum. Pergit deinde Apollini narrare fatorum ordinem: futurum esse coniugem virginis deum, eamque ducturum in Libyam, ubi ei postea imperium daturus sit populi e Thera illuc transferendi; interim nunc Libyam recepturam apud se heroinam in aurea domo et ei donaturam terrae partem. Ibi Cyrenam filium enixuram Aristaeum, educandum apud Horas et Tellurem, praesentissimum numen qui futurus sit hominibus ovibusque, multis nominibus divinis cultum. Atque ita res evenit. Factae nuptiae eodem die in Libya, ubi iam nympha pulcherrimam Cyrenarum urbem regit. Hanc nunc Pythia victoria ornavit Telesicrates. Exin pergit poeta: magnae virtutes, quales tuae, largam quidem canendi materiam praebent, sed tamen, si paucis res magnas comprehenderis, suavissimum est oblectamentum. Opportunitas observari debet. Cuius rei etiam Iolaus olim specimen edidit, qui senex vires breves precatus ad hoc tantum, ut Eurystheum occideret, re peracta mortuus est et conditus sepulcro avi Amphitryonis, ex quo et Iove Alcmena peperit Iphiclem, patrem Iolai, et Herculem. Hos vero stultus est qui non canat et Dircaeas undas eorum nutrices; laudabo eos, quoties mihi bonum ex voto contigerit. In Aegina enim hunc vicisse dico et Megaris iam ter, persaepe etiam in domesticis ludis eum admiratae sunt virgines. Post haec in fine carminis poeta ad gentis antiquitates accedit. Nam quum olim Antaeus Irasorum rex filiam nuptum collocare vellet, Danai exemplum imitatus, praemium certantium eam ad metam statuit, ut qui primus eo pervenisset cursu puellam duceret. Contigit hoc Alexidamo, maiorum Telesicratis uni, saepe etiam alias qui vicerat in certaminibus.

Ita Pindarus. Restat, ut interiorem horum omnium rationem explicem. Sunt autem tres omnino partes carminis, quarum in prima fabula Cyrenae heroinae exponitur, in altera ludicra laus Telesicratis, tertia priores coniungit. Fuit igitur Telesicrates

cursor eximius, *σταδιοδρόμος* et *ὁπλιτοδρόμος*, qui praeter domesticos ludos omnes adierat Aegineticos et Megarenses et nunc etiam in Pythiis vicerat armato cursu, nobili certaminis genere, quod non parvum corporis robur requirebat, atque etiam antiquis heroibus ferebatur usurpatum, cf. Ol. IV. et Isthm. I. Vidimus laudem gymnicam viri; accedimus ad primam carminis partem. Quanquam varia sunt argumenta horum carminum atque aliae proponuntur in aliis sententiae, tamen, ubi omnia cognita habeas, etiam similitudines multas reperies, quibus ductus quae primo adspectu obscuriora sint revocare possis ad veram rationem suam. Vidimus autem in antecedentibus saepe pulcras coniunctiones virtutum pro fundamentis carminum positas, et singula omnia ad duas virtutes relata, quae vel essent vel deberent esse in victore sociatae. Idem dico nunc tenendum. Quippe gymnicae virtutis, *ἀνδρίας*, laudi addit poeta *σωφροσύνης* commendationem, quum illud demum egregium decus sit, si virium florens robur etiam animi moderatione et modestia ornetur. Ac Telesicrates quidem iuvenis erat florente aetate, quem admirabantur virgines in ludis et maritum filiumve optabant; idem vero, dum Thebis versabatur, aliquando affectu abreptus virgini civi vim inferre voluisse videtur; unde poeta pro generali *σωφροσύνης* commendatione nunc amoris potissimum pudicitiam et verecundiam praedicat pulcherrima fabula ex ipsis Cyrenarum antiquitatibus ducta. Ut igitur Apollinis impetum sedat monitu sapiens Chiro, deusque sequutus hoc consilium decorum coniugium init cum Cyrena, et filius oritur e fausto coniugio praeclarus, sic Pindarus divino exemplo proposito Telesicratis errorem iuvenilem castigat eumque admonitione miti hortatur, ut a pudore ne recedat in posterum, sed honesti coniugii gaudia praeferat castosque hymenaeos, victori ludorum admirabili non defuturos in *καλλιγύναικι πάτρᾳ*. Non negamus interim fabula Cyrenae proposita simul urbem illustrari, sed poterat patria illustrari etiam aliis narrationibus: quaeritur igitur, cur hanc maxime antiquitatum partem sibi tractandam sumpserit et cur sic tractaverit, ut fecit; cuius rei vix aliam simpliciorem explicationem invenias nostra. Inter Pindarica est Nemeaeum quintum huic simile quodammodo, quod et ipsum cum gymnicae virtutis laude pudicitiae commendationem coniunctam habet. Ac quis non magis etiam admirabitur posthac singularem pulcritudinem exitus, de quo restat ut dicam. Etenim ut in aliis carminibus vidimus praesentem victorum virtutem

mythica maiorum virtute illustrari, sic hic Pindarus declaratis victoriis Telesicratis in fine ad Alexidami gloriam venit, significans ita Telesicratem non defecisse a laude gymnica patrum et antiquitus tradita virtute valere. Sed, nisi fallor, etiam ceteris poetae consiliis convenit praeclara haec narratio, universum carminis argumentum eximie complectens. Non possum, quin in fine etiam nobilis illius Alexidami memoriam excitem, ait Pindarus, qui fuit unus maiorum tuorum. Cursor eximius petiit coniugium pulcherrimum et consequutus est: sponsam partam manu tenens abibat per Nomadum circumstantem turbam, folia et coronas undique in victorem iacientium Sic tu, virtutis gymnicae avitae heres, etiam coniugem quondam ducas honesta petitione partam pulcherrimam faustasque feras gratulantium in uavissima fortuna acclamationes.

[Miram Dissenii coniecturam primus convellit Boeckhius in Annall. Litt. Berolinenss. a. 1830. II. nr. 75. p. 599 sqq. ut prorsus incredibilem et a moribus institutisque veterum valde abhorrentem. Illud laudat, quod Dissenius primus admonuit omnia ad amorem et nuptias referri; sed quod pudorem et pudicum amorem maxime commendari statuit, Boeckhio sententiae illae, quas Dissenius in suam rem convertebat, ex ipso argumento fabulae sponte provenisse videntur. Ipse statuit Telesicrati eo tempore, quo poeta hoc carmen condidit, puellam Thebanam ex gente Aegidarum fuisse sponsam, quam ille in eo fuerit ut secum domum deduceret. Ita omnia aptissime excogitata esse demonstrans Boeckhius inter alia p. 607 sq. haec dicit: „*Weil Telesikrates im begriff ist die braut nach Kyrene heimzuführen von Theben, stellt Pindar dar, wie ebenso Apoll Kyrenen vom Pelion nach Libya gebracht; wie in dem muthe der hochherzigen nymphe die kyrenäische tapferkeit vorgebildet ist, so mag immer in der erwähnung der züchtigen scheu des dichters erwartung, wunsch, ja ermahnung liegen, Telesikrates werde die braut in ehren halten, da sie erst in Kyrene ihm verbunden werden soll, im hause des mannes, wie es sich der sitte nach gebührte, gerade wie Apoll sich der Kyrene erst in Libyas goldnem brautgemache vermählt, von Aphroditen empfangen und begünstigt. Auch Kreusens und des Peneios liebe scheint nicht umsonst hervorgehoben. Wie ferner Kyrene den wundervollen Aristaeos gebar, so wird erwartet werden können, dafs auch das neue paar edle sprösslinge erzeuge; hat doch die Thebanerin Alkmene die trefflichen Amphitryoniden gebo-*

ren, deren einer, Herakles, der stammherr des dorischen herrscherhauses ist, welchem die Aegiden hülfreich waren; ihm und seinem bruder Iphikles will der dichter einen κῶμος feiern παθὼν ἐσλόν τι und zwar ἐπ' εὐχᾷ. Hier liegt offenbar die thatsache zum grunde, dafs der dichter in bezug auf Telesikrates ein gelübde unternommen hat oder noch unternehmen will, dafs er also dessen erfüllung schon erlangt hat oder noch hofft: kaum ist es aber wahrscheinlich jetzt noch wie früher, dafs dies gelübde nur für den sieg des Telesikrates unternommen war oder werden sollte, sondern das ἐσλόν scheint wesentlich zusammenzuhängen mit der vorliegenden heirath, sei es, dafs der dichter für den sieg ein gelübde gethan, damit Telesikrates die braut gewinne, sei es, dafs er es erst thut, um eine gesegnete und fruchtbare ehe, eine den Amphitryoniden ähnliche nachkommenschaft zu erflehen. — Auch das folgende pafst zu unserer erklärung des gedichts; Kyrene, heifst es, werde den Telesikrates günstig aufnehmen in dem vaterlande, welches reich an schönen frauen, wo manche jungfrau ihn sich zum gemahl gewünscht, manche mutter zum sohne: auch der neid wird freilich nicht schweigen (v. 93 sqq.). Wie vortrefflich ist endlich unter unserer voraussetzung der mythos von Alexidamos angebracht, der, ebenfalls ein wettläufer, durch seine kampftugend sich die trefflichste jungfrau erworben hatte." — Paullo aliter Welckerus Opuscc. II, 198 sqq. Is Boeckhium nimium sumpsisse censens haec potius subesse universo carmini statuit p. 205: „*Siegesfreude durch die aussicht auf die reizendste verbindung. Telesikrates ist glücklich, dorthin, wo eine wegen ihres kampfmuthes von Apollon erhobene Lapithenjungfrau als stadtgründerin verehrt wird, wo ihn früher schon bei geringeren spielen der jungfrauen blicke verfolgten, wo auch sein ahnherr durch wettlauf des einheimischen königs tochter gewann, wo schönheit der frauen einheimisch und Aphrodite eine hehre göttin ist, den reizenden kampfruhm (δόξαν ἱμερτάν) zurückzubringen, er, der für freund und feind ein gegenstand des preises, für die schönen Kyrenerinnen der sehnsucht ist: denn zog er diese schon in den kyrenischen kampfspielen an, mit welchen augen erst werden sie als pythischen sieger ihn erblicken!*" — Tertium G. Hermannus Opuscc. VII, 161 sq. concedit omnia eo spectare, ut de connubio, quod victor initurus fuerit, cogitare debeamus. Sed aperturus, id quod nondum factum sit, cur non diserte mentio fiat connubii, quod contracturus esset Telesicrates, et quo consilio Apollinis

illud et Chironis colloquium sit a poeta inventum, Hermannus non sponsum fuisse Telesicratem, sed amavisse virginem quandam suspicatur, cuius sibi amorem conciliare cupierit. Postremo Heimsoethius Mus. Rhenan. Nov. a. 1846. p. 1 sqq. de arte huius carminis disputat. Proficiscitur is quidem ab eo, ut fabulam Apollinis et Cyrenes, ab Hesiodio Eoearum poeta narratam a Pindaro summo deo digniorem in modum conformatam demonstret. Ex qua disputatione illud maxime memorabile videtur, Chironem in vetusta fabula Apollinem Cyrenae manus illaturum videri deprehendisse, quo ille facto heroinam in Libyam asportaverit. Pari modo Cyrenae nymphae ut honor et dignitas amplificaretur curavisse poetam, cum qua non illicitos ille, sed iure connubii sancitos amores habuerit. Cetera subtilius edissertata ab Heimsoethio ipso petant lectores: nos ea apponimus, quae p. 10. paucis complectitur: „*Das glänzende gedicht ist zusammengewoben aus einer gleichmäfsigen verherrlichung Kyrenes, der auserwählten braut — ihres heiligen gemales, des gottes der spiele in Delphi — des jugendlichen, ruhmbekränzten, vornehmen Kyrenäers, der, früher schon in allen wettkämpfen seines vaterlandes sieger, nun in Griechenland in Aegina und Megara, zuletzt durch den glänzenden Apollinischen sieg, Theben nicht minder als Kyrene mit ruhm geschmückt hat.*" T. Mommsenio denique placet Telesicratem una cum victoriali pompa nuptias suas celebravisse.]

EXPLICATIO.

V. 1—4. Prooemium simplicissimum. Canam Pythium victorem Telesicratem, decus Cyrenes. [Raro Pindarus hanc prooemiorum simplicitatem ad exemplum epicorum maxime poetarum usurpavit, ut quid potissimum cantare velit statim in ipso limine eloquatur. Confer tamen Encom. fr. 1. et quae similia attuli Commentat. de Laso Hermionensi p. 10.] — *χαλκάσπιδα*. Cursor armatus, *ὁπλιτοδρόμος*, ut liquet e Pausania VI, 10, 2., ferebat clypeum, galeam et ocreas, quae sunt *ἔντεα χάλκεα* Ol. IV, 22. Horum armorum clypeus fuit potior pars, unde huius nomine passim designatur totum, ut Pausan. V, 8, 3. *δραμόντες ἀσπίσιν ὁμοῦ* dicuntur et hic *χάλκασπις*. Ac mansit clypeus aereus etiam postea, quum decrescente robore

virorum galea et ocreae sublatae essent, vid. Pausan. l. l., quod quando coeptum sit non constat, factum tamen haud dubie post perditam demum libertatem Graeciae. — V. 2. *ἀγγέλλων*, cf. Ol. VII, 21. — *σὺν Χαρίτεσσι*, carmina epinicia docentibus, ut saepe monitum, cf. ad Ol. IV, 9. IX, 29. Pyth. VI, 2. Accedit, quod Gratiae Cyrenis colebantur, cf. Thrige p. 290. — V. 4. *ὄλβιον*, opulentum virum, quippe nobili genere ortum. — *διωξίππου*, propter curulia studia Cyrenaeorum, de quibus vid. ad Pyth. IV, 18. Epitheton ornans, ut Thebae sunt *πλάξιπποι, εὐάρματοι*, cf. Ol. VI, 85. Qualis autem urbs, talis etiam dea urbis. — *στεφάνωμα*, quum victor ei coronas ferat, eam coronet; cf. ad Pyth. II, 6. [*στεφάνωμα Κυράνας*, decus Cyrenae, Rauchensteinius universo enunciato superadditum volebat. Perperam: στεφ. ab *ὄλβιον ἄνδρα* non licet divellere. Recte veteres, v. Eustath. Prooem. p. 14: *Δυάζει τὰ ἡρωϊκὰ πρόσωπα, ὁποῖόν ἐστι καὶ τό· ἦν ὁ δεῖνα Κυρήνης στεφάνωμα, ἣν ἤρπασεν Ἀπόλλων.*]

V. 5 — 70. Mythica narratio de Cyrena. Cyrena, Hypsei Lapitharum in Thessalia regis filia, venatrix, dum luctatur cum leone, ab Apolline conspecta ita dei amores movet, ut hic statim eam amplecti cupiat, monitu Chironis autem, fervorem Phoebi cohibentis, traducitur in Libyam ibique iustis nuptiis castoque lecto deo iuncta Aristaeum parit et urbi Cyrenarum praeest. — Fabulam de Cyrena persequitur Müllerus Orchom. p. 346 sqq. ostendens, quum reges Cyrenaeorum originem a Minyis traherent (cf. Pyth. IV.), Iolci in Thessalia maxime regnantibus, deductio autem coloniae Cyrenaicae monitu Delphici oraculi facta esset (cf. ad Pyth. IV. init.), inde ortum pulcherrimum mythum: heroinam Cyrenam Hypsei filiam e Lapitharum gente seu Phlegyarum, qui Minyarum pars, ab Apolline raptam et in Libyam traductam esse. De eadem re vid. Thrige de Rebus Cyrenensium p. 55 sqq. — V. 5 sq. *ἐκ Παλίου κόλπων*, cf. de sede Lapitharum Müller. Orchom. p. 198. — Verbis: *χρυσέῳ δίφρῳ*, ut mox *θεοδμάτων ὀχέων*, Apollinis currum designari liquet, non Veneris. Quod Pherecydes cycnis Veneris avibus currum tractum tradiderat, cf. Fragment. Sturz. p. 149., de eo hic nihil. — *ἀγροτέραν*, venatricem. Porro constructio loci haec est: Transtulit virginem eo, ubi eam praeclarae constituit dominam terrae, tertiam continentis partem ut habitaret. — *πολυμήλου καὶ πολυκαρποτάτας*. Frugum

fertilitatem vidimus iam Pyth. IV, 6. Et μῆλα quod attinet, cf. Hom. Od. IV, 85. et plura apud Thrige p. 302., qui hodieque regionem ovibus nobilitatam addit. Dicendum vero nunc semel est explicatius de adiectivis iunctis et non iunctis copula apud Pindarum. Recte igitur nunc haec duo significatione diversa, vi paria epitheta copula iunguntur, ut idem explicatius dicitur Ol. VII, 63: πολύβοσκον γαῖαν ἀνθρώποισι καὶ εὔφρονα μήλοις. Similiter Ol. VI, 55. dictum: ἴων ξανθαῖσι καὶ παμποφύροις ἀκτῖσι, et infr. v. 69: καλλίσταν πόλιν κλεινάν τ' ἀέθλοις. Copula interposita facit, ut unumquodque adiectivum separatim cogitetur, quod, ut saepe necessarium, ita aptum etiam est in amplificatione laudis. Plurima tamen exempla sunt non positae copulae. Ac primum quidem copula carent quae, ut eandem adiectivi notionem bis referant, cumulantur ad maiorem vim. Veluti sunt: ἀπάλαμον βίον ἐμπεδόμοχθον Ol. I, 59. ἅμαχον ἀστραβῆ κίονα Ol. II, 82. βαθεῖαν μέριμναν ἀγροτέραν ibid. 54. ἑκατογκεφάλα Τυφῶνος ὀμβρίμου Ol. IV, 7. τερπνᾶς χρυσοστεφάνοιο Ἥβας Ol. VI, 57. εὐθυμάχαν πελώριον ἄνδρα Ol. VII, 15. ὀξυρεπεῖ δόλῳ ἀπτῶτι Ol. IX, 91. ποιμένα ἐπακτὸν ἀλλότριον Ol. XI, 89. αἰθέρος ψυχρᾶς ἐρήμου Ol. XIII, 88. ἀλαθὴς ἔξορκος βοά ibid. 98. φθινοπώρις ἀνέμων χειμερία καταπνοά Pyth. V, 112. ῥίζαν ἀπείρου τρίταν εὐήρατον θάλλοισαν Pyth. IX, 8. et καλλίκομον ἀγακλέα κούραν v. 106. λιπαρᾶν εὐωνύμων ἀπ' Ἀθανᾶν Nem. IV, 19. γνώμαν κενεὰν χαμαιπετοῖσαν ibid. 40. ἀσκίοις ὠγυγίοις ὄρεσιν Nem. VI, 45. ἀσπιδοδούποισιν ὁπλίταις δρόμοις Isthm. I, 23. γλυκεῖαι μαλθακόφωνοι ἀοιδαί Isthm. II, 7. χάλκεον στονόεντ' ὅμαδον Isthm. VII, 25. Huius loci ea dico, quae vel similem significationem habeant, vel, etiamsi per se non habeant, tamen nunc ita ponantur, ut coeant in unam notionem, veluti ψυχρᾶς ἐρήμου αἰθέρος, χάλκεον στονόεντ' ὅμαδον. Male v. c. dixisset ψυχρᾶς καὶ ἐρήμου αἰθέρος, quasi ibi diversis pluribus et separatim proponendis epithetis illustrandus fuisset aether. Ceterum ubique in his exemplis fortius est secundum adiectivum. — Porro etiam talia in unam notionem arcte coniunguntur: εὐθύτομον πεδιάδα σκυρωτὰν ὁδόν Pyth. V, 90., sed alio modo. Nam aut adiectivi notio una expressa habetur pluribus vocibus cumulate, ut in superioribus exemplis, aut substantivae notionis alicuius singulae partes diversae at nunc inseparabiles indicantur, ut totius una integra notio proponatur. Tale est ultimum exemplum. — Deinde non iunguntur copula nec iungi possunt quae

dignitatis diversae sunt, diverso modo cum substantivo suo nexa. Talia haec: θαλπνότερον φαεννὸν ἄστρον Ol. I, 6. διχόμηνις χρυσάρματος Μήνα Ol. III, 19. οὐρανίων ὑδάτων ὀμβρίων (ὄμβρων) Ol. X, 1. ἀλαθὴς ἔξορκος — ἀδύγλωσσος βοά Ol. XIII, 100. ποικίλαν ἴυγγα τετράκναμον Pyth. IV, 214. κοινὸν γάμον γλυκύν ibid. 223. ἐπικωμίαν κλυτὰν ὅπα Pyth. X, 6. ἡρωΐαις πομπαῖς πολυθύτοις Nem. VII, 46. παιδείους μελιγάρυας ὕμνους Isthm. II, 3. Vertes hoc genus ita: lucidum sidus quod calidius; aurea luna quae tum plena erat; dulcis vox praeconis quae verax et iurata est; versicolorem torquillam quae quattuor radiis illigata esset; dulces nuptiae quibus iungerentur; comissationis praeclaram vocem; magnis sacrificiis quae heroibus offerentur; dulces hymnos quos pueris canebant. Ubi autem ita non verti potest commode, hoc genus locum non habet. Veluti Isthm. I, 23. ἀσπιδοδούποισιν ὁπλίταις δρόμοις inepte vertas: armatis cursibus ubi clypei strepunt, quasi ibi maior quaedam vis in ἀσπιδοδούποισιν. Immo est: scutistrepis armatis cursibus, fortiore epitheto secundo, quare ad antecedens genus hunc locum retuli. Omnino haereas interdum, utrius generis aliquem locum dicas, quum discrimen possit tenue esse, et quum reperiantur quae per se utriusque generis esse queant. Quod uno exemplo illustrabo. Pyth. IV, 184. Verba: τὸν παμπειθῆ γλυκὺν πόθον, si scripta essent: τὸν γλυκὺν παμπειθῆ πόθον, ad antecedens genus retulissem, nunc haud dubie huius secundi generis sunt et vertenda ut ibi feci: dulce desiderium quod omnes trahebat, quod solum illi loco aptum. Attendendum igitur ad peculiares rationes locorum, ut discas, utrum in uno solo adiectivo nitatur vis sententiae, an duobus coniunctis; haec enim est res. Denique ab utroque genere distinguam enumerationes graviores, vividiores, in laude aut reprehensione, veluti Ol. IX. fin. εὔχειρα, δεξιόγυιον, ὁρῶντ' ἀλκάν. Add. Nem. IV. fin. et Nem. VIII, 33. Hoc genus pausas habet pronuntiationis, commodum etiam ubi componuntur quae propter notionum rationem copula iungere nolis, ut Ol. XIII, 5: Ἰσθμίου πρόθυρον Ποτειδᾶνος, ἀγλαόκουρον. Vera structura huius loci, non recte explicata supra, haec est: Opulentam Corinthum, quae Isthmi magnificum vestibulum est aedificiorum praestantia, et cives eximios alit. Atque haec hactenus; de aliis scriptoribus dicere hic nolui. Redeo unde digressus sum. — V. 8. ῥίζα ἀπείρου τρίτα, tertia pars continentis, Libya; quum tres partes continentis distingueret poeta: Europam, Asiam, Li-

byam, cf. Herod. IV, 42 sqq. — *εὐήρατον Θάλλοισαν*, amoenam, vides ad *ῥίζαν* referenda. [Coniunge *Θῆκέ νιν οἰκεῖν*, praedicati loco acceptis *δέσποιναν χθονός*, cum Hermanno Opuscc. VII, 162. Deinde *Θάλλοισαν* ad *δέσποιναν*, *εὐήρατον* ad *ῥίζαν* rettulit scholiasta: *ἔνθα αὐτὴν τῆς πολυπροβάτου καὶ εὐκάρπου γῆς ἔθηκε δέσποιναν, καὶ οἰκεῖν Θάλλουσαν καὶ γαυριῶσαν τὴν ἐπέραστον τρίτην μοῖραν τῆς ἠπείρου γῆς.*] — V. 9. *ὑπέδεκτο — Θεοδμάτων ὀχέων*, excepit ex curru dea facili manu sublevans, *χερὶ κούφᾳ*, i. e. *κουφιζούσῃ*, cf. Valcken. ad Eurip. Phoeniss. 854. Sic Eurip. Iphig. Aul. 600: *τὴν βασίλειαν δεξώμεθ' ὀχῶν ἄπο*. Boeckhius meus construit: *ὀχέων ἐφαπτομένα χερὶ κούφᾳ*, manu tenens currum. Sed hoc iciunum videtur, quum suavius deus descendens sublevetur quam currus tangatur, nec convenit *κούφᾳ*. Quae vox non aptior, si inhibentem cogitas currum deam, rem ceterum hic alienam. Ubi subsistendum esset, Apollo ipse sciebat. Verum dicendum de ceteris est. Quum Venus coleretur Cyrenis, cf. ad Pyth. V, 22., Pindarus deam fingit iam ante Cyrenas conditas in illa regione habitantem, ut transferunt talia scriptores in antiquiora tempora. Atque ita nunc commode excipit advenas. Sed quam pulcre hic omnia excogitata sint, tum demum perspicias, ubi memineris quae ego in Introductione de consilio universae fabulae narratae exposui. Agit Pindarus hoc, ut coniunctionem Apollinis et Cyrenae non impudicum concubitum fuisse doceat, sed casti tori foedus iunctum; unde etiam *γάμον* dicit hic v. 13. et infr. v. 66. et Apollinem *πόσιν* v. 51. Quae quum ita tradere vellet, erat tertia persona opus, quae iungeret eos connubio sollemniter, atque in hanc rem pulcherrima inventione poeta Venerem elegit. Hinc igitur nunc Venus excipit venientes et nuptiale foedus sancit. Sic clara sunt sequentia: *καί σφιν ἐπὶ γλυκερᾶις εὐναῖς ἐρατὰν βάλεν αἰδῶ* cett., et pudorem ac verecundiam amabilem posuit ipsis in toro, h. e. et amplexus eorum fecit ut pudici castique essent, iungens eos iusti coniugii vinculo inspiransque coniugalem verecundiam. — Restat, ut de verbis *ξυνὸν ἁρμόζοισα Θεῷ τε γάμον μιχθέντα κούρᾳ Θ' Ὑψέος* dicatur. Hermannus et Boeckhius vertunt: Iunxit Venus connubium, de quo inter deum et Hypsei filiam convenerat. Verum quod comparant Pyth. IV, 223: *καταίνησάν τε κοινὸν γάμον γλυκὺν ἐν ἀλλάλοισι μῖξαι*, ibi *μῖξαι γάμον* non est convenire de nuptiis, quod potius in verbo *καταίνησαν* inest, sed

iungere nuptias et perficere coniugali amplexu, uti etiam Tafelius recte hic monet. Idem vero quod *μιχθέντι* restitui vult, et aoristum pro praesenti positum dicit, non capio. Ne multa; teneo *μιχθέντα*, verto autem: faciens coniugium, quo olim deus et heroina se iunxerunt (*schliefsend die ehe, welche einst der gott und die nymphe mit einander vollzogen haben*). Ceterum ad *ἁρμόζειν γάμον* cf. Wyttenb. Plutarch. Praecept. coniugal. p. 879. — V. 14. *ὑπερόπλων*, validorum, bellicosorum. Vox media, cf. Buttm. Lexil. II. p. 216. Add. Tafel. h. l. — Ceterum Hypseus dicitur filius Penei fluvii, qui filius Oceani. Creusa fuit filia Telluris. Pindarus cum Pherecyde consentit, cf. Scholia et Pherecyd. Fragmenta Sturz. p. 149. ed. alt. — *Πίνδου ἐν πτυχαῖς*, ibi enim Penei fontes; cf. Müller. Hist. Dor. I, 24. — V. 17. *ὁ δὲ Θρέψατο*, ille vero educavit filiam, h. e. ille vero pater Cyrenae. — *ἰστῶν παλιμβάμους ὁδούς*. Heynius: „de *ἱστουργίᾳ*, quum radius itque reditque per tramam, ut interserat fila." Melius Boeckhius cum Scholiis, comparato Etymol. Magn. p. 367, 47. et Eustathio ad Il. *Δ*. p. 31., de mulieribus loquutionem accipit *ἱστόν* ambientibus. Atque ita Leonid. Tar. Ep. LXXVIII. (Anth. Pal. VII, 726.) textrix quaedam dicitur *καί τι παριστίδιος δινευμένη ἄχρις ἐπ' ἠοῦς κεῖνον Ἀθηναίης σὺν Χάρισιν δόλιχον*, comparato motu mulieris cum cursu *δολίχου*, ubi repetitis vicibus stadium percurritur. Vide ib. Iacobs. T. VII. p. 133. et Delect. Epigrammat. p. 305. [Restitue *ἐφίλησεν*, coll. not. crit. Nem. V, 44.] — V. 19. *οἰκόριαι* s. *οἰκούριαι ἑταῖραι* sunt aequales, puellae innuptae, quae domi manent, non ut Cyrena venatum eunt. Ac nota vox *οἰκουρία* et *οἰκουρεῖν*, v. Soph. O. C. 343. Sed quaenam sunt *δεῖπνα μεθ' ἑταιρᾶν*? Non versabatur, ait Pindarus, inter aequales neque cum his intererat conviviis nuptialibus (Pyth. III, 16.) aliisque festis epulis domesticis. Convenit vox *τέρψιες*. — V. 21. *φασγάνῳ*, non venabulo, sed gladio, qui fuit inter veterum arma venatica, cf. Oppian. Cyneget. I, 154. — *πολλάν τε καὶ ἀσύχιον*, uti etiam alias *τε καί* post *πολύς*. Notabis hoc fortius et significantius esse quam simplex *πολὺς καί*, vid. ad Ol. XIV, 5. — V. 23. *τὸν δὲ σύγχοιτον γλυκὺν* cett. verto: Concubitorem autem suavem, modicum palpebris somnum consumens incumbentem versus auroram, h. e. somno vero, qui concubitor suavis solet esse quique aliis largus et longus incumbit,

puella modico in palpebras fruebatur delapso versus auroram (*sie genofs den schlaf nur als einen spärlichen, spärlich auf die augenlieder ihr sinkenden gegen morgen*), quum ferae rediissent in lustra sua. Constat autem feras noctu ad praedam quaerendam exire et redire in lustra ante solis ortum. Quare puella tum demum, ubi tutas credebat pecudes, somno vacabat paullisper. Sic Boeckhii mei explicationem non probaverim, qui construit: *τὸν δὲ σύγκοιτον γλυκὺν ὕπνον πρὸς ἀῶ ῥέποντα ἀναλίσκοισα παῦρον ἐπὶ γλεφάροις*, et vertit: „Somnum vero ad matutinum tempus vergentem, qui solet dulcis concubitor esse, rarum nec multum impendens palpebris, id est, somnum non in auroram extrahens." Sed meo iudicio somnus Cyrenae erat *παῦρος ἐπὶ γλεφάροις ῥέπων πρὸς ἀῶ*. Ceterum quod Pindarus *ἀναλίσκοισα* interposuit, id fecit optime, nec poterant verba melius ordinari hoc loco, ubi vis sententiae in *παῦρον* est et in *πρὸς ἀῶ*. Ipsum *πρὸς ἀῶ*, pro quo Euripides in Rheso v. 557. *πρὸς ἀοῦς* dixit, notavit Hermannus ad Viger. p. 863. Arist. Eccl. 312. *πρὸς ἕω*, cfr. Matth. Gr. §. 591. c. ε. Denique ad loquutionem *ῥέπων ἐπὶ γλεφάροις* confer Homerica: *ὕπνος ἐπὶ βλεφάροισιν ἔπιπτεν* Od. II, 398. XIII, 79. et *ὕπνος ἐπὶ βλεφάροισι χυθείη* XIX, 590. — V. 26. *εὐρυφαρέτρας*, ut dicitur Apollo etiam Fragment. incert. 12. — *λέοντι*. Leones in Europa inter Acheloum et Nestum reperiri memorat Aristoteles in Historia Animal. et inde Plinius, cf. Spanhem. ad Callim. in Cer. 52. Leaenas in Pelio memorat Callimach. in Del. 120. et Xenophon. de Venat. XI. de leonibus in Pindo loquitur. Celeberrima autem Cyrena *λεοντοφόνος*, ut saepe dicitur Nonno; ad Thessaliam refertur pugna etiam a Callimach. in Dian. 208., ut videtur, at in Libya collocatur ab eodem in Apoll. 91., ubi vid. Spanh. Cum Callimacho facit Apollon. Rhod. II, 509. et Acestor ib. in Schol. Ceterum non obscurus est sensus praeclarae fabulae. Quum enim Libya leonibus abundaret maximis, cf. ad Pyth. V, 54., quibus Cyrenaica regio purganda erat, pulcherrime iam Cyrenae nymphae tributa est haec virtus, ut quasi praeiret futura huius generis certamina et victorias Cyrenaeorum. Hinc igitur venatrix virgo, hinc masculi eius mores. [Welckerus Opuscc. II, 199. nunquam leones in Europa vixisse docta testimoniorum exploratione efficit. Quanquam Dio Chrys. XXI. p. 501. (312. Emper.): *φασὶ τοὺς λέοντας ἐκλελοιπέναι τοὺς ἐν Εὐρώπῃ· οὐ γὰρ ἔτι αὐτῶν εἶναι τὸ γένος· πρότερον δὲ ἦσαν καὶ περὶ Μακεδονίαν καὶ ἐν ἄλλοις τόποις.*] — V. 29. *ἐκ μεγάρων προξέννεπε*. Boeckhius intelligit e Delphica aede sua Chironi quae sequuntur dicentem. Sed deum tum non Delphis, sed in Thessalia fuisse et vox *κίχε* indicat et clarius etiam v. 51: *ἵκεο βᾶσσαν τάνδε*. Quare ego vertam: alloquntus est vocans e tectis, ut verbum motum a loco significans inclusum sit, cf. Matth. Gr. §. 596. Sic supra Ol. I, 10: *ὅθεν ἀμφιβάλλεται ὕμνος σοφῶν μητίεσσι*, vertimus: unde susceptum hymnum amplectuntur mentes peritorum choreutarum. Et Ol. IX, 19: *ὅθεν στεφάνων ἄωτοι Λοκρῶν ἐπαείροντι ματέρα*, est: unde susceptae, partae coronae Opuntem illustrant. — *Χείρωνα*, qui degebat in Pelio monte. — *δύνασιν*, Pyth. IV, 238. — V. 31. *οἷον ἀταρβεῖ νεῖκος ἄγει κεφαλᾷ*, h. e. quale certamen interrito capite agat, sustineat. Sic *πόλεμον ἄγειν*. Porro *ἀταρβεῖ κεφαλᾷ*, magnifica circumscriptione pro *ἀταρβής*. Intelligitur intrepida firmitas erecti capitis. Aliter explicat Scholiastes: *ἐπάγει κεφαλῇ νεῖκος*. [Magnificentiam circumlocutionis non agnosco. Immo *κεφαλᾷ* insolentissime dictum fecit, ut scholiastae eosque secuti interpretes a mente poetae mire aberrarent. Mihi pro *κεφαλᾷ* videtur *κραδίᾳ* scribendum, cui non obest quod et *ἦτορ* et *φρένες* subsequuntur. Sic Pyth. V, 51. *ἀταρβεῖ φρενί*, alias *ἀμόχθῳ*, *θρασείᾳ*, *ἀτρώτῳ καρδίᾳ* cett. Utrumque vocabulum etiam aliis locis a librariis confusum est: sic Mnasalcae Anth. Pal. VII, 488. (Meinek. Del. XVIII. p. 6.) pro *ἅ σ' ἐπὶ τύμβῳ πολλάκι κεκλομένα κωκύει ἐκ κεφαλᾶς* restitui *ἐκ κραδίας*. Cfr. Philol. III, 527.] — *μόχθου καθύπερθε ἦτορ ἔχοισα*, labore maiorem animum habens, contemnens periculum laboremque certaminis. — V. 32. *κεχείμανται*, cf. Buttm. Gr. ampl. Tom. II. p. VI., qui *κέκρανται συμφοραί* comparat Eurip. Hippol. 1255. utrumque pro plurali habens. Ceterum usitatius verbum *χειμάζεσθαι* tropico sensu. — V. 33. *ποίας δ' ἀποσπασθεῖσα φύτλας*, a quanam stirpe avulsa; quod dicit, quia procul a suis puella solitaria versabatur in montibus. — V. 35. *γεύεται*, fruitur, utitur robore immenso. — V. 36. *ὅσία*, fas, Hom. Od. XVI, 423. XXII, 412. Dicit vero: Num fas manum divinam ei admovere et statim hic eam amplecti, an melius est e lecto sub tectis carpere dulcem florem virginitatis? Volebat statim hic sub divo virginem opprimere et amplecti, *ἀμφανδὸν τυχεῖν εὐνᾶς*, ut Chiron mox dicit huc respiciens. Docet idem oppositum *ἐκ λεχέων*, ea de causa in

principio coli positum, quia vim secundae sententiae habet. Atque ita factum suasu Chironis, in domo aurea Libyae. — κεῖραι μελιαδέα [ita corrige vulg. μελιηδέα cum Ahrente Dial. Dor. p. 133.] ποίαν, pubertatem, ut infra Ἥβας καρπὸν ἀνθήσαντ' ἀποδρέψαι. Porro notabis ἤ ῥα in altero membro, quod Hermannus ad Aiacem v. 177. negat apud epicos, nedum apud Atticos inveniri. His nunc additum καί, ut toties apud Homerum ἤ καί in altero membro. Porro suppleo χρή, ut sit ὁσία s. ἔξεστι — ἤ χρή, quum haec vera ratio logica esse videatur. Nosti vero hanc figuram, ubi post ἔξεστιν intelligitur χρή, ut alias post χρή intelligitur ἔξεστι, cf. Hermann. ad Soph. Oed. R. 817. Et nunc quidem membra per particulam ἤ opposita sunt. Ad sententiae rationem quod attinet, Apollo licet statim amplecti malit, addit tamen etiam alterum, si minus probetur illud. Plane aliam interpretationem loci Gurlittus et Boeckhius sequuntur, non diversa esse statuentes haec duo membra, sed fere eandem sententiam referre; quod mihi etiam cum sequentibus pugnare videtur, ubi Chiro alterum dissuadet, alterum commendat. — V. 38. ξαμενής, animosus. — ἀγανᾷ χλαρὸν γελάσσαις ὀφρύϊ, placido dulce ridens supercilio. Constat superciliis contractis ostendi iram, deductis tristitiam, remissis hilaritatem. Unde in ficta laetitia Hom. Il, XV, 102: ἡ δ' ἐγέλασσεν χείλεσιν, οὐδὲ μέτωπον ἐπ' ὀφρύσι κυανέῃσιν ἰάνθη. Iam χλαρόν pro λαρόν accipio, ut est λιαρός, χλιαρός, λιαίνω, χλιαίνω. [Iota in χλαρόν oppressum est, ut in σωπᾶν, βώσεσθαι, quare Schol. κατὰ συναίρεσιν formatum dicit. Cfr. Lobeck. Pathol. p. 417., qui Rhemat. p. 29 sq. a tepore haec transferri ad res, quae cum suavitate ad sensus affluunt, observat.] Ac ni fallor, tota haec phrasis pulcherrima nunc est de habitu leniter reprehendentis et absque severitate. [potius leniter Apollinis simulationem ridentis, v. Welcker. l. c.] Sic mus avaro respondens ἡδὺ γελάσσας Anthol. Palat. XI, 391. et ἁπαλὸν γελᾶν, notata hoc sensu Iacobsio Delect. Epigr. p. 19. Inprimis vero comparaverim apud Platonem Socratem leniter amicos castigantem in Phaedon. p. 84. D: ἐγέλασέ τε ἠρέμα καί φησι, et p. 115. C: γελάσας δὲ ἅμα ἡσυχῇ. — V. 39. Πειθοῦς. Suadam Veneris ministram vidimus iam Pyth. IV, 219.; de clavibus deorum dictum ad Pyth. VIII, 4. Verto: Occultis clavibus sapiens Suada aperit aditum ad sacros amores, h. e. non aperte et per vim puellae opprimendae sunt, sed verecunde in lecto

occulta persuasione impetrandus amplexus. Iungo igitur κλαῖδες Πειθοῦς et κλαῖδες φιλοτάτων. Boeckhius iungit Πειθοῦς φιλοτάτων, Suada amorum conciliatrix. Porro vide pulcre additum σοφᾶς, h. e. verecundae, pudicae, a qua caeca affectus vehementia abest, et ἱερᾶν, h. e. quae profanari non debent sub divo. Denique alios locos, ubi βία et πειθώ in talibus opponuntur, vid. ap. Iacobs. ad Antholog. T. VIII. p. 16. ad Philostr. p. 245. — V. 41. τοπρῶτον. Primos amplexus dicit amantium, qui nondum consueverint. In his maximus solet esse pudor puellae et iuvenis et minime omnium toleranda indecora. Quum autem primi nunc futuri essent Apollinis et Cyrenae amplexus, de his tantum loquitur, non de sequentibus, quasi hos liceat turpes esse. — V. 42 sq. Sensus: Te enim, quem non fas est mentiri, comitas ingenii impulit, ut simulate haec diceres; h. e. ac iocari te credo, non ex sententia dicere. Nosti enim ipse, quid fas sit, mentiri autem non potes, ergo iocaris. — θιγεῖν c. dativo vid. Pyth. IV, 296. Ceterum bene confertur Platon. Apol. c. 6. Et de voce ὀργά Pyth. I, 89. μείλιχος ὀργά, come, dulce, facetum ingenium dei. Denique παρφάμεν, vid. Ol. VII, 66. — — Post haec in fine loci paucis monendum est de consilio poetae. Dixi in Introductione me propter Telesicratem haec dicta credere. Quid igitur fecerat Telesicrates? Opprimere voluerat virginem civem Thebanam, aio, hoc ipso tempore, quum Thebis versaretur. Cur Thebanam? De hoc dicetur infra ad v. 93. Virgini autem honestae eum insidiatum iuvenili fervore abreptum, quam forte vidisset alicubi sub divo, hoc ut coniiciam, ipsa haec Pindari verba suadent; similis enim necesse est fuerit res. Ac presse sequor Pindarum, nec plus tribuam Telesicrati culpae, quam opus est ad explicandum carmen. Igitur non dico illatum revera stuprum, sed dico eum voluisse hoc facere, non perfecisse, forte impeditum. Qua quidem re palam facta quum iuvenis sibi iustas reprehensiones multorum civium conflasset, Pindaro dicendum fuit de ea re, et vides, quam decenter dicat et digne simulque quam leniter. Paullo gravius Arcesilaum notat ob illicitos amores Pyth. IV, 90. Et haud dubie etiam Telesicratem castigasset gravius, quam fecit, si is perfecisset stuprum. [Vide introductionem.] — V. 44. κύριον πάντων τέλος, iustos fatoque constitutos omnium rerum exitus, atque etiam huius rei quis debeat esse finis, nosti, καὶ πάσας κελεύθους, omnesque vias, quomodo res per-

ficiantur. Cicero Ep. ad Fam. IV, 2: „Perspicis, qui cursus rerum, qui exitus futuri sint." — V. 46. *ἠρινὰ φύλλα* de innumera multitudine iam Homerus dixit aliquoties, Il. II, 468. Od. IX, 51. Idem etiam *φύλλοισιν ἐοικότες ἢ ψαμάθοισιν* habet Il. II, 800. Heynius contulit bene Herod. I, 47. verba oraculi Delphici. — *ἀναπέμπει*, submittit, ut Latini dicunt, cf. Burmann. ad Valer. Flacc. III, 528. et ad Petron. c. 127. Ceterum etiam genus Cyrenae se ignorare simulaverat tantum deus, non ignorabat revera. Quare nunc splendida haec laus ponitur, ne minuatur honos dei, qui ipse omnia sciens suaviter nunc a Chirone edocetur. Docetur autem a Chirone, quia commodum est Chironem etiam cetera exponere. Nempe maior vis loci est, ubi in fatis fuisse apparet has nuptias et fundationem ac potentiam Cyrenarum. Quod Heynius monet, amare poetas vaticinia narrare, de eo ita statues: classicos nusquam temere hac dicendi forma uti, ut hic vides et Ol. VIII, 41 sqq. vidisti videbisque Nem. I. fin. — V. 50. *πὰρ σοφὸν ἀντιφερίξαι*, si autem debeo etiam sapienti parem me gerere; cf. Il. XXI, 357. 482. et *ἰσοφαρίζειν* Il. VI, 101. IX, 390. XXI, 411. De *παρά* vid. Matth. Gr. §. 588, c. ε. — *πόσις*, maritus. Iam supra dixi consulto hac voce uti poetam, ut verum connubium significetur. — *Διὸς ποτὶ κᾶπον*, Libyam, amoenam Iovis sedem. *κᾶπον* de amoena regione vidimus Ol. III, 24. Zeus autem nunc Ammon esse videtur, cf. Pyth. IV, 16. et Scholia ad nostrum locum. Idem notat Thrige p. 294. et Boeckh. h. l. Licet enim etiam Olympius Iuppiter coleretur Cyrenis, cf. v. 101., sacra fuit regio domestico Ammonis nomini. De amoenitate denique Cyrenarum cf. Pyth. V, 22. — V. 54 sq. *ἀρχέπολιν*, civitatis dominam ibi eam facies, adducto populo insulari, h. e. ex insula Thera (cf. Pyth. IV et V.) in collem campo cinctum, quum Cyrenae in colle sitae essent, cf. Pyth. IV, 8. — V. 56. *δώμασιν ἐν χρυσέοις*. Consulto hoc ita dici videbis comparato vers. 68: *θαλάμῳ δὲ μίγεν ἐν πολυχρύσῳ Λιβύας*. Sub tectis nuptiae factae sollemnes et in thalamo deus amplexus est novam nuptam, non sub divo indecoro concubitu. Hinc pulcre Libyae deae domus aurea excogitata. — *ἵνα οἱ χθονὸς αἶσαν* cett., ubi ei terrae partem statim donabit, ut ei una sit iure legitimo. Nempe Libyae manet domina terrae Cyrenaicae, quam tamen Cyrene una tenet. Construo igitur cum Heynio: *ὥστε συντελέσθειν αὐτῇ ἔννομον*, ut

Cyrene eam habeat una legitimam, pleno iure. Scholiastes *συντελέσθειν* explicat *συντελεῖν*, quod significaret: ei tributa pendere, subiectam esse; verum aliud est *τελέθω*, *συντελέθω*. — V. 58. *παγκάρπων φυτῶν*, cf. Thrige p. 304 sqq. — *θηρῶν*, de feris Libyae cf. Herod. IV, 180. 191. Scholiastes v. 100: *ἔνθηρος γὰρ ἡ Λιβύη*. Et *νήποινον*, *ἄμοιρον*. — V. 59 sqq. Ibi filium Aristaeum pariet. Fuit Aristaeus deus rei pecuariae, avium, venationis ferarum, porro cultum olivarum, vitium, arvorum tuens, numen perantiquum; apud alios *Ζεὺς Ἄριστος* s. *Ἀρισταῖος* dictus, apud alios *Ἀπόλλων Νόμιος* et *Ἀγρεύς*. Cultus eius in Arcadia, Thessalia (ad Pelium et Iolcum), Boeotia vigens, a Parrhasiis in insulam Ceum, a Minyis Iolciacis Cyrenas translatus est. Genealogia dei varia, accommodata locis ubi colebatur, atque in Cyrenaicas fabulas post conditam urbem illatus Cyrenae filius factus est, quanquam revera Cyrena longe esset antiquius numen. Praeter Interpretes ad Virg. Georg. IV, 317. vide de eo Creuzer. Mythol. ed. s. T. III. p. 353. T. IV. p. 371. Müller. Orchom. p. 348. et Dor. T. I. p. 281., denique Boeckh. ad hunc Pindari locum. [Broendsted. Itin. Graec. II, 50 sq. et quae ascripsi ad Heraclid. Polit. p. 69 sq.] — V. 59. *Ἑρμᾶς*. Cultus est Mercurius, quanquam hic locus non necessario id postulat, haud dubie etiam Cyrenis, ut hic monet Boeckh. et nos coniecimus ad Pyth. IV, 178. Hic igitur ibi tollens infantem a matre feret Horis et Telluri, ut Bacchum parvulum portat ad Iunonem (Pausan. III, 4. extr. V, 17, 1. Apollod. III, 4.). Vid. etiam Creuzer. Mythol. T. III. p. 96. 98. 245. Telluri traditur utpote matri Creusae, ait Schol., et quia arvorum, credo, plantarumque et animalium fertilis mater est. Horis Aristaeum apportari ob inventa plurima, lactis coagulationem, mellificationem, olei confectionem, lanae tractandae opus, medicinam, vaticinium, scite notat Gedickius, comparans Ol. XIII, 17. Neque omittendum Etesias eum advocasse tempestatis temperamentum et ceteras quoque eius artes ad dona naturae et tempestatum et iustam rerum temperationem pertinere, quae omnia Horis debentur. — V. 62 sqq. verte: Hae ambrosiam et nectar ei instillabunt (ut deus fiat heroinae filius), et facient eum Iovem sanctumque Apollinem, ut, quum hominibus sibi caris salus praesentissima sit et pastor custosque ovibus, Agreus et Nomius aliis, aliis vero Aristaeus vocetur. Nempe ob ovium custodiam Agreus et No-

mius est (strictissimo sensu nomen *Νόμιος* ad pastionem pertinere vides, *Ἀγρεύς* ad venationem, cf. Dorville ad Charit. p. 246. Lips.), ob hominum curam Aristaeus. — *ἐπιγουνίδιον κατθηκάμεναι*, h. e. *ἐπὶ γούνασι*. Sic *αἰθερία ἀνέπτατο* Eurip. Med. 441., *θαλάσσιον ἐκρίψατε* Soph. Oed. R. 1411., *ἐπιδέμνιος ὡς πέσοιμι* Eurip. Hecub. 927. et *μητέρα βωμίαν ἐφημένην* Suppl. 105. Cf. Nitzsch. ad Odyss. I. p. 104. Et vid. Buttm. Lexil. I. p. 118. [Pindaro fortasse obversabantur Homerica Hymn. Ap. Del. 125 sq.: *Ἀλλὰ Θέμις νέκταρ τε καὶ ἀμβροσίην ἐρατεινὴν Ἀθανάτοις χείλεσσιν ἐπήρξατο.* Nam ita scite correxit F. X. Eble Philol. I, 361 sq.] — Ad *στάξοισι* cf. Hom. Il. I, 38. — *ἀγνός*, proprium Apollinis epitheton, cf. Müller. Dor. I. p. 302. — *χάρμα ἄγχιστον*, salus, felicitas praesentissima. [Rectius post *φίλοις* interpungitur et *ἄγχιστον ὀπάονα* copulatur, v. Addend. T. I. p. 353. Et sic iam Er. Schmidius.] Tum ad *Ἀγρέα καὶ Νόμιον* supple *τοῖς μέν*, omissum ante *τοῖς δέ*, cf. Matth. Gr. §. 288. not. 4. [Verba *τοῖς δ' Ἀρ. καλεῖν* Heimsoethio p. 43. variatio sunt ultimo tantum nomini adhibita neque recurrens ad voces *Ἀγρέα καὶ Νόμιον*. „In illis enim nominibus res facile cogitantur, quibus deus sic appellatus praesit; in hoc nonnisi nomen."] — V. 66. *γάμου τελευτάν*, cf. ad Ol. II, 17. — V. 67. *ἐπειγομένων ἤδη*, ubi iam festinant, ubi iam eo perventum est, ut festinare incipiant. — V. 68. *διαίτασεν*, illud ille dies perfecit. Est *διαιτᾶν* proprie dirimere rem arbitrio suo, hinc omnino ad exitum perducere, *διανύειν*, Hesych. Ceterum noto usu dies facit quod fit aliquo die, ut Soph. Ai. v. 131. Tum attende ad pronomen *κεῖνο* bis positum cum vi in oppositione, veluti Soph. Ai. 1018: *κεῖνος τὰ κείνου στεργέτω, κἀγὼ τάδε*. Add. Tibull. I, 1: „Divitias alius fulvo sibi congerat auro — me mea paupertas vitae traducat inerti." — V. 69. *ἵνα*, confusa, ut solent, deae et terrae Libyae notione. — *καλλίσταν*, cf. Pyth. V, 76. — *ἀέθλοις*, ob domestica certamina et apud peregrinos reportatas victorias, qualis nunc Telesicratis. — Absoluta universa narratione addenda restant nonnulla de ultima eius parte. Agit vero Pindarus in hac altera parte manifesto illud, ut iustas nuptias initas ostendat Apollini cum Cyrena, quemadmodum in antecedentibus indecorum concubitum Chiro dissuaserat. Celebrantur igitur nuptiae in aurea domo Libyae, in thalamo sub auspiciis Veneris, et oritur e fausto connubio etiam filius praeclarus. Nam etiam

quod de Aristaeo dixit, licet, ut cetera omnia, simul in urbis laudem dictum sit, nunc ad universum loci consilium referri debet, ut alias progenies praeclara laudatur, ubi nuptiae faustae significantur. Sic Ol. I, 88. de Pelope: *ἕλεν δ' Οἰνομάου βίαν παρθένον τε σύνευνον, τέκε τε λαγέτας ἓξ ἀρεταῖσι μεμαλότας υἱούς*. Add. Nem. VIII, 6 sqq. Contra infausto connubio infausta oritur progenies, cf. Pyth. II, 42 sqq. Quae quum ita sint, vides clare, quid velit. Ut supra castigatum peccatum Telesicratis, de quo dixi ad v. 43., sic nunc contra connubii iusti ostenditur decentia et felicitas propter Telesicratem. Debent cives Cyrenaei sequi quod praeivit praeclarum exemplum Cyrena; hoc igitur etiam tu tene, Telesicrates, rediturus in patriam *καλλιγύναικα*. Non potuerunt haec meo iudicio excogitari felicius. Ceterum aberraveris a mente Pindari, si ita premas mythicam narrationem, ut credas, quemadmodum Apollo in Libyam abduxit Cyrenam, ita etiam Thebanam virginem, cui Telesicratem dixi insidiatum, ab hoc Cyrenas abducendam significari. Ita si interpretareris, non distingueres sententiam universam, quae narrationi subest, a forma eius, quas duas res maxime opus est ut distinguat interpres. Moneo hoc etiam propter eos, qui Aristophanis comoedias explicant et explicabunt.

V. 71—103. De virtute gymnica Telesicratis. — V. 72. *τύχᾳ*, victoriae. — *συνέμιξε*, Ol. I, 22. — V. 73. *ἀνέφανε*, Nem. IX, 12. — V. 74. *καλλιγύναικι*. De origine pulcritudinis mulierum illarum disputat Boeckhius, Spartam *καλλιγύναικα* memorans et Libycas puellas. Maxime vero illud attende, quam laeta spes nunc ostendatur Telesicrati, quem Cyrena benevola recipiet, *καλλιγύναικι* patriae victoriae gloriam afferentem. — V. 76 sqq. Multa dici possent de virtute tua gymnica; sed brevis ero, quum brevitas placeat intelligentibus. — *ἐν μακροῖσι*, in larga materia, cf. ad Ol. XIII, 41. — *βαιὰ ποικίλλειν*, pauca dicere ornate, cum arte. Verbum etiam rhetoribus usurpatum de orationis ornatu, vide Schaef. Dionys. de Compos. p. 258. — V. 78. „Opportunitatis brevitas (*καιρός*) omnium rerum pariter caput est. (Ad *παντὸς ἔχει κορυφάν* cf. Solon. Carm. VIII: *γνωμοσύνης μέτρον, ὃ δὴ πάντων πείρατα μοῦνον ἔχει.*) Novit quondam etiam Iolaum non contemnentem eam Thebarum urbs, quem, quum Eurystheum interfecisset, condidit sepulcro Amphitryonis avi." Duae quum habeantur narrationes, una Iolaum mortuum in breve tempus redisse

ad vivos venia Iovis impetrata, ut interficeret Eurystheum, qui Heraclidas persequebatur, altera senem heroem necdum mortuum brevem vigorem virium rogasse a Iove et impetrasse, tum mortuum (cf. Schol. et Boeckh. h. l.), Müllerus Dor. I. p. 55. hanc a Pindaro spectari contendit, quum de morte priore Iolai nihil significetur. Idem recte monet a Pindaro pugnam contra Eurystheum ad Thebas poni, non in Attica. — *Ἀμφιτρύωνος σάματι*, ante portas Proetides; ibi enim Iolai gymnasium erat teste Pausan. IX, 23., cui iunctum fuisse Amphitryonis sepulcrum docent Scholia ad Nem. IV, 20. Ibi igitur Iolaus conditus, unde etiam *Ἰολάου τύμβος* dicitur Ol. IX, 99., ubi vid. — Denique attende ad *διφρηλάτα* et *λευκίπποισι*: migravit curruum agitator Amphitruo ad Cadmeos, et ipsos claros rei equestris studio; quod additum censeo, ut significetur, cur recepti Heraclidae Thebis ibi vixerint atque adeo bellum Eurysthei propulsare potuerint. — Post haec ut ad initium loci redeam, quemadmodum, ait Pindarus, Iolaus opportuno tempore breviter resumptis viribus magna perfecit, sic ego abstinens importuna prolixitate, quae fastidium creat, opportunum tempus observans et ipse breviter dicam simulque apte et nervose. [De subtili artificio poetae vide Rauchenstein. Introduct. p. 136: „*Pindar hatte zu den kampfheroen Herakles und Iphikles für den sieger ein gelübde gethan, welches erfüllt wurde. Daher mufs er dieser heroen im liede gedenken. Originell ist nun, wie er auf mehrern sentenzen wie auf stufen zu ihrer erwähnung hingelangt. — Mit erwähnung der beiden heroen Iolaos und Eurystheus giebt sich ungezwungen der übergang zu Herakles und Iphikles, denen er für die erfüllung des gelübdes dankt. Allein, als ob er fürchte, abgekommen zu sein vom faden, da er zum lobe des siegers übergehen will, setzt er hinzu: Möge mich nicht verlassen der tonreichen Chariten helles licht. Er nimmt also den schein an, er habe sich verirrt. Innerlich aber gehört das gelübde und der dank nahe zur sache*" etc. Et post haec improbans Dissenii interpretationem de futuro tempore cogitantis: „*Die schüchterne besorgnifs, es möchte ihm das licht des liedes ausgehn, bereitet trefflich auf die nun folgende glänzende erwähnung der siege vor.*" Confer Welckerum et Hermannum ll. cc., qui consentiunt, quae de Iolao narrantur, dicta esse ideo, ut ad Herculem apte transiri posset. Et Hermanno videtur Pindarus Iolaum non ab inferis in vitam reversum dicere, sed extrema in senectute tempori occidisse Eurystheum, ac tum demum ipsum vita cessisse. Alioqui poetam *κρύψαν πάλιν* fuisse dicturum.] — V. 84. *τέκε*, Thebis, cf. Nem. I. — V. 87. *κωφὸς ἀνήρ τις*, hebes est qui Herculis non recordatur Dircaeique fontis, qui eum aluit cum fratre. Quod ita dicit, quum primo adspectu in carmine Cyrenaeo civi scripto aliena possit videri Herculis et Thebanorum heroum mentio. — *παραβάλλειν*, admovere, veluti *κεφαλήν* (Plat. Phaed. p. 103. A.), *οὖς*, nunc os admovere pro canere, ut *γλῶσσαν φέρειν τινί*, Ol. IX, 42. — *θρέψαντο*, cf. Ol. VI, 85. — V. 89. „Eos perfectum ex voto canam nactus bonum." Perperam quidam de collocatione verborum queruntur, quae optima est. Nec iungendum *τέλειον κωμάσομαι*, sed *τέλειον ἐπ' εὐχᾷ ἑσλόν τι*, in quo *ἐπ' εὐχᾷ* dictum ut *ἐπὶ ἐλπίδεσσι* Pyth. II, 49. Sententiam Boeckhius statuit hanc esse: Eos nunc canam ob beneficium modo ex voto concessum. Sed obstare videntur sequentia: *Χαρίτων μή με λίποι φέγγος*. Cur enim Gratiae, quae per totum carmen benigne affuerunt, nunc maxime destituant poetam in hoc loco, ut hoc voto opus sit? Quae res facit, ut cum aliis ita potius explicem: eos laudabo, perfectum ex voto ubi quid boni mihi contigerit, Gratiae modo ne destituant. Sic enim quum non solum de praesente tempore dicat, sed etiam de futuro, aptissimum est hoc votum et accommodatum pietati. Ceterum Gratias *κώμου* cantibus praeesse iterum vidimus ad init. carminis. [Welckerus p. 204: „*P. hatte, wie es scheint, dem Iolaos und Herakles sammt dem Iphikles ein gelübde für den Telesikrates gethan, das er nun in diesem κῶμος selbst durch das angeführte augenblicklich löst. Die Worte wären demnach zu verbinden: τοῖσιν, ἑσλόν τι ἐπ' εὐχᾷ παθών, κωμάσομαι, worauf der dichter unmittelbar und abgebrochen, wie oftmals, die frühern siege lobt.*" Hermanno p. 163. verba *Χαρίτων κτλ. μή με λίποι φέγγος* videntur pendere ex *εὐχᾷ*: „nam propterea gratulatur heroibus illis, quod se precantem, ut carminum materiem praeberent Telesicratis victoriae, exaudiverint et ratas fecerint preces suas. Hinc statim enumerat victorias illas."] — *καθαρὸν φέγγος*, praeclarum lumen, vis poesis, ut digne eos praedicare possim. Ad *καθαρόν* cf. Pyth. VI, 14. Quod autem Boeckhius meus praesentem aliquam rem laetissimam postulat, id vidit optime, neque haec excluditur nostra interpretatione, nisi quod mea sententia poeta simul etiam futurum tempus spectat. Quaenam igitur haec res est? Gloria, aio, in Thebas redundans

et redundatura ex victoriis Telesicratis in Graecia. Licet enim poeta generaliter loquatur, respicit tamen haud dubie Telesicratis maxime victorias et propter has dicit. Pergendum nobis iam est, ut hoc declaremus, ad sequentia. „In Aegina enim dico et Megaris ter urbem hunc virum illustrasse. Quare sive amicus sive inimicus quis sit civium, ne taceat res publica cum gloria bene gestas." Hic quae est πόλις? Non assentior Boeckhio meo ceterisque interpretibus omnibus Cyrenas intelligentibus. Minus bene cohaerent talia: Domesticos heroes Thebanos canam — in Aegina enim et Megaris Telesicrates Cyrenas illustravit. Immo Thebanis heroibus gratiae aguntur ob rem ad Thebas pertinentem, opinor. Quemadmodum alias victores ludicri heroibus domesticis gratias agunt reduces et coronas suas offerunt, sic, credo, Pindarus, ubi Thebarum gloria illustrata erit, Herculi et Iphicli laudes dicet, idque facere vult quavis data occasione, etiamsi civis non sit victor, sed tantum cognationis vinculo urbi coniunctus. Nam hebes est qui Herculem non laudet, non omni occasione utatur ad eum praedicandum. Utamur igitur nunc pulcra Müller i coniectura Orchom. p. 346., etiam Boeckhio probata, Telesicratem Aegidam fuisse, quum etiam nomen patris Καρνειάδας, a Carneis ductum, propriis Aegidarum sacris (vid. Pyth. V.), conveniat. Aegida autem si erat Telesicrates, aio equidem, etiam gloria ludicra eius ad Thebas pertinebat (propter Thebanam Aegidarum originem, cf. ad Pyth. V. et Isthm. VI.); idque commode significatur hic, si Telesicrates nunc ipsum aderat Thebis visens cognatos, ibique carmen canebatur, quae Boeckhii est felicissima coniectura. His adde Telesicratem, qui eximius esset cursor, fortasse etiam Olympicam victoriam meditatum, ut poeta ex antecedentibus viri factis novum futurum decus augurari posset, idque revera facere mihi videtur, sed tectius. Iam his omnibus collectis, nexus universi loci difficillimi, prout ego censeo, erit hic pulcherrimus: „Hebes est qui Herculis et Iphiclis non semper meminerit quavis data commoda occasione: iis comissabor nunc et olim, ubi perfectum ex voto mihi contigerit bonum: Gratiae modo ne destituant. (Nam a Telesicrate praeter praesentia etiam futura decora praeclara urbi sperare licet propter ea, quae fecit; quam sententiam aliter et tectius significat sic:) In Aegina enim dico et Megaris ter iam praeter Pythiam victoriam hanc urbem ab hoc viro illustratam. Quare, o cives, agite laudemus eum; mittite privatam querelam, si quis

vestrum causas reprehensionis habet, in rebus ad publicum urbis honorem bene gestis." Vides nunc in hoc nexu etiam ἀστούς esse Thebanos, et si carmen Thebis cantatum est, non possunt Cyrenaei esse. Porro si memineris, quae ego supra conieci de virgine Thebana a Telesicrate, dum Thebis versabatur, forte tentata, pulcherrima lux affunditur etiam ceteris. Vides, qui sint adversarii, et cur tam graviter poeta hortetur, ut ne taceantur et obscurentur viri laudes gymnicae, τό γ' ἐν ξυνῷ πεπονᾱμένον εὖ non sine vi efferens. Nec poterant melius sedari irae, quas excitaverat Telesicrates, quam sic tractis victoriis viri in publicam Thebarum laudem. Denique, ut etiam illud addam, vides causam, cur hanc cohortationem post laudatas victorias in Aegina et Megaris ponat, hoc est post victorias in Graecia partas; his enim commode dici poterant Thebae illustratae esse, longius aberant Cyrenaicae. Quare hae postea demum subiiciuntur ad absolvendum victoriarum recensum laudemque viri. [Thebas intelligi πόλιν τάνδ' consentio, sed ἀστούς Cyrenaeos dici arbitror cum Heimsoethio et Welckero, qui l. c.: „*Die worte scheinen nicht nothwendig eine andeutung von gegnern des Telesikrates zu enthalten, sondern nur feierlich auszusprechen, daſs freund und feind, falls er nämlich auch feinde unter seinen mitbürgern hätte, ihn loben müsse.*" Mihi ii significari videntur, qui diversarum erant in republica partium.] — V. 90. particula γάρ sic explicatur ab Heynio et Gurlitto, ut ante haec verba omissam statuant sententiam hanc: Qualis est haec victoria Telesicratis. Tafelius durius etiam parenthesin ponit a v. 79 — 89. Verum sic nemo dicere potuit recte. Ex nostra ratione γάρ simpliciter rationem reddit antecedentium: „Canet heroes, ubi quid boni ei contigerit, et invocat in hanc rem Gratias; nam hic victor iam multa decora urbi attulit, ut probabile sit etiam nova futura." Deest igitur nihil; nam ultima haec ex praeteritis ducta conclusio de futuris, quae consulto non pronuntiatur apertius, inclusa tamen est antecedentibus. — De ludis Aegineticis et Megarensibus vid. Ol. VII, 86. — τρὶς δή, h. e. non solum Delphis illustravit hanc urbem, sed in Aegina et Megaris etiam ter. Sic bene etiam Pythiam complectitur. Ceterum aut Megaris bis vicerat et in Aegina semel, aut hic bis et illic semel. — πόλιν τάνδε. Intolerabilem esse omissionem subiecti (cfr. not. crit.) nunc toto loco explicato etiam clarius sentiet. Nec opus τάνδε, quum πόλιν in carmine Thebis cantato ne possit quidem aliter

quam de ea ipsa urbe intelligi. Similiter simplex πόλιν de Agrigento Ol. II, 93. — σιγαλὸν ἀμαχανίαν, taciturnitatem, cf. ad Ol. VIII, 68. — ἔργῳ, Pyth. VIII, 80. — V. 93. ἀστῶν. In hoc nexu: πόλιν εὐπλεῖξαι, οὕνεκεν εἴ τις ἀστῶν, sunt cives huius ipsius urbis, ergo Thebarum. Boeckhius, quum πόλιν Cyrenas intelligeret, ἀστούς statuit esse populares Telesicratis, qui eum in Graeciam comitati essent, ut fiebat. — ἐν ξυνῷ (Ol. XIII, 49.), in publica, communi causa; haec enim agitur in certaminibus ludicris. — κρυπτέτω, Ol. II, 97. — Nerei dictum haud dubie ex prisco poemate petitum; cf. etiam Nem. III, 29. IX, 6. [et quae exposui Commentat. de Pittheo Troezenio p. 11 sq.] — V. 97. πλεῖστα νικάσαντά σε. Asyndeton ita explico, ut verba καλὰ ῥέζοντα uberius declarata censeam ceteris quoque viri victoriis indicatis. Igitur nexus hic: Laudet Telesicratem Thebas ornantem vel inimicus, est vir καλὰ ῥέζων. Persaepe etiam in domesticis ludis admirationem excitavit. — καὶ τελεταῖς. Quum non dicatur καὶ — τέ, non potest verti: et in Palladiis et in Olympiis, sed καί est etiam. Porro Palladis armatae sacra statis temporibus redeuntia (ὥρια) sanctissime celebrata esse Cyrenis pluribus docet Boeckhius ad h. l. repetiitque inde Thrige p. 286. Porro ut vox τελεταῖς recte primo loco posita sit, statuendum est Aeginetica et Megarensia, in quibus vicerit Telesicrates, non fuisse τελετάς. Atqui τελεταί sunt deorum, Ol. III, 41. XI, 51. Nem. X, 34., non heroum, opinor; quare suspicor eum illic in Aeaceis et Alcathoiis vicisse. — V. 101. Ὀλύμπια. Fuit igitur Cyrenis cultus Iovis Olympii, traductus, ut videtur, ex Elide, ubi Minyarum pars habitaverat, cf. Müller. Orchom. p. 360 sqq. Nam Iuppiter Ammon ab hoc loco alienus est, qui, licet confusus cum Graeco Iove, diversum tamen cultum et templum habebat, ut ceteri dii pro diversis nominibus suis diversis in templis coluntur diversis diebus. — Denique Telluria habita, quum Cyrenae avia Creusa Telluris esset filia. — ἔν τε καὶ πᾶσιν ἐπιχωρίοις, et in omnibus omnino domesticis. Vides recte nunc etiam propterea ludos modo memoratos pro Cyrenaicis haberi, veteribus Attica Panathenaea, Olympica, Telluria perperam intelligentibus, quia alioquin dicendum fuisset: ἔν τε καὶ ἐπιχωρίοις πᾶσιν. [καὶ πᾶς est vel omnis, plane omnis, ut Hom. Od. XXII, 23. Soph. O. C. 1396. Cfr. Meinek. Anall. Alex. p. 223.] — In his igitur omnibus, ait Pindarus, videbant te victorem et tacitae sibi quaeque virgines coniugem te optabant aut ut filium aliquando talem habere contingeret. — ἄφωνοι, prae pudore non eloquentes

votum. — ὡς ἑκάστα, cf. Herm. ad Vig. p. 853. (nos: *jede für sich*). Vides virgines Cyrenaicas ludos spectasse, uti apud ceteras Doricas gentes virgines faciebant, cf. Müller. Hist. Dor. I. p. 262. Ac docet Boeckhius h. l. etiam Cyrenis gymnicas puellarum exercitationes fuisse ob Doricos mores e Peloponneso translatos, et quum etiam apud indigenas certamina feminarum haberentur. Idem quod etiam uxores ad ludos spectandos admissas statuit, certe ab hoc Pindari loco alienum videtur. Explicat: εὔχοντο παρθενικαὶ πόσιν ἢ γυναῖκες υἱόν, uxores inferens, de quo non assentior. Boeckhium secutus est Thrige p. 348. et Lobeckius ad Aiacem p. 431.

V. 103—fin. De Alexidamo cursore eximio, connubium faustissimum cursu consequuto. — V. 103. ἐμὲ δ' ὧν cett. Verte: „Me vero quaedam, dum canendi sitim restinguere studeo, etiam antiqua fama tuorum maiorum poscit debitum, ut eam iterum excitem. Ad δίψαν ἀκειόμενον cf. Hom. Il. XXII, 2. et Epigr. Platon. VIII. Anthol. Pal. VI, 43. Felicissimos habet transitus Pindarus. Sic hic post tam multos versus qui etiamnum pergere vellet, commode siti canendi se significat ardere, quam restinguere studeat. Porro in verbis τὶς — καὶ παλαιὰ δόξα est τὶς obscurata quaedam fama, ac quod vulgo pronomen tot vocibus separatum a substantivo suo queruntur, id eleganter factum. Defessis propemodum animis longitudine carminis, non poterat melius novae rei canendae excitari et suspendi exspectatio quam hoc modo; haec autem vera causa est, meo iudicio, huius collocationis. — Tum πράσσει χρέος, plane ut Ol. III, 7. — Et αὖτις ἐγεῖραι scil. αὐτάν, ut Isthm. III, 41. φάμα παλαιὰ ἀνεγειρομένα et Ol. VIII, 74. μναμοσύναν ἀνεγείροντα. Adde εὖδει χάρις Isthm. VI, 17. — Denique τεῶν προγόνων et οἷοι magnificentius; est enim de uno Alexidamo maxime dicendum. Vixerat hic revera post Battum, conditorem urbis; sed fabulae gentiliciae eum in antiquiora tempora removerant, cf. Boeckh. h. l. et Müller. Orchom. p. 346. Sic nunc Antaeo aequalis est, regi Irasorum fabuloso, quem occidit Hercules, Isthm. III, 70. Telesicratis tamen gens haud dubie honesta de Antaeo tradebat. Puellae nomen est Barca vel Alceis, cf. Schol. — Ad prae-

positiones πρὸς πόλιν — μετὰ κούραν cf. Hom. Od. I, 184. [Hermannus scripturam suam, v. not. crit., p. 164. ita explicat: „Me quidem est qui cogat excitare debitum, medelam allaturum sitienti carmini, et antiquam suorum famam maiorum. Ἀκειόμενον δίψαν dicit carmen, quod cupiat plura canere de ea re, in qua versatur. Τίς est Telesicrates, quem Pindarus non nominat, quia nondum palam factus est amor eius, cui felicem successum augurari vult illo Alexidami exemplo."] — V. 108. σύγγονοι non populares sunt, sed συγγενεῖς, quibus olim proximum connubii ius. — Ἥβας καρπός, pubertas, cf. ad Ol. VI, 58. — V. 111. φυτεύων, meditans, parans, de conatu, ut Nem. IV, 59. et al. Ceterum cf. ad Ol. XIII, 59. Sunt autem duodequinquaginta filiae exclusa Hypermnestra Lynceo nupta et Amymone Neptuno amata, cf. Heyn. ad Apollod. p. 107. Et vide Boeckhium de huiusmodi certaminibus. — Mox ἅπαντα — αὐτίκα, omnes statim simul. — σὺν ἀέθλοις ποδῶν, Nem. X, 48. — γαμβροί, proci, sponsi futuri. — V. 117. ἐδίδου, imperfectum est de universo certamine proposito, singulae vero actiones, στᾶσε, εἶπε, aoristis exprimendae erant. — ἁρμόζων, connubio iungens, quod cur addat in cumulum, ex superioribus explicationibus clarum. — γραμμᾷ, qualis in principio est et in fine, etiam στάθμη dicta. cf. Nem. VI, 7. Eurip. Electr. 95 sqq. Ion. 1514. Add. Scholia h. l. v. 208. — τέλος ἄκρον, praemium summum, Ol. XI, 67. — ψαύσειε πέπλοις, ut θιγεῖν supra v. 42., tangeret peplum circum, manibus, puta, ambabus amplectens. — V. 121. φύγε δρόμον, celerrime superaverat, ut fugere, v. c. Valer. Flacc. V, 103. — Νομάδων, apud hos enim res acta. De Libyum Nomadum locis vid. Herod. IV, 186 sqq.; hic ii sunt, qui circa Barcam habitant, ubi Irasa urbs. — πολλὰ μὲν cett. Multas illi tum iniecerunt frondes et coronas; multas etiam antea tulerat aliis in certaminibus. Verbis φύλλα ἐπίδικον καὶ στεφάνους significatur φυλλοβολία, pulcherrimus honos victorum, de qua cf. Boeckh. h. l. et Iacobs. Anthol. Gr. T. VII. p. 339. Tum ad πτερὰ νικᾶν, coronas, cf. Ol. XIV. fin. — Denique de consilio totius loci supra in Introductione monui, ubi quod universum argumentum carminis dixi Alexidami persona proposita comprehendi, id et per se patet quam poeticum sit, et convenit usui Pindari; vide modo quae de Cinyra dixi ad Pyth. II, 15. Hic vero simul

illud nolim te fugiat, non praeceptivam esse hanc ultimam carminis partem; sed monita supra dedit luculentissime per fabulam Cyrenae, nunc laudes loquitur et spes ostendit atque auguria futurorum iucundissima.

Carmen Pythium decimum.

INTRODUCTIO.

Carmen scriptum ab adolescente Pindaro Hippocleae s. Hippocli inter pueros diaulo victori Pythiad. 22. Ol. 69, 3. Eundem eodem die stadio vicisse Scholiastes perhibet, cuius decoris quum Pindarus non meminerit, Boeckhius Scholiasta duce statuit plures poetas ad Hippocleam celebrandum invitatos, et Pindaro solius diaulo victoriae canendae negotium datum esse. Pater Phricias bis Olympia armato cursu vicerat et Pythia semel simplici. Patria Hippocleae Pelinna sive Pelinnaeum dicitur, Thessaliae oppidum, ubi etiam carmen cantatum videtur; neque tamen poeta ab Hippocleae familia ad carmen faciendum invitatus erat, sed ab Aleuadis Larissaeis. Quum enim ab Herculis filiis Antipho et Phidippo multae Thessalorum nobiles gentes originem repetiisse videantur, ex Heraclidis probabile est etiam Phriciae domum fuisse, quemadmodum Aleuadae et Scopadae Heraclidae fuerunt. Atque Aleuadae Larissae regnantes quum dilecto sibi puero Hippocleae propinquo suo κῶμον adducere vellent, adierunt Pindarum, chorus tamen conductus est ex urbe Cranone. Narravimus haec ex Boeckhii introductione, nisi quod hic Larissae carmen cantatum statuit, ego Pelinnae, de qua re dixi ad prooemium; idem data opera de Aleuadis et coniunctis cum his gentibus egit. Adde de Aleuadis disputantem etiam Meinekium in Commentationum Miscellanearum Fasciculo primo p. 50 sqq. et Buttmannum in Actis Academiae Berolinensis ann. 1822. 3. p. 171 sqq. [Mythol. II, 246 sqq.] — Argumentum carminis hoc est: Post prooemium poeta primum Hippocleae victoriam Pythiam laudat, tum ad patrem pergit, qui Olympia et

Pythia vicerit, cuius vestigia praeclare sequatur filius. Esse vero hanc familiam fortunatissimam: florere divitiis, nunc patrem, ipsum victoriis clarum, etiam filium videre tenera adhuc aetate corona ornatum. Coelum adscendi non posse; at quae homines assequi possint, ea parta uberrime. Modo invidia deorum absit. Exin transit ad Hyperboreorum fabulam, quos neque navibus neque terrestri itinere adiri posse, a Perseo vero Minerva duce visos. Vidisse vero eum singularem huius populi felicitatem, quorum dapibus festis et cantibus Apollo maxime delectetur. Haberi ibi choros puellarum lyraeque et tibiae cantus et convivia laeta; morbos et senectutem abesse a sacra gente, vivique sine laboribus et bellis, nec attingente illas regiones Nemesi. Post haec poeta revocata oratione iterum ad rem praesentem venit, speratque Hippocleam hoc carmine etiam illustriorem se facturum inter populares. In fine denique a Thorace Aleuada significat se invitatum ad hoc carmen faciendum, laudatque hunc cum fratribus. — Singulis enarratis restat, ut pauca addamus de subiecta summa sententia carminis. Igitur primum quidem consideratis iis, quae de Hippoclea et patre dicuntur, liquet fortunam eximiam praedicari familiae nobilis, quae divitiis et gloria ludicra ornata assequuta sit omnia, quae homines assequi possint. Verum cur de Hyperboreis dicit? Post ὄλβον illustris familiae praedicatum, Pindari et Graecorum morem si consideraveris, iure exspectes ethicas etiam admonitiones moderationis et modestiae, sine quibus non absoluta est talis carminis sententia: at cum modestia coniunctum habere ὄλβον, id demum summum est, eaque sententia vere Graeca et Pindarica. Ac voluisse hoc poetam ipsa eius verba indicare videntur. Assequuti sunt, ait, quae possunt assequi homines; ad Hyperboreos tamen perveniri non potest; Perseus eo venit Minerva duce, quum etiam alia mirabilia ederet. Quid igitur monet nisi hoc: Hyperborei sunt felicissimi omnium hominum in terra; inter convivia et cantus vivunt expertes morborum et senectutis, laborum et bellorum, procul a Nemesi. Sunt enim maxime pii et contenti eo quod habent. Atque haec est mea de carmine sententia. His adde, quod Boeckhius pulcre coniecit, Perseum, qui inter maiores Herculis esset, ut gentilicium heroem ab Aleuadis cultum fuisse, et quidni etiam ab hac familia victrici, ad quam proxime carminis dicta pertinent? Qua coniectura consequimur illud, ut cur Persei nomen immisceatur appareat, et quum plus una fabula ad modestiam

hortari potuisset Pindarus, nunc illud eum elegisse videamus, quod propius eos tangeret. Sic omnia bene convenire videntur, erratque Scholiastes ἄλογον παρέκβασιν reprehendens; quanquam carmen ab adolescente poeta scriptum est, nihil tamen inesse videas imperfectius.

[Novam rationem, qua quae de Perseo dicuntur explicationem haberent, excogitavit T. Mommsen Pind. p. 34 sqq., in cuius partes nuper Rauchensteinium concedendum sibi putavisse vehementer miratus sum, v. Diar. antiq. 1847. p. 739 sq. Apponam quae Mommsenius in Translat. Pind. p. 115. paucis comprehendit: „*Der glaube der Griechen leitete vom Perseus die Perser her und mit ihnen standen die thessalischen grofsen, namentlich die Aleuaden, die ihnen 22 jahre später wie die thebanischen optimaten beistehen, in freundschaftlicher verbindung, und die annahme liegt nahe, dafs Perser sich als gäste am hofe der Aleuaden befanden und den Apollon zu ehren gegebenen festschmaus mitmachten. Schon aber waren die Perser und die adligen mit den asiatischen städten im kampfe, wo das volk Ol. 69, 1. 2. mit hülfe der Athenäer das joch der Perser und optimaten abgeschüttelt hatte, und diese Athenäer waren zugleich in Griechenland im kampfe mit ihren erbfeinden, den Thebanern und Aegineten. Auf wessen seite also der junge adlige Thebaner gestanden habe, beantwortet sich von selbst. Ja, es ist als wolle er dem völkerfürsten Perseus v. 46. die bestrafung der Naxier prophezeien (!), welche vor Ol. 69, 1. die adligen vertrieben hatten; denn Perseus bringt den inselleuten den tod. Wenn die Götter winken (?), ist nichts wunderbar. Wer aber ist die Gorgo? der vielköpfige demos?*" — Quae autem poeta vv. 55 — 72. canit, ea Mommsenius eo revocat, ut dominos Thessalos penestarum suorum rebellionibus identidem in terrorem coniectos a poeta bonum animum habere iuberi censeat: studere enim Pindarum dissipare metum, quem Ionum Graecorum prosperi successus incussissent Aleuadis.

De his et talibus quid sentirem, libero ore professus sum in censura Mommseniani libelli, v. *Hall. Allg. LZ.* 1847, nr. 46 sq. Rauchensteinium mallem perstitisse in ea sententia, quam fovebat Introd. p. 139 sqq., ubi de fabula Persei haec: „*Die hauptsache liegt im mythus von den Hyperboreern, deren unwandelbare glückseligkeit das gegenbild giebt zu dem glücke des siegers und seines vaters, das die höchste menschliche gränze erreicht, aber als ein menschliches ein gebrechliches ist. Zu höherem ist nur den*

göttersöhnen zu gelangen möglich, wie dem Perseus, des Zeus und der Danae sohn, den Athene geleitete und der mit hülfe der götter die wunderbaren thaten verrichtete. Damit ist auch die erwähnung des Perseus hinlänglich gerechtfertigt, ohne dafs man weitere beziehungen anzunehmen braucht, als dafs zugleich ein heros geehrt wird."]

EXPLICATIO.

V. 1—6. Prooemium. De illustri genere domus victricis. Tum de argumento carminis. Dicit: „Felix est Lacedaemon, beata Thessalia; ex uno enim ambabus patre bellicosi genus Herculis imperat. Quid iacto praeter opportunitatem? At Pytho et Pelinnaeum me poscit et Aleuadae, Hippocleae cupientes adducere comissationis inclitam vocem." Quum et Aleuadae, qui carmen postulaverant, ex Heraclidis essent, et Phriciae domus, ut equidem non dubito, poeta splendidum quaerens introitum orditur ab ipsa magnificentia Heraclidarum in Peloponneso et Thessalia imperantium. Tamen plura de amplo hoc argumento hic dicere nolebat, satis habens nunc verbo indicasse, quam illustres essent quos caneret, deinceps alia persequuturus. Quare statim abrumpit orationem inceptam, fingens ad aliena se delapsum, ut alias saepe, quum fabulas intextas abrumpit, temere digressum se simulat. Quemadmodum autem istae fabulae revera non alienae sunt, ita nec haec laus, immo illustre est vestibulum carminis; modo statuamus etiam Phriciae domum ex Heraclidis fuisse, cuius laus argumentum est carminis, ad quam etiam haec res pertinere debet, non ad Aleuadas solos. Fac enim non descendisse hanc domum ab Hercule; tum demum vere aberravit. — V. 1 sq. Prima haec pro nominativis habeo. Gravior sic et dignior est introitus quam exclamationibus illatis. Felices autem praedicat has terras, quod tam illustri generi subiectae sint. De Antipho et Phidippo, Herculis nepotibus, unde plurimae nobiles Thessalorum familiae oriundas se ferebant, vide praeter Boeckhium etiam Müllerum Dor. I. p. 421. — *πατρὸς ἐξ ἑνός*, cum vi praemissum, licet sensus idem in verbis *γένος Ἡρακλεῦς* lateat. — V. 3. *τί κομπέω*, praefero quod res ipsa offert, ut sensus sit: Verum quid hic iacto praeter rem? Sic se revocat ab incepto, ut revera non per-

git hac via; atque ita etiam Boeckhius. Aliter Hermannus: „Quid est quod temere dicam? Nihil. Sed enim Pytho me poscit. Nisi forte insolentiore verborum collocatione, sed non minus recta, *τὶ κομπέω παρὰ καιρόν;* scribendum: Quidquamne temere iacto?" Haec mihi aliena videntur omnia. Ceterum *κομπεῖν* est magnifica loqui. [De scriptura *κατ' ἄκαιρον* v. not. crit.] — *ἀλλά με — Ἀλεύα τε παῖδες*, „at Pytho et Pelinnaeum sqq. haec me poscunt; non iste latus campus ingrediendus, ut de potentia Heraclidarum dicam universa, sed certae quaedam urbes et personae sunt quae me vocant, huc oratio revocanda." Aliter Boeckhius: „Sed enim Pytho me postulant, sed Pelinnaeum, sed Aleuadae. Nihil igitur praeter rem aggredior." — *Πελιναῖον* sive *Πέλιννα* et *Πέλινα*, oppidum haud procul a Peneo, cf. Boeckh. Nunc patria Phriciae et Hippocleae. — *Ἀλεύα τε παῖδες*, Thorax infra nominatus eiusque fratres Eurypylus ac Thrasydaeus, cf. ad finem. Ab his poeta invitatus erat ad carmen faciendum. — *ἀγαγεῖν*, adducere. Veluti Pyth. III, 73. IV, 211. IX, 75. Pyth. XII, 12. Volebant igitur comissationem adducere in domum Hippocleae, sibi dilecti pueri, ut videtur; hoc enim cum Boeckhio suspicor, quum sic optime explicetur, cur hi carmen expetierint. Vides ex proposita loci interpretatione carmen Pelinnae cantatum. Boeckhius vero Larissae cantatum statuens apud Aleuadas, intelligit pompam ibi ductam per urbem in honorem Hippocleae, quod mihi non inesse videtur in loquutione *ὅπα ἀνδρῶν ἄγειν τινί*. Ceterum *ἀνδρῶν ὅπα*, quum chorus e viris esset. Omnino addendus erat genitivus, ne suam ipsorum vocem adduxisse dicantur. Denique de iunctis sine copula adiectivis *ἐπικωμίαν κλυτὰν ὅπα* diximus ad Pyth. IX, 7. [De Ahrentis coniectura v. T. I. p. 353. Is licet concedat praepropere se formam *Ἱπποκλέας* maxime barbaram vocasse, tamen emendationes suas huius et v. 57. sibi nondum displicere profitetur: *Ἀλεύα τε παῖδ' ἐς Ἱπποκλεᾶ ἐθέλοντες* (coll. de duali numero et plurali copulatis Thiersch. Gr. §. 307, 7.). Verum tituli etiam paullo vetustiores iam suggesserunt etiam alia nomina eiusdemmodi. Sic *Ἀριστοκλέας* Delphus emersit apud Curtium Anecdd. Delph. 9, 13. (tametsi 12, 20. est *Τίμων Ἀριστοκλέος*) et *Βούλαρχος Δαμοκλέα* est in titulo Attico Boeckhii Annall. Instit. Arch. Rom. 1829. p. 159.]

V. 7 — 29. Laudatur felicitas eximia Phriciae, qui opibus fortunatus sit, et quum ipse victorias

praecipuas ludicras reportaverit, nunc etiam filium videat tenera aetate coronatum. — V. 7. *γεύεται ἀέθλων*, certator est. Significat *γεύεσθαι* proprie gustare, sentire iucunditatem aut molestiam alicuius rei, ut *γεύεσθαι στεφάνων* Isthm. I, 21. (unde Pyth. IX, 35. *ἀλκᾶς* pro frui, gaudere) aut *κακῶν, χειρῶν, δουρὸς ἀκωκῆς, ὀϊστοῦ*, qualia ex Homero nota, qui etiam *γεύεσθαι ἀλλήλων* dixit de pugnantibus. Sic est etiam tentare, adire, ut nunc et Nem. VI, 25. *πόνων γεύεσθαι*, et Isthm. IV, 20. *ὕμνων*. — V. 8 sq. *στρατῷ περικτιόνων* cett. Et conventui circumcolentium Parnasius recessus eum diauli cursorum summum nuntiavit; cf. Pyth. IV, 66. — *Παρνάσιος μυχός* est vallis a Parnaso Delphisque ad Cirrham descendens, ubi stadium et hippodromus, vid. ad Pyth. VIII, 19. Sic Strophius Crisae habitans dicitur *Παρνασσοῦ πόδα ναίων*, Pyth. XI, 36. — Porro *ἀνέειπεν*, de quo vid. Pyth. I, 32., nunc de valle dictum, ubi praeco proclamavit nomen, valde placebit, ubi simul echo vallis cogitaveris vocem praeconis undique resonantem. Ad totum locum cf. Ol. IX, 95. — V. 10 sqq. Verte: „Apollo, laetus enim exitus et initium humanarum rerum deo movente fit, ille tuis quidem consiliis hoc perfecit, virtutem innatam autem quod attinet incedit vestigiis patris bis Olympionicae." — *γλυκὺ αὔξεται*, dictum ut *μέγας αὐξάνεται*, alia similia, de quibus conf. Heind. ad Platon. Protag. p. 527. Stallbaum. ad eund. p. 76. et vide de hac prolepsi adiectivorum ad Ol. I, 68. Bene conferas Anthol. Pal. VI, 154. Iacobs. Del. Epigr. p. 28: *ἀνθ' ὧν εὔυδρον, Νύμφαι, τόδε δῶμα γέροντος αὔξετε, Πὰν γλαγερόν, Βάκχε πολυστάφυλον*, h. e. augete, ita ut sit; facite, ut sit. Est igitur pro: in maius et laetius augetur, amplificatur, ut omnia auctiora et ornatiora fiunt cum deo. Et *τέλος ἀρχά τε* est tota res ab initio ad finem. Cursus igitur totus sine casu adverso peractus erat. Denique colon hoc ita positum est, ut alias *γάρ* post vocativum, cf. Ol. IV. init. Add. Matth. Gr. §. 616. — *τεοῖς γε μήδεσι*. Deus igitur consilium ei hoc dederat, et excitaverat addideratque animum, ut suscipere rem auderet puer. Unde antea *δαίμονος ὀρνύντος*. — *τὸ δὲ συγγενές*. De significatione cf. Pyth. V, 16. Casus accusativus absolutus est, usurpari solitus in oppositionibus ad augendam vim eius vocis, in qua oppositio inest. Vid. Soph. Oed. R. 717. Confer quae de nominativo absoluto monui ad Pyth. IV, 152. et de

genitivo ad Pyth. VIII, 85. Scholiastes *ἐμβέβακεν* per *ἐπιβῆναι πεποίηκε* explicat, insita natura effecit, ut ingrederetur; sed haec significatio perfecti non poterit demonstrari. Ceterum ad sententiam cf. Pyth. VIII, 35. Nem. VI, 15. [Hermannus quum v. 57. *τὸν Ἱπποκλέα σε* reponendum duceret, cui ego temere obedii, non posse Phriciam pro patre victoris pueri haberi addit, quae reliquorum fuit interpretum sententia. Id scholiastas ex v. 16. hausisse prave accepto. Etenim veri simile esse alium quempiam Hippocleae cognatum id nominis habuisse. Postea cognito Eustathium *ἵππον κρατησίποδα* ex Pindaro afferre, equi nomen *Φρικίας* esse credidit. Cui opinioni dolco me calculum olim adiecisse. Verissime enim Krausius Hellenicorum vol. II, 2. p. XI. verss. 22—26. ne minimam quidem significationem certaminis equestris habere admonet, sed ad sola gymnica referri *χερσὶν ἢ ποδῶν ἀρετᾷ κρατήσαις*. Cui addit Rauchensteinius Introd. p. 44., v. 12. *τὸ δὲ συγγενές* videri flagitare, ut praeter patris victorias etiam aliorum cognatorum virtutes praedicentur. Quare Phriciam hominem esse, non equum, gentilem victoris pueri. Postea tamen Commentatt. I, 17. patrem esse Phriciam contendit, qui Olympia vicisset *ὁπλιτοδρόμος*, unde *κρατησίποδα* optime in eum cadat; nomen autem non sine gravitate in fine enunciati collocari, postquam de patre sermonem esse iam v. 12. *πατρός* significatum sit. Recte.] — V. 13. *πολεμαδόκοις*, bellum sustinentia sunt bellica arma, ut *Ἀθηναία πολεμαδόκος* Anthol. Palat. IX, 59. et Alcaei fr. 54. Matth. bellicosa. Ceterum armatus cursor quae arma gestaverit, notavimus ad Pyth. IX, 1. Adscitus hic cursus Olympiae est Ol. 65. et vicerat Phricias inter Ol. 66—69. — V. 15. *ἀγὼν βαθυλείμωνα ὑπὸ Κίρρας πέτραν*, certamen Pythium in valle sub rupe Cirrhaea, qui *Κρισαῖος λόφος* esse videtur, de quo dictum ad Pyth. V, 35. A Crisa s. Cirrha per hunc collem descendebatur in vallem, ubi ludi. *βαθυλείμων* Boeckhio est saxum, in quo pratum erat, nec demonstrari potest rem non fuisse ita, nisi quod nunc hoc otiosum videtur. Quidni *βαθυλείμων πέτρα* dici possit quae est in profundo prato, quae surgit e prato, valle ambiente eam a pluribus partibus? — V. 17 sq. Sequatur sors, ut etiam in posterum praeclarae opes floreant, cum quibus talia perficiunt. Cfr. ad structuram Herod. I, 32: *εἰ μή οἱ τύχη ἐπίσποιτο, πάντα καλὰ ἔχοντα τελευτῆσαι εὖ τὸν βίον*. Ceterum quos sumptus certamina postulent, dictum ad Pyth. VIII, 92. — V. 19.

τῶν ἐν Ἑλλάδι τερπνῶν, qualia sunt tyrannis, victoriae ludicrae et carmina epinicia. [Hermannus p. 165. vulgatam scripturam, quam scholiasta ita explicat: ἀβλαβὴς καὶ ἀνόργητος ἐπὶ τοῖς αὐτοῦ κατορθώμασιν εἴη ὁ θεός, explosit primum, quia ἀπήμων κέαρ non possit dici nisi de eo, cui aerumnis vacuum sit cor. Deinde plane inutilem esse et ineptam sententiam, ubi modo idem dictum fuerit significantissime. Ergo posito θεὸς οἷος ἀπ. κέαρ hanc mentem poetae esse ait: deus solus cor habet vacuum doloris; sed felix etiam et celebratus sapientibus hic homo est, qui summis potitus est praemiis et vivus adhuc filium videt Pythiam adeptum coronam. Cui nunc plane assentior. Nisi quod pro εἴη non tam οἷος — quod in θεός solo satis auditur — quam αἰεί reponendum esse suspicor, cfr. Philol. III, 528. Idque et ad ductus librorum propius accedit nec deterius ad sententiam est, quum mortalium hominum μετατροπίαις perennis felicitas deorum opponatur. — Cum v. 23. Kayserus bene confert Homer. Od. Θ, 147: Οὐ μὲν γὰρ μεῖζον κλέος ἀνέρος, ὄφρα κ' ἔῃσιν, Ἢ ὅ τι ποσσίν τε ῥέζῃ καὶ χερσὶν ἐῇσιν.] — V. 26. υἱὸν ἴδῃ, confer dictum Laconis ap. Cic. Tuscul. I, 46. — V. 28. βρότεον ἔθνος, Nem. III, 74. — περαίνει, scil. ταύτας, has felicitates emetitur, decurrit, διέρχεται, usque ad extremum finem. Nobis igitur περαίνει dicetur durchmachen, zurücklegen. — ἔσχατον πλόον, nota loquutio de columnis Herculis, cf. Ol. III. fin. [„Is qui describitur vv. 22. 23., perficere dicitur navigationem usque ad extremum, quidquid felicitatis a genere hominum attingi potest. Verba enim sic struenda: περαίνει τὸν πλοῦν πρὸς τὸ ἔσχατον." Rauchensteinius Commentatt. I, 18.]

V. 29—50. Describitur felicitas Hyperboreorum, ad quos Perseus duce Minerva venit, vulgo autem ab hominibus perveniri non potest. — De Hyperboreis vid. ad Ol. III, 16. De eorum felicitate et omnium rerum abundantia cf. locos indicatos a Iacobs. ad Anthol. T. VII. p. 6. — ναυσί, h. e. οὔτε ναυσὶν οὔτε πεζὸς ἰών, cf. Pyth. VI, 48. [et Hermann. ad Soph. Phil. 771.] Ac Perseus per aërem ferebatur alatis soleis, quum ad Medusam proficisceretur, cf. Apollod. II, 4, 2. At Hercules tamen pedibus eo venit, dices, ut vidimus Ol. III.; sane, sed haec ignorasse aut non meminisse videtur Pindarus, quum propositum carmen scriberet adolescens.

Ceterum vides Perseum in itinere ad Gorgones primum versus septentrionem, inde ad occasum profectum; cf. Müller. Proleg. Mythol. p. 420. — ἀγῶνα, conventum festum, quum sacra celebrant, conf. Boeckhii notam. Obversantur poetae animo dies festi Hyperboreorum creberrimi, ubi et in publicis locis feriabatur populus et per domos epulae habebantur lautissimae. — [V. 31. Pindarum ante oculos habuit Simias Rhodius Apolline apud Tzetzam Chill. VII, 693 sqq.: Τηλυγέτων δ' ἀφίκανον Ὑπερβορέων ἀνὰ δῆμον, Τοῖς δὴ καί ποτ' ἄναξ ἥρως παρεδαίσατο Περσεύς.] — V. 32. δώματ' ἐσελθών. Quum apud alios (Pherenicum in Scholiis ad Olymp. III, 28., Diodor. II, 47., Antonin. Liberal. c. 20.) templum Apollinis commemoretur, ad quod habitaverint Hyperborei et in quo asinos immolaverint, Boeckhius etiam hic istud templum intelligit, de quo non assentior, quum alio nullo genitivo adiecto ex antecedentibus genitivus repetendus sit. Cogitavit igitur Pindarus domos cum amplis conclavibus et aulis, in quibus epulantes invenerit Perseus, templum tacet, ac mox ostendam etiam ob aliam causam hoc sic positum a Pindaro. Quare hoc loco etiam Apollo cogitandus est subire haec tecta et epulari ibi, ut cum Phaeacibus dii Hom. Od. VII, 201. — V. 33. ὄνων ἑκατόμβας apud Hyperboreos post Pindarum memorant Callim. Fragm. 187. 188. et Antoninus l. cit.; vid. Heynium, Boeckhium et Müllerum Dor. I. p. 279. Maxime vero memorabile etiam Delphis talia sacrificia Apollini oblata, quod nunc discimus ex Inscriptione Delphica Corp. Inscriptt. Vol. I. p. 807. lin. 14. ibiq. Boeckh. [Ὄνους in inscriptionem a Boeckhio illatos non sine gravi caussa exturbavit Ahrens Dial. Dor. p. 488. Ceterum A. Heckerus Comm. Callim. p. 143. eximie conflavit Callim. fr. 215. cum fr. 188. ita: Ῥιπαίου πέμπουσιν ἀπ' οὔρεος, ᾗχι μάλιστα Τέρπουσιν λιπαραὶ Φοῖβον ὀνοσφαγίαι. Postremo Cramer. Ann. IV, 266. παρὰ τοῖς Ὑπερβορέοις ὄνους θύουσιν Ἀπόλλωνι διὰ τὴν σπάνην τοῦ ζώου.] — De ἐπιτόσσαις cf. ad Pyth. III, 27. — V. 34 sq. ὧν θαλίαις cett., quorum epulis semper et cantibus quam maxime delectatur Apollo. — εὐφαμίαι, laudes, cantus in honorem dei, veluti Eurip. Troad. 1072. χορῶν εὔφημοι κέλαδοι. — V. 36. ὕβριν ὀρθίαν accipe de salacibus gestibus asinorum, qui bene pasti ad sacrificia ducuntur. Propria quidem vox ὑβρίζειν de asinis etiam generaliori sensu pro exsultare, lascivire, cf. Xenoph. Anab. V, 8, 3.; nunc au-

tem libidinem intelligi indicat adiectum ὀρθία, conf. de ὀρθός, Lacon. ὀρσός, Aristoph. Lysistr. 995. collat. Müller. Dor. I, 386. Ac constat etiam de hoc sensu verbi ὑβρίζειν, cf. Koen. ad Gregor. p. 542. Lips. et add. Aristoph. Nub. 1058. ibique interprett. Huc pertinet proverbium ἀσελγέστερος τῶν ὄνων Lucian. Piscat. cap. 34. Dicendum vero nunc de poeta, talia qui admisit. Ac primum quidem mihi hinc quoque constat privatas domos et vestibula cogitari; nam etiam adolescens Pindarus non videtur mihi talia ausurus fuisse, si in templo Apollinis res ageretur. Porro addendum consilium universi loci. Pindarus Thessalis hominibus describens Hyperboreorum felicitatem, ea proponit, quae ipsis placerent. Quodsi memineris Thessalicas εὐωχίας, de quibus dictum ad Pyth. IV, 130., uti etiam in his epiniciis haud dubie lautissimae epulae habebantur, vides primum, cur poeta ante omnia de epulis festis Hyperboreorum dicat et identidem dicat: ἐδαίσατο Περσεύς, ὧν θαλίαις μάλιστα χαίρει Ἀπόλλων, εἰλαπινάζουσιν εὐφρόνως, ubi quod addit δάφνᾳ κόμας ἀναδήσαντες, manifesto dictum propter victorem chorumque nunc ipsum similiter lauru redimitum, monente etiam Boeckhio, qui praeterea addit etiam Daphnephorica apud Thessalos celebrata. Pertinet eodem musicae laus, quum etiam in his epiniciis musici cantus essent. Est igitur omnino consilium Pindari, ut doceat, qualia nunc essent oblectamenta in his epiniciis et aliis diebus in divitum Thessalorum domibus, similia etiam apud Hyperboreos haberi, at longe iucundiora et per totum populum, praeterea abesse mala plurima, quibus nos premimur. Ista autem epularum iucunditas ostenditur potissimum ex eo, quod Apollo continuo iis gaudeat quam maxime. Iam, credo, dicere voluit Apollinem tam hilarem esse ibi, ut etiam liberius frontem relaxet, idque indicavit sic, ut legimus. In quo iterum crediderim Thessalorum mores spectatos, qui paullo laetiora convivia amasse videntur atque etiam liberiores iocos. His omnibus etsi non plane excusatur Pindari iuvenilis audacia, illud tamen clarius factum videtur, cur hoc ausus sit. — V. 37 sq. Musa non abest ab his terris, τρόποις ἐπὶ σφετέροισι, in moribus eorum, h. e. ut sunt mores et ingenium horum hominum. Ad ἐπί conf. Pyth. I, 36. — παντᾷ δὲ χοροὶ cett. Iuvabit conferre quae Müllerus Dor. II, 327. monet de musica et choris olim apud Spartanos pervulgatis. Puellarum choros Pindarus prae ceteris memorat, quum suavior sit puellarum saltantium adspectus. παντᾷ

vero est ubique, per totum populum, in publicis locis et, credo, etiam in domibus inter epulas, a quibus non probabile est musica oblectamenta abfuisse; atque intelligitur sic, cur in versu sequenti ad epulas redeat. — δονέονται, rotantur, agitantur, ut agitare choros est Virg. Georg. IV, 533. — δάφνᾳ χρυσέᾳ, cf. Ol. X, 13. — ἀναδήσαντες, Pyth. I, 40. — V. 41 sqq. Post oblectamenta loquitur de malis, quae ab iis absint. — πόνων ἄτερ, non quaerentes victum labore. — ὑπέρδικον Νέμεσιν, severam Nemesin, in quo ὑπέρ est maxime, ut in ὑπερμήκης, ὑπέρβιος, ὑπερμενής, ὑπέρθυμος, aliis, et ipsum ὑπέρδικος Soph. Ai. 1108. et Aesch. Agam. 1367. Blomfld., quem confer. Hanc igitur severissimam deam, cui nemo ceterorum mortalium satisfacit, haec tamen sacra gens fugit. Contra Boeckhius meus sic dicit: ὑπέρδικος non est maxime iusta, sed ὑπερδικαιοῦσα, ius exercens quod supra homines est. — V. 44. θρασείᾳ πνέων καρδίᾳ, audaci pectore spirans, pro θράσος, μένος πνέων, de quibus formulis cf. Blomfld. ad Aesch. Agamemn. v. 1206. — V. 45. ἀγεῖτο δ' Ἀθάνα, interposita inter μόλεν ἐς ὅμιλον, de quo genere cf. Lobeck. ad Sophocl. Aiac. v. 475. — Mox ποικίλον κάρα cett., h. e. caput Medusae variegatum serpentum crinibus attulit Seriphiis (Pyth. XII, 12.) exitium, quum eos lapides faceret. Ait Pindarus: Perseus venit ad Hyperboreos tum, quum etiam alia mirabilia duce Minerva ederet, quod addidit, ut fidem maiorem faceret itineri ad Hyperboreos. Hinc subiicit cum diis nihil videri impossibile. Sed haec verba, ἐμοὶ δὲ θαυμάσαι cett., vario modo explicant. Hermannus iungens θαυμάσαι θεῶν τελεσάντων, vertit: Mihi, etiamsi dii faciunt, ut mirari necesse sit, nihil tamen videtur esse quod effectum dare nequeant. Sed hoc modo certe καὶ θαυμάσαι θεῶν τελεσάντων dicendum erat; absque tali particula ista constructio hic admodum dura est. Nec verti potest: ubi dii miracula edunt, nihil incredibile, quod θεῶν θαυμάσαι τελεσάντων dicendum fuisset, non θαυμάσαι θεῶν τελεσάντων. Quare relicta ista constructione iungo cum Boeckhio: ἐμοὶ δέ, θεῶν τελεσάντων, οὐδέν ποτε φαίνεται ἔμμεν ἄπιστον θαυμάσαι, mihi vero ad mirandum, ubi dii agunt, nihil unquam videtur incredibile, h. e. ne miror quidem, quum diis nihil non sit facillimum. [Heimsoethius p. 46: „Sensus est: mihi ad credendum, si dii fecisse perhibentur, nihil unquam videtur incertum. Pro simplici credere dixit credere et admirari. Vertendum igitur:

mihi ad admirandum (h. e. quin credam admirerque), si dii perfecerint, nihil unquam videtur incertum."]

V. 51 — fin. Redit ad victorem carmenque absolvit subiecta in fine Aleuadarum laude. — *κώπαν σχάσον*, remum inhibe. Esse *σχάζειν* hoc sensu proprium de remigantibus ait Schol. ad Nem. IV, 64. et ad Eurip. Phoeniss. 455. Add. praeterea Boeckhium h. l. [et Hecker. Comm. Callim. p. 45 sq.] Ceterum asyndeto bene utitur ut repente celeriterque se revocans; cf. Nem. III, 26. — *ταχὺ δ' ἄγκυραν* cett., h. e. celeriter ancoram infige terrae, in quo *χθόνα* dicit fundum aquarum proxime terram, quasi *ὅρμον* videns commodum, quo uti vult statim, ne navis ulterius procurrens in scopulum forte impingat. Ergo non dicit in antecedentibus temere se digressum et aberrasse a recto cursu; at nunc si ulterius progrediatur, scopulos timet, quoniam, quum dictum sit de Hyperboreis et Perseo quantum satis, plura addita aliena essent. [„Poeta propterea ancoram eiici iubet, ne, quod soleat, hymnus encomius ab alia ad aliam rem vagetur." Heimsoethius p. 46.] — *προφρασθε*, cf. Pyth. IV, 191. — Postremo metaphoram navigationis ipsam quod attinet, ea hic usus est ut alias passim, quum dixisset de longinquis regionibus, cf. v. c. Nem. III, 27. IV, 70. — V. 52 sq. Laudatorii enim praeclara vis hymni alias ad aliam properat rem, h. e. pergendum enim nunc ad alia est, ut amat hymnus huc illuc vagari. — *ὥστε μέλισσα*, sic hymnus hinc illuc mel laudis petit, nec diu in uno versatur loco. — V. 55. *Ἐφυραίων*, quum chorus ab Aleuadis conductus esset ex Ephyraeis sive Cranoniis. Vide de hac urbe Ephyra postea Cranone dicta praeter Boeckhium etiam Heyn. ad Hom. Il. XIII, 301. Cranone Scopadae imperabant, gens opulentissima et artium amantissima, de quibus idem Boeckhius dixit. Ibi igitur videntur *χορευταὶ* boni fuisse. — *ἀμφὶ Πηνειόν*, h. e. Pelinnae, haud procul a Peneo sitae; at Cranon longo intervallo distat a fluvio. — *προχεόντων*, Isthm. VII, 58. Hom. Od. XIX, 521. — *ἔτι καὶ μᾶλλον*, quam nunc est factum. Fecerat poeta etiam scolion, opinor, post epinicium in ista comissatione canendum. Tale manifesto designatur verbis *νέαισι παρθένοισι μέλημα*. [Sine caussa Hermannum articulum *τὸν* ante *Ἱπποκλέαν* a poeta alienum dixisse eundemque praeter consuetudinem poetae *τὸν Ἱπποκλέα σε* scripsisse docta disputatione, quae est de usu articuli Pindarico, T. Mommsenius satis evicit, v. Mus. Rhen. Nov.

V, 548 sq. Ergo ad pristinam scripturam redeo, v. ad vers. 5. Contra Rauchensteinius Comm. I, 18. *ποθ' Ἱπποκλέαν* coniectat, ut *ποθ' ἁ λέοντος* extat initio versus Nem. VI, 44. Cogitasse enim Hippocleam de adeundo certamine Olympico seqq. produnt vv. 60 — 63. Hoc si verum est, nec diffiteor mihi valde placere, Dissenius non recte scolium a Pindaro superadditum suspicatus est. Accedit, quod in Rauchensteinii ratione illud *ἔτι καὶ μᾶλλον* optime, minus bene in Disseniana sese habet.] — V. 60 sqq.: Alius alio studio tenetur, suntque varii hominum conatus; quae vero quisque appetit si consequutus sit, iucundam teneat curam, rem praesentem, s. iucunditate fruatur praesenti, quum futura incerta sint. — *ὑπέκνισε*, urit, pungit. Eurip. Iphig. Aul. v. 330: *τὸ βούλεσθαί μ' ἔκνιζε*. Et *ὑπό* est intus sub pectore, veluti in *ὑποφρύναι* Hom. Il. XXIII, 108. 153. al. Ceterum adde Boeckhium h. l. — *τυχών κεν*. Est *κέ* et *ἄν* cum participio iunctum aut in apodosi, quod frequentissimum, aut in protasi et p. si forte explicandum, ut nunc aut Arist. Ran. v. 97. *ζητῶν ἄν*, et hoc quidem genus comparo cum positis post *εἰ* particulis hisce, de quo vid. Hermann. ad Vig. p. 830. — *ἁρπαλέαν*, cf. ad Pyth. VIII, 65. — *φροντίδα*, rem, quam concupivit et nunc habet. — *παρά* c. gen. cf. Pyth. I, 79. — V. 64 sqq. Exitus carminis, in quo laus Aleuadarum, amicorum suorum. Orditur: Fidelis hospes et amicus mihi est Thorax, cui obsequutus hoc carmen cecini, quod ita exprimit: Confido hospitio benevolo Thoracis, qui meum officium expetens hunc iunxit currum Pieridum quadriiugum. — *πέποιθα* non retulerim ad sententiam v. 55 sqq. enuntiatam, quasi dicat Thoracem carmini illam auctoritatem conciliaturum; nam hoc est durum propter sententiam aliam et diversam plane v. 60 — 63. interiectam. Immo *πέποιθα* est simpliciter fidam habeo eius amicitiam, est mihi amicus sincerus. Ceterum Thessalorum gentes nobiles *φιλοξενίᾳ* insignes erant, unde Xenoph. Hist. Gr. VI, 1, 3. de Polydama Pharsalio ait: *ἦν δὲ καὶ ἄλλως φιλόξενός τε καὶ μεγαλοπρεπὴς τὸν Θετταλικὸν τρόπον*. — *ποιπνύων*, de verbo cf. Buttm. Lexil. I. p. 176. Nunc videtur esse pro studiose ambiens. — *ἅρμα Πιερίδων* honoris causa dixisse videtur propter Aleuadas, illustres Larissae tyrannos, quum etiam hi in hoc carmine laudentur. Vide quae explicui ad Ol. VI, 22. — *τετράορον* Boeckhio simul alludere videtur ad quaterna strophae antistrophaeque et epodi systemata, quod mihi dubium. —

ἄγων ἄγοντα, suavis descriptio amicitiae, amicis iunctim incedentibus alteroque alterum sublevante. Qua imagine significantur mutua officia. — V. 67. „Exploranti et aurum in probatione splendet et recta mens," h. e. probatione cognoscitur, quid sincerum sit; sic etiam Thoracis amicitia usu mihi spectata. Eandem sententiam minus breviter expressit Bacchylides, cf. Brunck. Analect. T. I. p. 149. et Bacchylid. Fragm. Neue p. 31: *Λυδία μὲν γὰρ λίθος μανύει χρυσόν· ἀνδρῶν δ' ἀρετὰν σοφίαν τε παγκρατὴς ἐλέγχει ἀλάθεια.* Similia vide apud Menandrum, ed. Meinek. p. 289 et 323., et Blomfld. ad Aesch. Agam. p. 195. — βάσανος vero saepissime translate dicitur, cf. Iacobs. Delect. Epigr. pag. 259. — V. 69. ἀδελφεούς. Erant fratres Thoracis Eurypylus et Thrasydaeus, cf. Herod. IX, 58. — νόμον Θεσσαλῶν, rempublicam Thessalorum, quatenus ad certam quandam formam et legem constituta erat. Erat vero Thessalorum respublica divisa quattuor regionibus, quae suas quaeque res interiores separatim habebant, simul tamen vinculo iunctae, quae ad universum populum pertinebant, communiter tractabant; cf. Buttm. de Aleuadis. — ὑψοῦ φέροντι, prosperam et illustrem reddunt, αὔξοντες, provehendo. Bene dixit cumulate, neque est tautologia. — ἐν δ' ἀγαθοῖσι cett., penes probos enim et bonos viros sunt paterna praeclara urbium imperia. Videntur pleraeque urbes Pelasgiotidis Aleuadis paruisse inde ab Aleua, auctore gentis. Ad loquutionem cf. Pyth. VIII, 76. Et de schemate Pindarico ad Ol. X, 6.

Carmen Pythium undecimum.

Introductio.

Thrasydaeus Thebanus puer, ex antiqua Cadmeorum gente, ut videtur, oriundus, Pythia stadio vicit Pythiad. 28. Ol. 75, 3.; idem post hoc carmen Pyth. 33. inter viros victor renuntiatus est. Ante eum pater quoque vicerat Pythia, et prius alius ex hac domo curulem victoriam Olympicam tulerat, ut nunc tres essent

victoriae. Carmen cantatum in pompa ducta ad templum Apollinis Ismenii, cui victor gratias acturus erat ob concessum decus. Argumentum hoc est: In prooemio Cadmi filiae cum Alcmena convocantur, ut in templum Apollinis Ismenii eant ibique Themin et umbilicum terrae victoriae partae causa vespere celebrent. Inde statim ad narrationes mythicas pergit, transitu facto a Cirrhae mentione ad Orestem, canitque, ut hic matris Clytaemnestrae dolis subtractus sit per Arsinoen nutricem, quum Cassandra et Agamemno a regina interficerentur. Quaenam vero, ait, causa fuit huius caedis? Num ob Iphigeniam immolatam, an adulterio cum Aegistho facto inducta Clytaemnestra talia commisit? Nam illud quidem maximum flagitium est uxorum iuvenilium, nec tegi potest, divulgantibus vulgi sermonibus. Occisus igitur est Agamemno cum Cassandra, redux a deleta propter Helenam Troia, Orestes vero ad Strophium delatus, unde postea reversus trucidavit matrem et Aegisthum. His sic expositis poeta revocat se a fabulis, quasi a recta via aberraverit, reditque ad rem praesentem. Memorat nunc primum victorias domus supra indicatas, deinde sententiis pluribus mediocritatem vitae laudat et tyrannidem contemnit; communes laudes sectandas, modica tutiora et stabiliora esse. Talium decorum qui fastigium consequutus superbiam fugerit, hunc etiam mori pulcrius, et optimum bonorum generi suo relinquere famam, quemadmodum Iolaus et Tyndaridae canantur a posteris. — Quaeritur nunc de vera ratione horum dictorum. Quodsi Pindaricorum carminum analogiam sequimur ducem, simplicissima carminis explicatio fuerit haec: Laudatur virtus et gloria gymnica domus victricis, dissuadetur affectatio tyrannidis, quemadmodum in aliis carminibus cum laude ludicra coniungitur sapientiae, modestiae et moderationis commendatio pro ratione temporum et hominum, qui canuntur. Et nunc quidem quod poeta pro generali σοφίας commendatione et dissuasione ὕβρεως speciatim a tyrannide dehortatur, ex historia illius temporis explicari debere videtur. Constat enim Persici belli tempore tyrannidem quandam Thebis fuisse, Attagino et Timegenida, Persarum amicis, tyrannorum modo Thebas regentibus, quorum dominatio eversa est post pugnam Plataeensem exercitu Graecorum victore ad Thebas accedente et τοὺς μηδίζοντας expostulante, proximo ante hoc carmen anno. Quare poeta, feliciter restituto aequo iure civitatis, prima oblata occasione utitur, credo, de tyrannidis infausta ra-

tione dicendi, idque facit optime, ut mihi videtur, ostendens per caedes Cassandrae, Agamemnonis, Clytaemnestrae, Aegisthi, et adulteria ante commissa minime optabilem esse potentium sortem, scelera ex sceleribus oriri in domibus dominatricibus, extra vero invidiam et maledicentiam grassari civium calumniantium. Etsi vero etiam ceteris civibus haec scripta sunt, si qui tyrannidem ament, primum tamen ad victricem domum verba pertinent et ad puerum victorem, natum ex opulenta et nobili familia, quam probabile est paucorum dominationi magis quam aequo iuri favisse. — Proposita explicatio carminis, ex parte iam Gedickio inventa, non plane eadem est, quam Boeckhius dedit. Cogitat quidem etiam hic de historia istius temporis, quam explicat docte; idem tamen cetera sic sibi fingit: Perierit unus ex Thrasydaei necessariis, non tamen pater, sed alius quidam, isque iustus vir, collat. v. 56 sqq. Fuerit is homo potens, interemptus sit in turbis, quae ante pugnam Plataeensem Thebis fuerunt, per propinquum vel affinem haud minus potentem, ut Agamemno per Clytaemnestram et Aegisthum, excesserit illius familia ex urbe, fortasse in Phocidem; mox ubi Graeci Pausania duce Thebas in deditionem acceperant, Thrasydaei familia aliqua ratione ulta eos sit, qui propinquo necem attulerint, opitulante forsitan Lacone Pausania. Ita quidem Agamemnone significaretur is, qui ex Thrasydaei familia sclere circumventus esset, Oreste illi, qui facinus ulti essent, Aegistho, in cuius nece episodium desinit, iste, qui Thrasydaei necessario exsilium molitus esset; tyrannidis autem reprehensio eo commodissime referretur, ut poeta nimiam potentiam, quae utrique parti perniciosa fuerit, non appetendam esse doceat, et sibi aequum ius, quod post paucorum deditionem abolita paucorum dominatione institutum est, maxime probari declaret. Ita Boeckhius. Ego, quanquam non nego in turbis, quae ante pugnam Plataeensem Thebis fuerunt, fortasse etiam caedes factas, quibus commotus poeta ad tyrannidis sortem depingendam caedes in Agamemnonis domo narrare constitueret, non tamen singula ita premenda iudico, ut similia quaedam Thebis evenisse censeam; sufficit hic, me iudice, sententia, quae fabulae subest, forma rerum ut similis sit, non opus. Dubito igitur unum ex Thrasydaei necessariis interemptum, propositasque caedes cum adulteriis eo tantum refero, ut dissuadeatur superbia et tyrannis; in quo quum propiorem fabulam satis gravem non nosset, ut so-

let ubique quantum fieri potest eligere quod propius tangat, pulcre victoria in Crissaeo campo parta utitur, ut sic ad Orestis iisdem in locis olim viventis ceteraeque familiae Agamemnoniae tristem fortunam veniat, veluti Ol. I. locus Olympici certaminis Pelopis fabulam offert. Quare etiam sic delectus fabulae convenit cum aliorum carminum usu. [Hermannus Opuscc. VII, 166 sq.: „Probabiliter sumi potest, aliquem ex gente victoris per insidias periisse propter suspicionem adulterii cum nobili muliere affectataeque per eius consuetudinis opportunitatem dominationis. Nam adulteram, quae ex ipsius Thrasydaei gente oriunda esset, commemorari vix decebat; alia autem mulier recte sic, ut fecit poeta, excusari quodammodo potuit, quod ita simul adulteri culpa minui videretur. Non enim aperte Clytaemnestrae exprobratur adulterium, sed magis fama eius per homines maledicos sparsa esse significatur (?). Quod si tale factum, quale dixi, respici putamus, optime conveniunt etiam quae in fine carminis de vita non appetente dominationis meliorique morte hominis modica fortuna contenti adiiciuntur." Haec et reliqua pericula interpretum — quae T. Mommsenio placeant videre licet in libello de Pindaro p. 62 sqq. et in notis translationi Germanicae additis — in examen vocavit Heimsoethius Mus. Rhen. Nov. V, p. 10 sqq. Sed ne in iis quidem, quae is sollerter edisseruit, sibi acquiescendum arbitratus est Rauchensteinius, qui nuperrime Philol. II. p. 193 sqq. carmen denuo pertractavit. Explosis priorum interpretum opinionibus carmen in Ol. LXXIX, 3. incidere sumit: apud Schol. τὴν λβ' Ὀλυμπιάδα reponit. Eo enim tempore Pindarus, qui Graecia relicta Ol. LXXVI, 4. in Siciliam abierat, Thebas reverterat. Nam post mortuum Ol. LXXVIII, 2. Hieronem frater eius Thrasybulus imperio potitus quum nefarie saeviret in cives, non multo post, Ol. LXXVIII, 3., expulsus est et universae tum tyrannides Siciliae eversae sunt. Pindarus mortuo Hierone Cyrenas adisse videtur, ubi pariter imperium Arcesilae Battiadae iam tum periculis infestatum variis erat, v. Pyth. IV. V. Quae carmina Ol. LXXIX, 3. scripta sunt: vix anno interiecto Arcesilaus et ipse regno exutus in exilium abiit. — Haec considerans Rauchensteinius censet Pindarum victoriam civis cupide arripuisse, qua occasione usus civibus Thebanis tyrannidum ulcera monstraret vitaeque mediocris laudes commendaret. Et ut splendido aliquo exemplo cala-

mitates illas tyrannidum illustraret, Atridarum fabulam carmini suo intexuisse. Haec Rauchensteinius quomodo singillatim persecutus sit, operae pretium est apud ipsum legere.]

EXPLICATIO.

V. 1 — 16. Principium. Convocantur heroinae Thebanae in templum Apollinis Ismenii, ut celebrent umbilicum terrae, qui victoriam Thrasydaeo concessit. — De templo Apollinis Ismenii Thebano ante portas Electrides dixerunt Boeckh. h. l., Müllerus Dor. I. p. 235. [et R. Ungerus Theb. Parad. p. 141.] In eo tripodes plurimi aurei fuerunt, quos eo mittebant *οἱ Θηβαγενεῖς*, h. e. gentes Cadmeae Thebis superstites; immigrantibus enim Boeotis prisci *Καδμείωνες* partim excesserant in alias terras, partim remanserant, cf. Müller. Orchom. p. 397. Consecrabantur hi tripodes oraculorum deo; fuit enim in templo clarum oraculum, ubi deus *δι' ἐμπύρων* consulebatur, unde hic Pindarus *ἀλαθέα* [cfr. ad Ol. VIII, 1.] *μαντίων θῶκον* dixit. *Μάντεις* sunt prophetae templi. Ac nunc quidem Thrasydaeus pompam eo ducebat gratias acturus deo ob victoriam; quum enim etiam alia templa Apollinis Thebis essent, nominatim Polii et Boedromii, Ismenium tamen erat celeberrimum, et in Pythia victoria prae reliquis adeundum. Fortasse vero etiam *Θηβαγενής* erat Thrasydaeus. Probabile id videtur etiam ob Cadmi filias convocatas. Videntur Cadmi filiae cum Alcmena statis diebus vocatae esse ad lectisternium in illud templum, quum eas etiam alias huc vocari e poetae verbis appareat; quod autem nunc quoque ad hanc gratiarum actionem vocantur, optime sic expedias, quod gentis Cadmeae priscae heroinae maxime laetari debent victoria, quam *Θηβαγενὴς* reportavit. [Cfr. quae de illustri prooemio disputat Rauchensteinius Philol. l. c. p. 195.] — V. 1. *Ὀλυμπιάδων ἀγνιᾶτις*, Olympiarum dearum socia. — *μέν* sequente *τέ*, noto usu. — *ἀγνιᾶτις*, vicina, in eodem vico, eadem urbe habitans. Ceterum de Semela inter deos versante cf. ad Ol. II, 25. [De Semela cfr. Welckerum Mus. Rh. 1833. p. 434.] — V. 2. *ὁμοθάλαμε*, quum dicatur *θάλαμος Ἀμφιτρίτας*, ut Soph. Oed. R. 195. — V. 4. *Μελία*, quae Ismenium et Tenerum Apollini peperit (Pausan. IX, 10, 5.), una culta est in hoc templo; ad hanc convenire debent ceterae heroinae, ut cum ea canant Delphos. — Mox *Ἰσμήνιον* non dubito Pindarum hic ab *ἴσημι* derivasse, quo posito clarior haec sententia exsistit: Et scientiae locum appellavit, ubi esse vellet veracem vatum sedem. Vides iam etiam Loxiae cognomen non temere electum, et quum in tali loco par sit tripodes consecrari, nunc etiam huius rei ratio redditur, omnibus sic suaviter ex uno Ismenii nomine nexis. Quare non rideo etymologiam, sed laudo poesin. — V. 7. *ἐπίνομον* Scholia explicant *τὸν σύννομον ταῖς Θήβαις*. Ego vicinum interpretor et prope habitantem, h. e. eiusdem urbis et loci. Gurlittus dixerat *ἐπιχώριον*. Contra Boeckhius ad Meliam retrahit vocem, Meliae ceteras heroinas *ἐπινόμους*, *συννόμους*, paris iuris dicens. — *καί νυν*, h. e. quum honoret et diligat hunc locum Apollo eximie, etiam nunc, ut aliis diebus, vicinam heroinarum cohortem vocat, ut praesentia sua ornare velint templum et sollemnitatem templi hodiernam. Vides ad *καλεῖ* me supplere *Ἀπόλλων*, propter sententiae rationem et verborum ordinem; Boeckhius cum uno ex scholiastis Meliam supplet, quod mihi longius petitum videtur. Notabis vero pulcre circumductae orationis formam, cuius haec lex est, ut posita in principio sententia redeat amplior in fine, interposita alia illustrationi inserviente, quemadmodum nunc post vocatas in Ismenium heroinas dicitur de Apolline Ismenium maximopere colente, ut post hanc explicationem denuo repetatur vocatio et absolvatur. Grandiora exempla habentur Pind. Ol. IV. et VIII. init. Est vero etiam apud alios hoc dicendi genus frequens, ut apud Platonem. Vide v. c. Theaetet. p. 144. A. — V. 9. *ὄφρα κελαδήσετε*. Post pompam praesentemque cantum aliud carmen in templo canendum erat, atque huic sollemnitati interesse vult heroinas. Ceterum *κελαδήσετε* futurum est, non coniunctivus correptus. Cf. de hac construct. Herm. ad Vig. p. 927. — *ἄχρᾳ σὺν ἑσπέρᾳ*, ad seram vesperam, cfr. Lobeck. ad Soph. Ai. 285. et Dissen. Opuscc. p. 145 sq. — Denique *Θέμιν ἱερὰν* et *ὀρθοδίκαν γᾶς ὀμφαλόν* memorat, ut nonnisi iustas et meritas victorias ibi dari significet, quemadmodum nunc etiam Thrasydaeo. Ceterum de Themide Delphis culta nota omnia, cf. Aesch. Eumen. init. Müller. Dor. I. p. 338. — V. 12. *χάριν*, appositio ad *κελαδήσετε*, cf. exempla Matth. Gr. §. 432, 5. — *ἀγῶνι Κίρρας*, Pythiis ad Cirrham actis s. in campo Crissaeo, ubi et hippodromus et stadium fuit, cf. ad Pyth. VIII, 19.

Nunc ita designat certamen, ut transitus fiat ad sequentem fabulam. — *ἔμνασεν*, nove dictum pro in memoriam hominum revocavit, illustravit. Neque enim alius sensus et alia constructio hic apta. [Ad commendandam scripturam a me repositam Hermannus p. 167. addit: „Poetam qui meminisse iubet, patet canendi memorem esse iubere." Contra Rauchensteinius I, 19. vulgatam explicat ita: „Thrasydaeus puer instauravit domus paternae memoriam, quum tertiam ei afferret victoriam, quam reportavit Delphis in campo Pyladis, qui hospes fuit Orestis." Ad structuram confert Eur. Alc. 878: *ἔμνησας ὅ μου φρένας ἤλκωσεν*. Denique fuit cui *ἔμνασεν* cum *Λάκωνος Ὀρέστα* copulandum videretur. Ceterum de artificioso transitu h. l. dixit Rauchensteinius Comm. I, 18.] — *πατρῴαν ἑστίαν*, quum puer Thrasydaeus adhuc in patris domo esset. — *τρίτον ἐπὶ στέφανον βαλών*, tertia corona iniecta, metaphorice pro ornans tertia victoria, ut *Ἱέρων Ὀρτυγίαν ἀνέδησε στεφάνοις* Pyth. II, 6., nunc autem colore ducto a *φυλλοβολίᾳ*, de qua vide ad Pyth. IX. fin. — *νικῶν*, victor, *νικητήρ*, ut tot locis. — *ἀρούραισι Πυλάδα*, qui filius Strophii, nepos Crissi. Fuit autem prisco tempore Crissa caput regionis, unde apud Hom. Hymn. in Apoll. v. 269. Pythium templum conditur *ἐν Κρίσσῃ ὑπὸ πτυχὶ Παρνησοῖο*, h. e. in ditione Crissaea sub Parnasso. Recte igitur Pindarus Crissaeorum tum regum dicit vallem, ubi ludi. — *Λάκωνος*, h. e. Amyclaei, cf. v. 32.

V. 17—37. De flagitiis et sceleribus in Agamemnonis domo. — *Ἀρσινόα*. Nutricem Stesichorus et Pherecydes in Scholiis *Λαοδάμειαν* vocaverant, Aeschylus Choeph. 692. *Γείλισσαν* vel *Κίλισσαν* vocat. Porro Mingarellus et Tafelius iungunt *φονευομένου πατρὸς Κλυταιμνήστρας χειρῶν ὕπο κρατερᾶν*, incommode interposito nomine Arsinoes, nec postulante participio haec nunc ornamenta. Boeckhius iungit: *ἐκ δόλου ὑπὸ χειρῶν*, e dolo a manibus parato, durius. [Probat tamen A. G. Winckelmannus Actt. Soc. Gr. II, 22. coll. Soph. Phil. 1096 sq.: *οὐδέ σε δόλος γ' ἔσχ' ὑπὸ χειρὸς ἐμᾶς*.] Ego una constructione utrumque nervosius cum *ἄνελε* iungens vertam: Quem, quum trucidaretur pater, Arsinoe Clytaemnestrae a manibus violentis e dolo eripuit luctuoso (*unter Klytämnestra's gewaltthätigen händen hinweg aus mörderischer hinterlist zog*), quae optime dicta sunt pro: ne Clytaemnestra manibus violentis clam, dolose eum interficeret. Ceterum *ὑπό* est *ὑπέκ*, et contulit Heynius

Ol. VI, 43. — *Δαρδανίδα* accusativus est. — *εὔσκιον*, ubi *ἄλσεα Περσεφονείας*. [Theogn. 708. *σκιερὸς χῶρος ἀποφθιμένων*.] — V. 23. *σφαχθεῖσα*, neque enim aliter sciebat Clytaemnestra. Immo ipsa Iphigenia ap. Eurip. Iphig. Taur. v. 8. 27. ita de se loquitur; passa enim erat immolationis ritus, et si non plane occisa, certe in ipsa immolatione ablata, ut praesentibus omnibus periisse videretur. Confer praeter Boeckhium Welckerum Aesch. Trilog. p. 410. Porro *Ἰφιγένεια σφαχθεῖσα ἔκνισεν* pro *σφαγὴ Ἰφιγενείας ἔκνισεν* dictum frequenti poetarum usu, cf. Horat. Carm. I, 1, 5. 13, 19. II, 4, 10. — *ὄρσαι χόλον*, ut Eurip. Med. 99. *κινεῖ χόλον* de Medea irascente. — *βαρυπάλαμον*, gravi manu saevientem. — V. 24 sqq. An alieno toro domitam (Aegisthi) nocturni seduxerunt amplexus? — *τὸ δὲ νέαις ἀλόχοις* cett. Hoc autem iuvenilibus uxoribus maximum flagitium est, in quod incidant, neque occultari potest alienis linguis. [„*ἔχθιστον*, quod tanquam hostis nocet," Hermannus p. 168.] — V. 29. *οὐ μείονα*, non minorem, quam ipse est. — V. 30. Hermannus sic intelligit: ex plebe homines si feroces sint et improbi, scelera eorum facilius latere atque ignorari quam nobilium. *βρέμειν*, ferocem esse, occurrere in *Εἰρεσιώνῃ* Homerica (v. 2.). At enim talis hic sententia plane inutilis, quasi hoc modo auream mediocritatem poeta commendare debeat Thrasydaeo; quod etsi noluit Hermannus, tamen sequitur. Quare explicabis potius ita: Habet enim per se opulentia non minorem invidiam, humilis autem in occulto calumniatur, ut etiam propterea occurrere maledicentiae nequeas. [Cfr. Rauchenst. Philol. p. 205 sq.] — *χαμηλὰ πνέων*, humilia spirans s. humili loco vivens, simul cum contemptu dictum est de sordidis moribus istorum hominum. Quare etiam sic his verbis nullo modo inesse potest commendatio mediocris vitae. — *ἄφαντον βρέμει*, occulta fremit, maledicit. — De particulis *τὲ — δέ* cf. laudata ad Ol. VIII, 58. Duplex igitur proponitur incommodum, primum quod per se opulentia invidiae magnae obnoxia; alterum quod, quum vel aperte vel tecte calumniari quis possit, vulgus pro humili ingenio suo occulte fremit. Neque offendet te, quod *κακολόγοι δὲ πολῖται* praecessit; consulto enim redit ad hanc sententiam, potentes invisos esse multitudini, nec defendere se posse ab eius maledicentia. — V. 31 sqq. Sic mortuus est Agamemno et una traxit

in perniciem Cassandram. — μὲν — τε, ut supra in principio. — χρόνῳ, post longam absentiam. [Cfr. v. 36.] — ἐν Ἀμύκλαις, quae urbs fuit priscum caput regni Pelopidarum in istis regionibus, servabatque etiam postea monumenta Cassandrae et Agamemnonis, qui ex domestica traditione loci, etiam a Stesichoro et Simonide suscepta, ibi regnaverat. Cf. Boeckh. Nott. critt. et Müller. Orchom. p. 319. et Dor. I. p. 92. — V. 33. ἐπεὶ ἀμφ' Ἑλένᾳ cett. Postquam propter Helenam exustorum Troianorum everterat domos opulentas. Etiam hoc, propter Helenam vastatam esse Troiam, non sine reprehensione Agamemnonis dicitur. — πυρωθέντων, communi incendio urbis crematorum cum tectis. — δόμους ἀβρότατος, h. e. πολυχρύσους δόμους Φρυγῶν, ut dicit Eurip. Hel. 934. Sic est στολὶς τρυφᾶς pro τρυφερά Eurip. Phoeniss. 1498. et ὁ τᾶς ἡσυχίας βίοτος Bacch. 388., λευκῆς χιόνος πτέρυξ Soph. Antig. 114. al. Constat vero divitias luxumque Asiae minoris ex posteriore tempore etiam in hanc aetatem transferri. Strabo XIV. p. 680. Priamum ditissimis antiquitatis regibus annumerat. — ἔλυσε, evertit, usu Homerico, cf. Il. II, 117. XVI, 100. Non iunxi autem ἔλυσεν ἀβρότατος, quum λύειν τινά τινος sit liberare ab aliqua molestia. [Rauchensteinio Philol. p. 194. est i. q. ἔπαυσεν ἀβρότατος. Recte. Scholia: διέλυσε τοὺς οἴκους τῆς εὐδαιμονίας, τουτέστι τοὺς πλουσίους οἴκους κατεστρέψατο.] — V. 35. νέα κεφαλά, tenera aetate. — χρονίῳ σὺν Ἄρει, sera caede. Ad Ἄρει confer Soph. Electr. 1419. — θῆκεν ἐν φοναῖς, stravit cruenta occisione. Soph. Antig. 696. ἐν φοναῖς πεπτῶτα. Boeckhius, quum grammatici φονάς de loco caedis explicent (cf. Scholia hic et Hom. Il. X, 521.), intelligit locum, ubi Agamemno occisus erat, ut apud Sophocl. Electr. 1411 sqq. Aegisthus eodem loco occiditur, ubi Agamemno perierat. Verum sic Pindarus iusto brevius dixerit, ut mihi quidem videtur. Ceterum suaviter oratio in fine ad Orestem revertitur, a quo orsa erat, quasi de hoc potissimum dicendum fuerit, ceteris per rerum nexum allatis. Cave vero hac narrationis forma abduci te patiaris a vera eius sententia. Iam enim explicitis singulis addenda nonnulla de universo loco. Diximus in Introductione depingi hac mythica narratione pericula et infaustam fortunam potentium, ut dissuadeatur tyrannidis affectatio et commendetur secura privatorum hominum vita, quum paullo ante hoc carmen

ipsae Thebae cum damno suo expertae essent ὅπερ ἐγγυτάτω τυράννου, δυναστείαν ὀλίγων ἀνδρῶν, quam appellat Thucydides III, 62. Vide plura de his temporibus apud Boeckhium Explicatt. p. 340. Igitur de universo consilio fabulae nihil addo; at de forma et tractatione rei monendum. Quum enim non uno modo dissuaderi possit potentiae affectatio, nunc poeta de adulterio Clytaemnestrae dicit, quo mota mulier interfecerit maritum Agamemnonem; hic vero antea ob Helenam adulteram vastaverat Troiam et secum adducebat bello partam nobilissimam vatem Cassandram concubinam, quam sic una in perniciem traxit. Vides ex his id maxime agere poetam, ut coniugia potentium infausta caedesque inde ortas proponat; atque etiam quod de invidia multitudinis intexit principum facta maledicis sermonibus ferentis, commode cum illis rebus nexum est. Quorsum igitur haec omnia sic posuit? Nempe politica consilia si pueris proponenda sunt, quum ampliora aliena sint ab hac aetate, ita tractari debent, ut ipsorum ingenio conveniant, quod optime sensit Pindarus. Quomodo autem aptius deterreas a tyrannide pueri animos aetate florentis, constituti in ipso limine amoris, quam amoribus principum pravis et adulteriis narratis, quae in ipsis penetralibus potentium domorum exsistunt et universas familias, immo populos perdunt? Ac dicit Pindarus etiam alias passim in carminibus, quae pueris scripsit, de amoribus, ut Pyth. X, 59. Nem. VIII. init, faustos amores optans et augurans, aut Nem. X. pudicitiae iuvenilis praemia ostendens, quare etiam cum usu Pindari explicatio nostra convenit. Intelligimus vero nunc, cur bis de Cassandra praeclara virgine dicat cum Agamemnone occisa, cur ab adulterio reginae, non ab Iphigeniae immolatione caedem Agamemnonis repetierit, cur denique etiam Troiae excidium hic quidem improbare debeat, licet fecerit tectius. Reprehendit enim Agamemnonem, quod ob feminam adulteram opulentam urbem vastaverit et ipse adduxerit concubinam vi partam praeclaram Cassandram. Quare non assentior Boeckhio meo cum Agamemnone comparari statuenti unum ex Thrasydaci necessariis. Illud restat quaerendum, cur Amyclis et in Laconica, non Mycenis, Agamemnonis domum significet regnasse; neque enim profecto temere deseruit vulgatiorem fabulam, non ille ut deteriores poetae rariora sectans sine idonea causa. Hoc igitur cur fecerit, probabiliter expeditum vide infra in fine carminis.

V. 38—fin. Revocat se a fabulis, laudat victorias domus victricis, et commendat mediocrem fortunam spreta potentium sorte. — V. 38—40. „Aut, amici, in trivio circumactus, vagatus sum, recta via ante incedens, aut me ventus aliquis cursu eiecit, ut navigium marinum." Post res tam tristes et iniucundas in ἐπινικίῳ narratas suaviter fingit invitum se aberrasse, quae formula non fallebat istis temporibus quemquam, placebat vero excusatio. — ἀμενσίπορον est trivium vias mutans, s. ubi viae se secant et mutantur, ἀμείβονται, ut facile aberres. Ceterum vide annotat. criticam. — ὀρθὰν κέλευθον ibat a v. 1—16. — Ad ἔξω πλόον confertur ἔξω δρόμον, vid. Blomfld. ad Aesch. Choeph. 507. — ὡς ὅτε, cf. Ol. VI, 2. — V. 41 sqq. „Musa, tuum est, si pretio pacta es praebituram te vocem argento conductam, alias ad alia eam transferre vel patri Pythiis victori nunc quidem vel Thrasydaeo." Non turpe visum lyricis eo tempore pretium sumere constat; cf. Isthm. II, 6 sqq. cum Schol. Hinc etiam Pindarus bis terve eius rei mentionem fecit, idque eo modo, quo solo recte licebat, pacto teneri se dicens, qua re utitur poetice. Atque Isthm. II. dilationem carminis excusat eo, quod alia antea facienda fuerint; hoc autem loco se revocat in viam iucunde dicens: age, Musa, ne obliviscare quod debes; mercede pacta Thrasydaeum et patrem laudare promisisti, mitte digressiones. Similiter Nem. IV, 75. mythica abrumpit, quum Theandridarum certamina ex compacto canenda sint. — ὑπάργυρον, cui argentum subest causa quare canat, ἔμμισθον. Soph. Antig 1091: εἰ κατηργυρωμένος λέγω. Aliter Pindarus dixit idem Isthm. II. Ceterum accusativos iunge cum παρέχειν et supple ad ταράσσειν. Hoc autem est: naviter, fortiter movere alias aliter, et modo hinc modo illinc petere laudem, v. Pyth. X, 53. Ceterum cf. ὄρσαι θοὰν γλῶσσαν Nem. VII, 71. — τό γέ νυν ad ταρασσέμεν refer. — ἐπιφλέγει, ardet, splendet. [Hermanno p. 170. est incendit, scil. Musam ad canendum. Scholia πανταχοῦ διαλάμπει.] — V. 46. τὰ μέν respondent particulae τέ v. 49. — ἐν ἅρμασι καλλίνικοι, ut Pyth. II, 5. ἐν ᾧ (τετραορίᾳ) κρατέων. — Ὀλυμπίαν θοὰν ἀκτῖνα, partim in curribus victores olim Olympicam rapidam (rapide per Graeciam se divulgantem) gloriam certaminum illustrium consequuti sunt. Boeckhius: gloriam currus velocitate celeriter paratam. Ceterum ad ἀκτῖνα cf. Isthm. III, 60. — σὺν

ἵπποις post ἐν ἅρμασι additur in fine consulto propter vim oppositionis, quum statim pedum certamen memorandum sit. — γυμνὸν στάδιον vulgo opponitur ὁπλίτῃ δρόμῳ, ut Isthm. I, 23. Nunc etiam curuli certamini oppositum est, ubi non certabatur nude. — καταβάντες, ut in vallem. — Ἑλλανίδα στρατιάν, cursores certantes; consulto magnificentius dictum. Similiter Nem. X, 25. Ἕλλανα στρατόν. Exin quae poeta de se dicit generatim accipe; continent explicationem fabulae superioris et victori dicta sunt. — θεόθεν ἐραίμαν καλῶν, divinitus data amem decora, non quae improbantibus diis appetuntur, ut tyrannis. — δυνατά, possibilia, non immodica affectans, ἐν ἀλικίᾳ, dum vires florent. Alii ἐν ἀλικίᾳ vertunt: pro aetate, puerili, iuvenili, virili, senili. — V. 52. Quum enim eorum commodorum, quae in civitate sunt, mediocria diuturniore flore vigere videam, improbo et aspernor sortem tyrannidis. — τὰ μέσα, mediocrem conditionem, μεσότητα. Cf. Horat. Carm. II, 10., carmen notissimum, ibique laudata a Mitscherl. [Aesch. Eum. 503: παντὶ μέσῳ τὸ κράτος θεὸς ὤπασεν. Theogn. 335. Phocylid. fr. 8: πολλὰ μέσοισιν ἄριστα· μέσος θέλω ἐν πόλει εἶναι.] — V. 55. Communibus vero laudibus operam do. — τέταμαι, intentus sum, contendo, cf. Isthm. I, 49. — Et ἀμφ' ἀρεταῖς, ut Ol. V, 15: ἀμφ' ἀρεταῖσι πόνος δαπάνα τε μάρναται. Sunt enim ξυναὶ ἀρεταί communes laudes unicuique patentes. — Mox Boeckhius verba: φθονεροὶ δ' ἀμύνονται ἄτᾳ, explicat: Invidi suo damno arcentur, propulsantur, nonnisi sibi nocent; addit tamen sibi haec non satisfacere. Contra Hermanni emendatio significat: Quo invidi avertuntur, s. invidi autem avertuntur sic, hoc modo, quam etiam Boeckhius dicit se probaturum fuisse, si modo illud Quo, hoc modo, in Graecis inesset. Sed haec omissio in hoc nexu obscura non videtur et lyricae orationi conveniens. [Hermanni scripturae a me partim susceptae explicationem v. in nota critica. Ex nostra lectione hic prodit intellectus: Invidae autem arcentur noxae, si quis summa (victorias) adeptus tranquilleque degens trucem effugit atrocitatem: atram autem in exitu pulcriorem mortem habebit. Ahrenti nostro de crasi et aphaer. p. 18 sq. intolerabilis synizesis ἄταισ' εἰ videtur ita removeri posse, ut ἆτ' scripto elisionem potius statuamus.] — Ad ἄκρον cf. Nem. VI, 24. Intellige prae ceteris rebus victorias

ludicras. — ἀσυχᾶ νεμόμενος, tranquille, modeste vivens. — εὐώνυμον χάριν, honestam laudem, non κλέος τὸ δύσφαμον παισὶ προσάπτων, ut dicit Nem. VIII, 37. — Denique ad constructionem: κρατίσταν κτεάνων, cf. Matth. Gr. §. 459. [et Nitzsch. Odyss. IX, 176.] Totam autem loci sententiam quod attinet, ea facile se offerebat infaustos exitus multorum tyrannorum insolentium cogitanti. — V. 60. διαφέρει, divulgat, celebrem reddit. — V. 62. quum vocativo variare vellet orationem, ut amant poetae, recte Pollucem nobiliorem ex ambobus vocativo distinxit, cf. dicta ad Pyth. IV, 89. Fabulam Dioscurorum vid. Nem. X. Ibidem v. 56. de Therapna, sede et sepulcro eorum. — παρ' ἄμαρ, alternis diebus, cf. Lobeck. ad Sophocl. Ai. 294. et Schaefer. ad Long. p. 339. Postremo de universo loco dicendum. Post ὕβριος scelera supra narrata nunc, ut par erat et more suo (cf. Pyth. II, 15. 73.), contraria παραδείγματα Thrasydaeo proponit, heroes ludicra laude claros et a superbia et violentia intactos, dum vivebant, Iolaum domesticum et huic amicos nobiles Castores. Exsistit autem hoc modo perpulcra oppositio infaustae Agamemnoniae domus, ubi uxor maritum, filius matrem trucidat, et vicinis in locis degentium Castorum, qui, amoris mutui exemplum summum, inseparabiles alternis diebus nunc Therapnae nunc habitant in Olympo; atque huius ipsius oppositionis causa Amyclas supra, non Mycenas dixit poeta fuisse Agamemnonis sedem. Sic etiam haec quaestio nunc probabiliter expedita videtur.

Carmen Pythium duodecimum.

INTRODUCTIO.

Midas Agrigentinus tibicen victor fuit in Pythiis Pythiad. 24. et 25., itemque in Panathenaeis secundum Scholia; hoc carmen igitur Ol. 71, 3. vel 72, 3. scriptum, nec constat prima an secunda victoria canatur. Certabant autem ea aetate tibiis assis, ψιλῇ

αὐλήσει, quum αὐλῳδία secunda Pythiade iterum abolita esset. Ac Midae in certamine acciderat, ut γλωσσὶς tibiae rumperetur, quo tamen inopinato casu ille non territus cantum continuavit sine ea, magna cum voluptate audientium, et vicit. Nunc sollemniter Agrigentum redit, atque in hoc introitu canitur carmen. In principio igitur poeta deam urbis alloquitur, ut benevole recipiat coronam civemque, qui vicerit Graeciae conventum arte a Minerva inventa, quum Gorgonum planctum imitaretur, auditum Perseo Medusam occidente. Occaecavit enim, pergit, hic heros sorores et abscidit Medusae caput, attulitque perniciem Seripho insulae cum civibus ipsique regi Polydectae, qui negotium dederat, et liberavit matrem in servitute detentam. Post haec igitur Minerva invenit hunc cantum tibiarum, imitata Gorgonum planctum, deditque hominibus, denominans eum capitum multorum nomum, qui nunc auditur in certaminibus, cantatus Cephisio calamo. In fine denique subiiciuntur sententiae de vi divina fatique et humanarum rerum imbecillitate. Haec ratio carminis simplicissima inde pendet, quod Midas celeberrimo nomo Polycephalo, qui dicebatur, certaverat: quare huius nomi divina origo canitur atque ita ornatur victoria viri et urbs victoris patria. Exitus autem Midam post victoriam in casu incommodo nihilominus partam hortatur ad modestiam.

EXPLICATIO.

V. 1—12. Principium. — Invocatur Agrigentum commixtis, ut fit, heroinae urbisque attributis. — φιλάγλαος, splendoris elegantiaeque amica, et urbium pulcherrima dicitur, quum iam tum splendide instructa esset vel ante Theronis regnum; sub hoc enim inde ab Ol. 75, 1. ex Punica praeda ornata est. Vide de his Boeckhium. — V. 2. Φερσεφόνας ἕδος, sacra enim erat Proserpinae, cui a Iove donata erat εἰς τὰ ἀνακαλυπτήρια, cf. Boeckh. ad Ol. II. p. 123. Cultus Thebis traductus videtur per Emmenidas, cf. Müller. Orchom. p. 217. Dor. I. p. 401. — ἅ τ' ὄχθαις cett. Quaeque ad ripas pecorosi Acragantis habitas bene aedi-

ficatum collem. Erat enim in colle ad fluvium sita, unde ὑψηλά Fragm. Encom. 2. Vid. praeter Boeckhium etiam Iacobs. ad Anthol. T. VI. p. 317. Sturz. ad Empedocl. p. 646. — ἐΰδματον, nunc pro tectum aedificiis pulcris. — ναίεις de heroina, licet praecesserit καλλίστα πολίων. Miscentur enim per totum locum urbis et heroinae notiones, more Pindarico, velut Pyth. IX, 55: εὐρυλείμων Λιβύα δέξεται νύμφαν δώμασιν ἐν χρυσέοις πρόφρων. — ὦ ἄνα pro ἄνασσα, cf. Hermann. ap. Heynium et Boeckh. Nott. critt. — V. 4. ἀθανάτων ἀνδρῶν τε σὺν εὐμενίᾳ, h. e. prosequente deorum hominumque favore hanc coronam virumque. Favoris divini documentum omnis quidem victoria, Midas autem vel inprimis benevolos expertus erat deos, qui, rupta licet γλωσσίδι tibiae, nihilominus vicisset. Pertinet eodem hominum favor. Narrat Scholiastes Midam, quum fracta esset γλωσσίς, μόνοις τοῖς καλάμοις τρόπῳ σύριγγος αὐλῆσαι, τοὺς δὲ ἀκροατὰς ἡσθέντας καὶ ξενισθέντας τῷ ἤχῳ τερφθῆναι, καὶ οὕτω νικῆσαι αὐτόν. — V. 5. δέξαι Μίδᾳ, cf. ad Pyth. IV, 23. [„Et verba ἐκ Πυθῶνος et dativus εὐδόξῳ Μίδᾳ pendent e voce στεφάνωμα τόδε, qua hoc carmen significatur." Heimsoeth. p. 47.] — Ἑλλάδα, aemulos certantes. Graeciam vel Graeciae conventum vicisse dicitur qui principes Graeciae artifices in certamen prodeuntes vicit; cf. Pyth. XI, 50. — οὔλιον θρῆνον διαπλέξαισα, lamentabilem planctum pertexens, imitando reddens. Verbum non uno modo dicitur; vulgo ῥήματα, λόγους πλέκειν est omnino callide aut artificiose nectere, aliud tamen ῥήματα πλέκων Nem. IV, 94., quod a lucta petitum. Aliud etiam est ὕμνον πλέκων Ol. VI, 86. Nunc διαπλέκειν est omnino componere arte, quod frustra negaveris, cfr. Eur. Iph. Aul. 573. Sic de arte poetica ὑφαίνειν μέλος Anthol. Palat. II, 70. ἐξυφαίνειν Pind. Nem. IV, 45. Ac Boeckhius ipsos artificiosos flexus huius nomi respici putat. Ceterum tibia imitatur hunc planctum, quum flebilis sit, ut constat. — V. 9 sq. „Quem audivit fusum propter necem Medusae ex ore sororum superstitum duarum et serpentium in earum capite." — ὑπὸ κεφαλαῖς, quum quasi sub capitibus hisce numerosis volveretur densus multiplicis lamentationis clamor indeque feriret aures. In quo praeparat explicationem nominis nomi, qui Polycephalus dicebatur. — λειβόμενον, ut ἔχεαν θρῆνον Isthm. VII, 58. — δυσπενθέϊ σὺν καμάτῳ, luctuosa in

aerumna, in luctu ob tertiam partem sororum ablatam. [Cfr. ad Ol. II, 42. σὺν ἀλλαλοφονίᾳ.] — V. 11. ἄνυσσεν, occidit. Homerus ἐξανύω Il. XI, 365. XX, 452. — De Perseo et Gorgonibus, de Polydecta Seriphi rege, qui Perseo callide hoc negotium dederat matrem Danaen amans, vid. Pherecyd. Fragment. ed. Sturz. alt. p. 90 sqq., Apollod. II, 4. cum Heynii Observatt., et Welckerum meum Aeschyl. Trilog. p. 378 sqq. — Σερίφῳ, quae saxum factum. — λαοῖσι, ut Pyth. X, 47., quum ex prisco iure peccante rege una plectatur populus, bene monente Welckero l. cit. p. 384. [Ahrentis coniecturam de cras. et aphaeres. p. 19. εἰναλίᾳ τε Σερίφῳ λᾶος ἴ μοῖραν ἄγων ἦτοι τότε θεσπέσιον κτλ. refutavit Hermannus dissert. de Pindari ad solem deficientem verss. p. 15.]

V. 13—27. De Perseo narrare pergit, tum redit ad cantum a Minerva compositum. — Φόρκοιο γένος, cf. Welcker libr. laud. p. 383. — μαύρωσεν, obcaecavit, ablato uno communi oculo, quo alternatim utebantur, cf. Apollod. l. cit. De significatione verbi μαυροῦν et adiectivi ἀμαυρός pro caecus, obcaecare cf. Acta phil. Monac. T. I. p. 60. p. 569. Neque enim hic verti potest: perdidit, occidit Phorci filiam Medusam, quum de hac statim dicatur iterum. — V. 14. λυγρὸν ἔρανον Πολυδέκτᾳ θῆκε, funestas reddidit symbolas Polydectae, quibus hic eum perdere voluerat. Polydectes enim amans Danaen simulaverat se Hippodamiae (Ol. I.) nuptias cupere et convocaverat principes regni ad convivium, ut munera collatitia, ἔρανον, ab iis posceret, unde ἕδνα conficeret (ἔρανον συνάγειν ἐπί τι). Tum Perseus iuraverat se haud abnuere munera, etiamsi Gorgonis caput afferendum esset, quod dictum cupide Polydectes accipiens, hoc ei negotium pro symbolis iniunxerat. Hae igitur symbolae nunc regi verterunt ipsi in perniciem. Cf. laudatum ante Apollodorum et Pherecydem cum explicatione Welckeri Aeschyl. Trilog. p. 381. — ματρός τ' ἔμπεδον δουλοσύναν, diuturnam servitutem, in qua tenuerat rex Danaen. — τό τ' ἀναγκαῖον λέχος, quod passa erat absente filio defensore. — εὐπαράου, ob pulcritudinem facici, qua certabat cum Minerva, cf. Schol. v. 24. — ἀπὸ χρυσοῦ, prognatum ex auro, aurea pluvia, ut dicitur γένος, παῖς εἶναι ἀπό τινος, cf. Muncker. ad Antonin. Liberal. p. 46. et Verheyck. p. 97. Teuch. — V. 19. Recte interpungunt post

ἐῤῥύσατο, quod ne mutandum censeas cum Gurlitto, notabis in principio secundi membri ponendam vocem παρθένος esse proter oppositionem antecedentium. Quum enim ante Persei facta narraverit, nunc ad virginis inventionem Minervae redit; cf. Pyth. IV, 36. — αὐλῶν μέλος, tibiarum cantum multisonum, infra nomum multorum capitum dictum. — πάμφωνον, cf. ad Ol. VII, 12. — V. 21. χριμφθέντα, ut Aesch. Sept. 64. χρίμπτεται βοά, aures percellit. Pertinet eodem καρπαλιμᾶν et ἐρικλάγκταν. Nempe perculsa Minerva vehementi sonorum flebilium ictu decrevit imitari eos, quum autem voce non posset, tibiam invenit, ut σὺν ἔντεσιν imitaretur. Ceterum ἔντεα qualia sint, vides v. 25. Denique de inventione tibiae ipsa vid. Böttiger. in Wieland. Att. Mus. T. I. P. II. Boeckh. h. l. et Müller. Orchom. p. 356., qui non in Libya, sed in Boeotia, ad Tritonem Boeotium et Copaidem paludem rem factam statuit. — V. 22. ἀνδράσι θνατοῖς ἔχειν. Dea ipsa abiecit tibiam, ubi sensit non sine oris deformitate eam inflari. Sed hoc de industria tacet Pindarus, ut par est, neque enim haec laus sit tibiae. Ait simpliciter non sibi invenisse nomum, sed ut caneretur apud homines, unde factum, ut hi nunc habeant. [Cfr. Heimsoeth. Mus. Rh. Nov. V. p. 5 sq.] Exin pergit: Postquam autem invenit cantum, ab ipsa re dixit capitum multorum nomum seu Polycephalum. Optime enim suspicatur Boeckhius esse νόμον αὐλητικὸν εἰς Ἀπόλλωνα, τὸν καλούμενον Πολυκέφαλον, memoratum Plutarcho de Musica c. 5. Ferebatur hic esse Olympi, Polycephalus dictus ob multa capita partesque, et adhibebatur festis deorum, quare, quum Apollineus fuerit, Midas hoc ipso videtur certasse. Videntur autem alii a Minerva primam originem repetiisse, quos sequitur Pindarus recte; ornaturus enim nomum, quo certaverat victor, non potuit ab homine inventum dicere. Quare etiam de hac etymologia iudicandum quod de alia Pyth. XI, 6. Fecit poeta quod poetae erat. — V. 24. Sensus: ornavit eum dea illustri nomine, ut gloriosum certatorem ludorum futurum, qui victorias reportaret in festis hominum conventibus. — μναστὴρ ἀγώνων, memor, ut μνάστειρα Ἀφροδίτας ὀπώρα Isthm. II, 5.; nunc certator agonum, ut πολέμου μναστήρ Nem. I, 16. Ductum a notissimo μνᾶσθαι θούριδος ἀλκῆς, χάρμης. Et λαοσσόοι ἀγῶνες, qui populum congregant, ad quos spectandos concurrit populus. Apte confert Boeckhius Nem. X, 23. — V. 25.

Tenue permeantem aes simul et calamos, suaviter in laude tibiae et musicorum certaminum. Est enim χαλκός hoc loco γλωσσὶς aerea. Ceterum de tibiis veterum vide Thierschium in Dissertatione versioni Pindari praemissa p. 55. Calami vero prae ceteris apti tibiis fuerunt ii, qui in palude Copaide nascebantur prope Orchomenum; cf. Boeckh. h. l. et Müller. Orchom. p. 73. — καλλίχορος, etiam aliarum urbium epitheton; nunc autem suaviter vides Gratiarum urbem choris insignem memorari ad praestantiam calamorum istorum illustrandam. — ναίοισι per metaphoram, non ut verae personae. — Καφισίς est palus Copais, cf. Boeckh. [et Philolog. I, 424 sq.], nunc nympha paludis, unde τέμενος. — πιστοὶ χορευτᾶν μάρτυρες, testes et probatores chori, quibus fidem habere possis. Nam χορὸς ὑπ' αὐλῶν χορεύει, qui autem ad hos praestantes calamos saltare scit chorus praestans et ipse est.

V. 28 — fin. Exitus. Εἰ δέ τις ὄλβος cett. Si qua vero felicitas apud homines, sine labore non comparet, ut tu non vicisti sine labore; perfecerit autem eam sane vel hodie deus, h. e. perfici tamen potest et perficitur saepius celeriter, si deus adest, ut tu brevi tempore summam laudem consequutus es. Pyth. VIII, 92: ἐν δ' ὀλίγῳ βροτῶν τὸ τερπνὸν αὔξεται. Nunc ἐκτελευτᾶν est absolvere et ad culmen adducere. [De scriptura v. not. crit. Iam L. Döderleinius de Brachyl. p. 17. hanc scripturam commendaverat. Is praeter alia confert exempla similia Latinorum, velut Liv. XXIX, 51: Mores pop. Rom. quantum mutaverint, vel hic dies argumento erit, scil. vel alius.] — V. 30 sqq. ita verto: Fatum vero evitari non potest, sed erit tempus hoc, quod etiam in insperata coniiciens praeter opinionem alia quidem dabit, alia vero non dabit, h. e. erit etiam tempus, quod non dabit omnia quae speraveras. Neque enim alium sensum video verborum: τὸ μὲν δώσει, τὸ δ' οὔπω. Veluti Aesch. Pers. 799: συμβαίνει γὰρ οὐ τὰ μέν, τὰ δ' οὔ, non eveniunt res oraculis praedictae ex parte tantum. Quae quum ita sint, opposita est haec sententia antecedenti, fati communis admonens Midam, ne superbiat fortuna insigni per δαίμονα parta. — ἀελπτίᾳ βαλών, h. e. ἐμβαλών, ut Soph. Trachin. 936. αἰτίᾳ βάλοι κακῇ Hermannus explicat, conferens ibid. 912. — Vox ἀελπτία vero occurrit etiam apud Archiloch. cf. Liebel. ed. sec. p. 117. Et vid. Hesych. ἐξ ἀελπτίης. — ἔμπαλιν, cf. ad Ol.

XI, 87. — Denique futura h. l. usurpari vides in positiva sententia generali de eo, quod fieri potest et solet, fit et fiet. Errat enim Hermannus ad Soph. Antigonam v. 350. contendens hanc futuri potestatem tantummodo in conditionali sententia locum habere. [Cfr. accuratius hunc usum explicantem Dissenium ad Demosth. de Cor. p. 368 sq.]